BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS.

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
J. DIDOT, l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont-de-Lodi, n° 6.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ père et fils, imp. lib., rue Saint-Louis, n° 46, au Marais; et rue de Richelieu, n° 47.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard des Italiens, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

P. PAPINII STATII

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA.

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT
NATU MAJOR
REGIS TYPOGRAPHUS

THEBAIS

P. PAPINII STATII

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET SELECTIS VARIORUM ADNOTATIONIBUS

QUIBUS SUAS ADDIDERUNT

J. A. AMAR ET N. E. LEMAIRE

IN REGIA GALLIARUM UNIVERSITATE
PROFESSORES EMERITI

VOLUMEN TERTIUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVII

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM

CARMINIBUS DESCRIPTUM.*

Hic Jovis imperio Martem Cyllenius ales
Excitat in Graios resides: tunc ille furorem
Instaurat belli, ac Thebas ardentibus offert.
Labdacios tendit lacrimis defendere Liber.
Antigone e muris sociorum discere vultus
Exquirit; fidus cui pandit singula Phorbas.
Mox Jocasta gemens natum, Graiosque precatur
Ut placidus Thebas ineat, fratremque reposcat
Imperium; Tydeus prohibet sua vulnera narrans.
Hic tigrium interitus partes pugnare coegit.
Bellantem curru Amphiaraum telluris hiatus
Obruit: ingemuitque cadens, lucemque reliquit.

* Hoc Argumentum exhibent Behott. 1, 2, Put. unus Barth. Ven. 3, 4, Rom. Lindenbrog. Cruc. et Barth. — Hoc Argumentum quod non habet Reg. B, præbet Reg. C. Edit.

1. *Hic Jovis imperio*, etc. unus Behot. *Sic Jovis.*

10. *Hic tigrium interitus.* Idem Behot. codex *interius* pro *interitus.*

11. *Bellantem curru Amphiaraum.* Behot. 1, *Bellantem curvam*; Behot. 2, *Bellante curru.* Codices Barthiani non variant; unus tamen pro toto Argumento habet: « Septimus obsessum Thebes, vatisque sepulcrum; » unde Barthius: « Septimus obsessam Theben, etc. »

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

Ægre ferens Juppiter Argivos tempus in his ludis terere, Mercurium ad Martem mittit, qui illum increpet, quod, jussus Thebanos et Argivos inter se committere, tamdiu distulerit; 1—39. Mercurius Martem offendit e bello Hircano redeuntem, qui subito, ut patri morem gereret, equos impellit locum versus, ubi erant Argivi, et eorum animis pavorem injicit crepitu armorum quem in aere excitat; 40—121. Rati Argivi Thebanos sibi obviam venire, arma tumultuose capiunt, ac magnis itineribus Thebas contendunt; 122—144. Ut vero nuntius Thebas pervenit, hostes accedere, Eteocles copias in proximum campum educit ad recensendum exercitum, quem magnificis verbis alloquitur; 145—239. Matronæ Thebanæ muros arcesque conscendunt, inter quas erat Antigone, quæ a Phorbante nomen et patriam ducum externorum discit; 240—397. Interim Argivi citatissimo gradu progrediuntur, nec variis ostentis ac prodigiis, quæ illis continuo accidunt, revocantur; 398—423. Fluvius ipse Asopus videtur suas aquas auxisse, ut eos retineat; sed Hippomedon cunctante equo in flumen insilit : alii duces se præcipitant, et pudet secutos; 424—440. Amne trajecto, locum aptissimum notant, et ibi castra ponunt; 441—451. Consternatis Thebanis, Jocasta ramum olivæ ferens Polynicem in castris Argivis convenit; 452—489. Multis lacri-

mis precatur, in urbem veniat; pacem sine armis conventuram; 490—533. Jam Adrastus assentiebat, et matris precibus cedebat Polynices, quum advenit Tydeus, ac longa oratione, vulneraque ostendendo, Polynicem dehortatur, ne tam infido fratri se crederet: sic mutatæ omnium mentes, et bellum placet; 534—561. Hanc occasionem capit Tisiphone, quæ duas acies miscere summe cupiebat, et sic illas committit. Erant duæ tigres mansuetæ, quæ in urbe et in campis innoxie vagabantur; 562—578. Has Tisiphone flagello anguineo percutit, et ipsis naturalem furorem immittit; 579—584. In aurigam Amphiarai irruunt, eumque discerpunt; Acontens Tigres sagittis confodit: illæ semianimes cum longo fusi sanguinis tramite ad portas Thebarum revertuntur, et Thebanos excitant; 585—611. Hinc cruenta pugna inter Argivos et Thebanos, qui promiscue miscentur; 612—689. Amphiaraus ingentia facinora edit, multosque occidit; 690—722. Hypseus hastam in illum torquet, sed Apollo in Amphiarai aurigam ictum avertit, quo interfecto, ipse succedit in ejus locum, regendasque habenas suscipit; 723—739. Amphiaraus tanti numinis patrocinio omnia fundit; 740—770. Tandem fatis urgentibus Apollo se Amphiarao detegit, et instanti morte prædicta illum deserit; 771—788. Postea magno tremore campus concutitur, ac dehiscens terra Amphiaraum absorbet; 789—823.

ATQUE ea cunctantes Tyrii primordia belli
Juppiter haud æquo respexit corde Pelasgos,

1. *Atque ea cunctantes.* Describitur Jovis iracundia: allocutio ad Mercurium, ut Jovis minas nuntiet Marti, et accuset eum quod patiatur Græcos apud tumulum Archemori voluptatibus occupari; et ut eos furoris stimulis Mars armet ad bellum. — *Cunctantes primordia.* Pro cunctantes in primordiis, poetice dixit. Sic Thebaid. III, 719: « cunctari paratus. » Ubi conf. not. imm. præced. pag. 351. ED. — *Tyrii.* Thebani.

2. *Juppiter haud æquo respexit corde.* Opt. cod. Barthii *æqua respexit mente.* — *Pelasgos.* Argivos.

Concussitque caput; motu quo celsa laborant
Sidera, proclamatque adici cervicibus Atlas.
Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum :
« I, medium rapido Borean illabere saltu
Bistonias super usque domos, axemque nivosi
Sideris; Oceano vetitum qua Parrhasis ignem
Nubibus hybernis et nostro pascitur imbri.
Atque ibi seu posita respirat cuspide Mavors,

3. *Concussitque caput*, etc. Virgil. Æneid. X, 115: « totum nutu tremefecit Olympum. » Vide quæ ad hunc locum de tumore Papiniano dicuntur; nost. ed. tom. IV, pag. 18. Conf. etiam Catull. Carm. LXIII, 204 et 205. Ed.

4. *Proclamatque a. c. Atlas*. Reg. B, *Athlans* exhibet. — *Adici*. Pro adjiei: et supple, pondus aliquod novum, et sibi intolerabile. Plures ejusmodi defectus sunt in Statio, qui obscuritatem induxerunt. — *Atlas*. Atlas cælum ferre creditus. Vide Theb. I, 99 et notata ad vs. 15 Cæsii Taurini Voti Fortunæ Prænestinæ; Poet. Latin. Min. nost. edit. tom. III, pag. 317. Ed.

5. *Tegees alumnum*. Mercurium Arcadem. Tegea enim urbs Arcadiæ, bello quondam clara, ubi Achæi conventus aliquando egerunt, quum adversus Lacedæmonios bellum gererent. Virg. Georg. I, 18: « Adsis, o Tegeæe favens. » Hod. *Moklia* vel *Palæo-Tripolizza*. Ed.

6. *Medium rapido Borean illabere saltu*. Lang. et nonnulli *Boreamque elabere saltu*; Dan. Petav. Bernartii, Plant. Lindenbrog. et Amstel. *Boreamque illabere saltu*. Nostram lectionem exhibet optimus Barthianus. — *Borean* (*Boreamque*) *illabere*. Codex Buslidianus, duoque optimi: « *Borean inlabere*. Cæteri quoque fere *Borean illabere*. Nec mutari hoc verbum patitur τὸ *medium*. Bene penitus in Septemtrionem. Gronov.

7. *Bistonias super usque domos*. Reg. B, *Bistonias puer usque domos* habet; Reg. C, nost. lect. Ed. — *Bistonias*. Thracias, a Bistonibus Thraciæ populis.

8. *Oceano vetitum qua Parrhasis ignem*. Reg. B, *Pharrasis* exhibet; Reg. C, *Parrasis*. Ed. — *Oceano vetitum*. Supple, mergi. Vide quæ diximus ad Theb. III, 684, 685, et inprimis Excursum ad calcem ejusdem tertii libri, præcedent. tom. pagin. 365. Ed. — *Parrhasis*. Ursa, sidus septemtrionale, in quod mutata Calysto Lycaonis filia: quæ *Parrhasis* dicitur a Parrhasiis populis et oppido Arcadiæ.

9. *Nubibus hybernis et nostro pascitur imbri*; scil. cælesti liquore, non marino, ut cætera sidera, secundum opinionem quorumdam Philosophorum, qui affirmabant solem ac sidera aquis Oceani pasci.

10. *Atque ibi seu posita*. *Atque ubi* margo ed. Barth. Aldd. Colin. et Basil. — *Atque ubi se posita*. Pauxilla menda, quam alienam a Poetæ mente sententiam efficit! libri ca-

Quanquam invisa quies; seu, quod reor, arma tubasque
Insatiatus habet, caræque in sanguine gentis
Luxuriat; propere monitus iramque parentis
Ede, nihil parcens : nempe olim accendere jussus
Inachias acies, atque omne quod Isthmius umbo
Distinet, et raucæ circumtonat ira Maleæ.
Illi vix muros limenque egressa juventus
Sacra colunt : credas bello rediisse, tot instant
Plausibus, offensique sedent ad justa sepulcri.

lamo exarati : *Atque ibi seu posita respirat cuspide Mavors* (*Quanquam invisa quies*) *seu quod reor*, etc. quod audacter expressi. BERNART.

14. *Nempe olim accendere jussus.* Hoc vidimus Theb. III, 229, et sequentibus.

15. *Inachias.* Argivas. — *Isthmius umbo.* Fauces enim seu angustiæ Isthmi multum exsuperant altitudinem maris, unde *Isthmius umbo* appellatur; aliter Ionium ac Ægæum Mare miscerentur. Vide Theb. I, 120, et ibi notata, tom. præced. pag. 30, 31. ED.

16. *Distinet, et raucæ*, etc. *Detinet* Aldd. Colin. et Basil. *Destinet* unus Behot. *Distinet* alter Behot. plerique et recentt. — Regg. B et C, *Destinet* exhibent. ED. — *Distinet*, dividit ac separat. Virgilius, Æneid. XI, 381 : « Dum distinet hostem Agger murorum. » Avienus Orbis Descriptione : « Unus utramque salis fluctus secat, et procul unum Distinet os ambas. » Lucretius De Rerum Nat. V, 204 : « Et mare quod late terrarum distinet oras. » Lucanus Phars. IV, 674 : « vasti plaga fervida regni Distinet Oceanum. » Ut « transtinet commeatus trans parietem » Plauto, Mil. act. II, sc. 5, 58; et *continet*, hoc est, patet, extenditur, continuatur, et *pertinere* frequens Cæsari pro extendi, porrigi; sic in contrarium *distinere*. Nam et ista, licet οὐδετέρως efferantur, tamen dici cœpta sunt per intellectum τοῦ *se*. Notavit et Bernartius. GRONOV. — *Circumtonat ira Maleæ*. Fragorem maris exprimunt sic poetæ. Ovid. Metam. I, 187 : « Qua Nereus totum circumtonat orbem. » Ubi vid. notata, nost. ed. tom. III, p. 72. ED. Avienus Descrip. Orb. Terræ, v. 149 : « trina hæc pelagi circumtonat unda. » Vid. Poet. Lat. Min. nost. ed. tom. V, p. 128. Claud. X, de Nupt. Hon. et Mar. 133 : « Concha Libycum circumtonet æquor. » — *Maleæ*. Vide Thebaid. I, 100, et Excursum ad calcem ejusdem libri tom. præced. pag. 128. ED.

17. *Illi vix muros*, etc. *Illuc vix* Behot. 1, *Illic vix* Venett. Aldd. Colin. et Plaut. *Illi* Behot. 2, Lang. Buslid. plerique et recentt.

18. *Sacra colunt*. Id est, ludos sacros celebrant.

19. *Offensique sedent ad justa sepulcri*. Lang. Buslid. Behott. 1, 2, Aldd. et plerique *busta sepulcri*; Dan. Petav. Lindenbrog. Cruc. et

Hicne tuus, Gradive, furor? sonat orbe recusso
Discus, et OEbalii coeunt in prælia cæstus.
At si ipsi rabies, ferrique insana voluptas
Qua tumet; immeritas cineri dabit impius urbes,
Ferrum ignemque ferens, implorantesque Tonantem
Sternet humi populos, miserumque exhauriet orbem.
Nunc lenis belli, nostraque remittitur ira.
Quod nisi præcipitat pugnas, dictoque jubentis
Ocyus impingit Tyriis Danaa agmina muris,
Nil equidem crudele minor; sit mite bonumque

receutt. *justa sepulcri.* — *Offensique sedent ad busta sepulcri.* Archemori scilieet. Offensi, vel in via reperti, vel irati, uude sacra instituta, Indique, quibus maues ejus placarentur. *Justa*, uou *busta*, ut in melioribus est. Ludorum funebrium sollemnia. GRONOV.

20. *Sonat orbe recusso.* Nonnulli codd. Barthiaui: *orbe retuso.*

21. *OEbalii.* Lacouici, seu Spartani: Spartani enim cæstuum ludo dediti.

22. *At si ipsi rabies*, etc. *At si ipse rabies* uuus Barthii; *At sic ipsi rabies* alter ejusdem; unde ille: *Siccane ei rabies.* Deinde optimæ membranæ habent: *ferri si sana cupido;* quod idem Barthius mutavit in *ferri si tanta cupido.* — *Insana voluptas.* Deest *fuerit.*

23. *Qua tumet; immeritas.* Reg. B, *iãmeritas* habet, id est, *jam meritas.* ED.

24. *Implorantesquc Tonantem.* Quod minime faciebaut tunc Argivi et Thebaui, sed suis viribus confidebant, ideoque Jovem habebant iratum.

25. *Sternet humi popul.* Floreutes in miseriam projiciet. — *Exhaurict.* Hominibus occisis spoliabit.

26. *Nune lenis belli. Nunc lenis bellis* Lang. Buslid. Lipsian. Aldd. et Plant. *belli* Venett. Dau. Petav. Lindeubrog. et recentt. — *Nostraque remittitur ira.* Id est: Quod irati sumus.

27. *Quod nisi præcipitat pugnas. Quod nisi præcipitet* unus Behot. Dan. Petav. Aldd. Colin. et Plant. *Quod nisi præcipitat* Lang. Buslid. alter Behot. optimæ Barthii membranæ, Amstel. Gronov. Barth. et Delph.

28. *Ocyus impingit Tyriis Danaa. Ocyus impingat* Dan. Petav. Aldd. Col. et Plant. *Ocyus impingit* Lang. Buslid. Lipsian. Behott. 1, 2, Lindenbrog. Gronov. Barth. et Delph. *Dancia* unus Behot. — *Ocyus impingit Tyriis*, etc. Imitatur hunc Virgilii locum, Æneid. V, 804 et seq. « quum Troia Achilles exanimata sequeus impiugeret agmiua muris. » Ad quem vide not. uost. edit. tom. III, pag. 81. ED. — *Tyriis.* Thebanis. — *Danaa.* Argiva, seu Peloponnesia.

29. *Nil e. c. m. sit mite.* Ald. Colin. et Basil. *sic mite.* Veram hanc Papinii lectionem esse, ne Carnea-

Numen, et effreni laxentur in otia mores.
Reddat equos, ensemque mihi, nec sanguinis ultra
Jus erit: adspiciam terras, pacemque jubebo
Omnibus; Ogygio sat erit Tritonia bello. »
  Dixerat, et Thracum Cyllenius arva subibat:
Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ
Tempestas æterna plagæ, prætentaque cælo
Agmina nimborum, primique Aquilonis hiatus
In diversa ferunt: crepat aures grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.

des quidem dubitaverit, qui dubitare in omnibus solet. Vulgata sine dubio depravate: *sic mite*. Bern. — *Nil equidem crudele minor.* Nil minor illi quod crudele sit, id est, Marti: sed bonum et mite numen efficiam. Minatur Juppiter se Martem mitem efficere, quod scit cruento numini esse contrarium, ut mores illi, qui infreni esse consueverant, otii languore torpescant, et sit numen ejus mite: grave enim malum est: facit enim bonum a suo instituto traducere. Lactant.

30. *Effreni mores.* Nulla ratione unquam moderati. Virgil. Georg. III, 381 et seq. « Talis Hyperboreo septem subjecta trioni Gens effrena virum Rhipæo tunditur Euro. »

31. *Red. eq. ensemque mihi.* Omnes codd. Barth. *ensesque mihi.* — *Reddat equos, ensemque mihi.* Singuli enim Dii sua officia muniaque habebant.

32. *Adspiciam terras.* Tam mite enim placidumque Jovis numen, ut solo adspectu pacem daturus sit omnibus rebus humanis.

33. *Ogygio.* Thebano.

34. *Dixerat, et thracum*, etc. Unus Behot. *at Thracum.* — *Cyllenius.* Mercurius.

35. *Atq. i. Arctoæ labent. card. portæ.* Aldd. Colin. Gryf. et Bas. *labentem in cardine.* Pro *Arctoæ* Behott. 1, 2, habent, *hybernæ.* — *Labentem.* Intrantem portas septemtrionis. Lactant. — *Arctoæ cardine portæ.* Quatuor præcipuæ mundi partes *Cardines* vocantur, ut Oriens, Occidens, Meridies, et Septemtrio. Rursus, quia cardo portæ est, sumit hic *portam Arctoam* pro tractu Septemtrionali, quia Septemtrio, ut jam diximus, Græcis vocatur Arctos.

36. *Prætenta.* Circumfusa, adjacentia. Lactant.

37. *Agmina nimborum.* Infinitus numerus nubium. — *Aquilonis hiatus.* Bene *hiatus:* venti enim depinguntur ore aperto et hianti.

38. *Crepat aures grandine multa.* Regg. B et C, *aurea* exhibent. Ed.

39. *Palla.* Palla proprie erat vestimentum muliebre; sed eodem et Apollo utitur. Tibull. III, 4, 35: « Ima videbatur talis illudere palla. » De hoc loco vid. not. nostri Tibull. pag. 211; adi etiam quæ enarrantur ad v. 224, Claud. I, in Prob.

Hic steriles delubra notat Mavortia silvas,
Horrescitque tuens; ubi mille furoribus illi
Cingitur adverso domus immansueta sub Hæmo.
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina; ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur adversum Phœbi jubar, ipsaque sedem
Lux timet, et dirus contristat sidera fulgor.
Digna loco statio: primis salit Impetus amens
E foribus, cæcumque Nefas, Iræque rubentes,
Exsanguesque Metus; occultisque ensibus adstant
Insidiæ, geminúmque tenens Discordia ferrum.

et Olyb. Cons. nost. edit. tom. I, pag. 127. En. — *Protegit*. Tuetur. — *Galeri*. Pilei. Lactant.

40. *Steriles*. Bellum enim omnia vastat et diripit. — *Delubra notat Mavortia silvas*, etc. Thracia sedes Martis propria Homer. Odyss. θ, 361; Virg. Æneid. III, 13; Sil. Ital. I, 433; Claud. III, in Rufin. lib. I, 338: « Thracas defende tuos. » Eo.

41. *Illi*. Alii codices, *illic*; supple in monte. — *Illi*. Marti.

42. *Cingitur adverso domus*, etc. De hoc loco videsis notata ad vs. 1 Varronis Atacini Fragm. IV; Poet. Lat. Min. tom. IV, pag. 575 et 579. — *Hæmo*. Monte Thraciæ altissimo. Vide Thebaid. IV, 652, et ibi notata, tom. præcedent. pag. 443; hod. *Balkan* seu *Emineg-dag*. Ed.

43. *Ferrea c. l. ferro arcta teruntur*. Lipsian. et Venett. *atra teruntur*. — Reg. B, *ferro apta teruntur* habet; Reg. C, *alta teruntur*. Ed. — *Ferrea compago laterum*. Bene in descriptione palatii Martis, qui bello præest, adjecit omnia fuisse ex ferro constructa: quum ferrum sit præcipuum belli instrumentum.

45. *Læditur adversum Phœbi jubar*. Offuscatur Phœbi jubar: id est, splendore ferri repercutitur.

46. *Et dirus contristat sid. f.* Dan. et Put. *durus contristat*.

47. *Digna loco statio*. Quidam codices, *Digna Deo*. Apposite autem in foribus, vel in ipsis ædibus Martiis, posuit Poeta ea quæ sunt belli causa, vel quæ fiunt in ipso bello, vel quæ consequuntur ipsum bellum; imitatus Virgilium, qui Æneid. VI, posuit in aditu Inferorum, vel vicina morti, aut quæ post mortem fiunt, aut quæ sunt in ipsa morte. — *Impetus amens*, etc. Singulis ministris Martis dedit epitheta quam convenientissima. — *Impetus*. Præceps audacia sine ratione. Claudian. I, in Prob. et Olybr. Cons. v. 77 et sqq. « Famuli currum junxere volantem, Impetus horribilisque Metus, qui semper agentes Prælia, cum fremitu Romam comitantur anhelo. » Barth.

50. *Geminumque tenens Discordia ferrum*. Mirum; geminum dixit ferrum tenere Discordiam, quæ semper solet duorum inimicitia vel

Innumeris strepit aula Minis : tristissima Virtus
Stat medio, lætusque Furor; vultuque cruento
Mors armata sedet : bellorum solus in aris
Sanguis, et incensis qui raptus ab urbibus ignis.
Terrarum exuviæ circum, et fastigia templi
Captæ insignibant gentes, cælataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinæ,
Et vacui currus, protritaque curribus ora.
Pæne etiam gemitus; adeo vis omnis, et omne
Vulnus! ubique ipsum, sed non usquam ore remisso
Cernere erat : talem divina Mulciber arte

mortibus gratulari. Sive propter fratres : quia in hoc bello maxime fratrum discordia præliatur. Lact.

51. *Tristissima Virtus.* Etsi in pugna maxime eniteat virtus, seu fortitudo, *tristissimam* tamen vocat ob effusum sanguinem; dum furor ob easdem strages *lætus* est.

53. *Armata.* Quia in bello vita armis eripitur.

55. *Terrarum exuviæ*, etc. Tangit morem victorum, quo arma bellicaque instrumenta hostibus erepta in templis viseuda proponuntur, ut signa victoriæ ac triumphorum. Sic Virg. *Æn.* VII, 183 et sqq. « multaque præterea sacris in postibus arma, Captivi pendent currus, curvæque secures, Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra, spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis. » Ad quem locum not. videre operæ pretium est nost. ed. tom. III, p. 275. Ed.

56. *Captæ insignibant gentes.* Reg. B, *insignabant* habet cum litera *i* super *a* scripta; Reg. C nost. lect. Ed. — *Captæ insignibant gentes.* Et hoc ex more, ut fastigiis templorum gentes victæ cælarentur. Vel hic *captæ gentes* significant insignia victarum gentium, ut signa, vexilla.

58. *Ora.* Mortuorum capita.

59. *Pæne etiam gemitus : adeo vis omnis, et omne. Pone etiam* uterque Behot. et nonnulli Barthiani. *Pene* pro v. l. in marg. Behot. 2, *omnis ad omne* Barthius, qui in Advers. legerat etiam : *aderat vis omnis et omne.* — *Pæne etiam gemitus.* Ut superiori versu capita mortuorum exposita dixit, sic innuit tanto artificio hæc omnia effecta fuisse, ut etiam ipsi gemitus pæne audirentur. Cæterum hunc versum et quatuor sequentes rejicit ut supposititios Guyetus, nullumque ait ex iis bonum sensum erui posse : in quo fallitur; optimus enim est.

60. *Ubique ipsum, sed non usquam ore remisso.* Idem Barthius : *sed non usque ore.* — *Ubique ipsum.* Subaudis, « Martem putares : « ubique simulat, nusquam tamen hilariore vultu conspicitur. Lactant.

61. *Mulciber.* Vulcanus Deorum faber. — *Mulciber arte.* Vulcani Architectura omnium domuum di-

Ediderat: nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.
Quærere templorum regem vix cœperat ales
Mænalius, tremit ecce solum, et mugire refractis
Corniger Hebrus aquis: tunc quod pecus utile bellis
Vallem infestabat, trepidas spumare per herbas,
Signa adventantis; clausæque adamante perenni
Dissiluere fores: Hyrcano in sanguine pulcher

vinarum tribuitnr. De Regia Solis Ovidius Met. II, 5 et seqq. « Materiem snperabat opns! Nam Mulciber illic Æquora cælarat, medias cingentia terras Terrarumque orbem, cælnmque quod imminet Orbi. » De Veneris, Claudianus, X, Nuptiis Honorii, 58 et seq. « Mulciber, ut perhibent, his oscula conjugis emit Mœnibus, et tales uxorius obtulit Arces. »

62. *Nondum radiis monstratus adulter*, etc. Tangit fabulam, qna Mars, deprehensns a Sole in adulterio cnm Venere uxore Vulcani, expositns fuit omnium Deorum conspectui, lecto in quo adulteri jacebaut undique cincto subtilissimis catenis a Vulcano fabricatis. Vide Ovidium Met. IV.

64. *Ales Mænalius.* Mercurius Areas, a Mænalo moute Arcadiæ sic dictus.

65. *Tremit ecce solum, et mugire refractis.* Put. *mugibere refractis.* — *Tremit ecce solum.* Adventantibus Diis ad snas sedes, hæc loca movebantur, seu tremebant. Silv. I, 2, 222 et seqq. Epith. Stellæ; « Huic Lycii montes, gelidæque umbracula Thymbræ Et, Parnase, sonas; illi Pangæa resnltant, Ismaraque. » — *Mugire refractis.* Eleganter sonus rei indicatnr. Cornua autem flnvio de more poetarum tribuuntnr, quia nempe, ubi oriuntur, flumina pluribus rivis conflnentibus mugire solent. Id indicat Ovid. Met. XIII, 889 et seq. de Aci: « Fitque color primo turbati flnminis imbre, Purgaturque mora; tnm moles fracta dehiscit Vivaque per rimas, etc. » BARTH.

66. *Cornig. Heb. a. t. quod pec. ut. bellis.* Reg. B, *utile bello* habet; Reg. C nost. lect. En. — *Hebrus.* Thraciæ fluvius rapidissimus aureas arenas volvens, cnjus ortus est in Rhodope monte, snpra Philippopolim: effnnditur in mare Ægænm e regione Samothraciæ insulæ: dicitur *corniger*, quia fluvii tauriformes sunt. Nunc *la Mariza.* ED. — *Pecus utile bellis.* Eqni. De Hebri planitie eqnis apta, quod Statius hic innuit, vide Bellonium. BARTH. —Hic autem versus tresque seqnentes suspecti Guyeto.

67. *Trepidas spumare per herbas Signa adventantis.* Id est, spuma dabat signa adventus ejus, vel spumabat, quod erat signum adventantis Martis.

69. *Dissiluere fores.* Patuere Deo adventante. — *Hyrcano in sangnine pulcher.* Horatius, lib. II, Od. 1, v. 22: « Non indecoro pnlvere sordidos. » — *Hyrcano.* Quasi Mars

Ipse subit curru, diraque adspergine latos
Mutat agros: spolia a tergo, flentesque catervæ.
Dant silvæ, nixque alta locum: regit atra jugales
Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat
Cuspide: diriguit visu Cyllenia proles,
Submisitque genas: ipsi reverentia patri,
Si prope sit, dematque minas, nec talia mandet.
« Quod Jovis imperium? magno quid ab æthere portas?
Occupat Armipotens: neque enim hunc, germane, sub axem
Sponte venis, hiemesque meas, cui roscida juxta
Mænala, et æstivi clementior aura Lycæi. »

vicisset Hyrcanos. De Hyrcania vide lib. VI sup. 598.

70. *Ipse subit curru, diraque adspergine latos. Ipse subit currum* Aldd. Colin. et Basil. Optimus codex Barthii: *aspergine lætos*, quod illi placet. — *Dira adspergine*. Humano sanguine.

71. *Spolia a tergo, flentesque catervæ*. Describit Martem intrantem more triumphantium, post quos curru vectos spolia hostibus erepta ferebantur, incedebantque captivi.

72. *Nix alta locum*. Adveniente Deo, omnia quæ in medio sunt, locum dare necesse est. LACTANT.

73. *Bellona*. Bellona soror et auriga Martis. — *Sanguinea manu*. Atrox illud nomen sanguine ubique gaudebat; ut in sacris mos servabatur elicito sanguine eam colendi. Lactant. l. I, c. 20. Eamdem Bellonam vocant, in quibus sacris ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exsereutes currunt, efferuntur, insaniunt. De Bellona et Marte, lege Speculationem Cornuti cap. 21. BARTH. — Conf. Sil. Ital. Punic. V, 220 et vid. ad hunc locum not. nost. edit. tom. I, pag. 310; adi etiam Theb. IV, 6; tom. præced. pag. 371. ED.

74. *Cyllenia proles*. Mercurius, in Cyllene monte Arcadiæ natus.

75. *Ipsi reverentia patri, Si prope sit*. Id est, ipse Juppiter revereretur ac formidaret Martem, si illum in tali habitu cerneret.

76. *Nec talia mandet*. Si adventum Martis talem juxta Jovem casus afferret, multa de ira sua, et mandatorum acerbitate minuisset. LACTANT.

77. *Quod Jovis imperium*. Allocutio Martis interrogantis Mercurium, qualia ad se Jovis mandata portaret. LACTANT.

78. *Occup. Arm. neque enim hunc, germane, sub axem*. Unus Behot. *neque enim hunc modo in aera velox*. — *Occupat armipotens*. Interrogando Mars prævenit. LACTANT.

80. *Mænala.... Lycæi*. Mænala et Lycæus montes Arcadiæ amœnissimi.

Ille refert consulta patris : nec longa moratus,
Sicut anhelabant juncto sudore volantes
Mars impellit equos, residesque in prælia Graios
Ipse etiam indignans : vidit pater altus, et ira
Jam levior, tardo flectebat pondere vultum.
Ut si quando ruit, debellatasque reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque jacentem
Exanimis jam volvit hiems : nondum arma carinis
Omnia, nec toto respirant pectore nautæ.
Finierat pugnas honor exsequialis inermes,
Nec dum aberant cœtus, cunctisque silentibus heros
Vina solo fundens cinerem placabat Adrastus

81. *Moratus.* Nulla mora discit patris præcepta. LACTANT.

82. *Juncto sudore.* Priore et sequente.

83. *Residesque in prælia Graios.* Reg. B, *residens in prælia* habet; Reg. C, nost. lect. ED.

84. *Ira.* Rectius *iræ*. Peyraredus.

85. *Tardo flectebat.* In eodem Behot. codice : *tarde flectebat.* — *Tardo flectebat pondere vultum.* Id est, tarde submittebat vultum : irati enim et iracundi sunt ὑψαύχενες.

86. *Ut si quando ruit, debellatasque reliquit. Ut, si quando redit* Barthius ex optimis membranis. *Relinquit* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Lindenbrog. et Cruc. — Sic fere apud nostratem VOLTAIRE, *Henriade*, chant VI, 336 : « Semblable « à l'Océan qui s'appaise et qui « gronde. » Conf. Claud. nost. ed. tom. I, pag. 144, vid. etiam not. ad Theb. I, 479, tom. præced. pag. 87. ED.

87. *Pax ipsa tumet.* Ipsa tranquillitas inquieta. LACTANT. — Videsis not. ad Sil. Italic. Punic. VI, 168; nost. edit. tom. I, pag. 361. Sic Valer. Flacc. Argon. IV, 20 : « tandem fessis pax reddita silvis, Fluminaque, etc. »

88. *Exanimis jam volvit hiems : nondum arma carinis.* Put. *arma quiescunt.* — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nost. ED. — *Exanimis.* Sine vento, id est, reliquiæ tempestatis licet sint sine flatu ventorum, tamen adhuc exagitant mare. LACTANT. — *Nondum arma carinis Omnia.* Id est, nondum instrumenta navis sunt in eo ordine ac loco quo esse debent.

89. *Nec toto*, etc. Quia timor contrahit diaphragma, unde crebrior ac difficilior respiratio.

90. *Pugnas inermes.* Sic vocat ludicra certamina.

91. *Nec dum aberant cœtus. Nondum aberant* unus Behot.

92. *Vina s. f. cin. placabat Adrastus.* Dan. Petav. et Behot. 2, *pacabat Adrastus.* Hoc receperunt Lindenbrog. et Cruc. — *Vina solo fundens, cinerem placabat Adrastus Archemori.* Virgil. Æneid. V, 77 :

Archemori : « Da, parve, tuum trieteride multa
Instaurare diem ; nec saucius Arcadas aras
Malit adire Pelops, Elæaque pulset eburna
Templa manu ; nec Castaliis altaribus anguis,
Nec sua pinigero magis adnatet umbra Lechæo.
Nos te lugenti, puer, inficiamur Averno,
Mœstaque perpetuis sollemnia jungimus astris;

« Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi. » Fundit autem Archemoro vinum ut Deo, non ut mortuo. Mortuis enim non licebat vinum libare, teste Servio ad Virgilium.

93. *Trieteride multa.* Ludi enim Nemeæi tertio quoque anno redibant.

94. *Instaurare diem.* Dicit Noster exemplo Virgilii, Æneid. IV, 63 : « instauratque diem donis. » Ad quem vid. not. nost. edit. tom. II, pag. 484. En. — *Nec saucius Arcadas aras Malit adire Pelops.* Innuit Olympicos ludos ob vicinitatem Arcadiæ, qui ludi primum in honorem Pelopis instituti ab Hercule, ut diximus initio lib. præced. — *Saucius.* Pelops scilicet, qui a patre Tantalo numinibus epulandus est appositus.

95. *Malit. ad. Pel. Mallet adire* unus Behot. — *Elæaque pulset.* Id est, Græciæ ; ubi ludi funebres et Olympicus institutus est agon, in quo certamine oleastro victores coronari consueverunt.

96. *Nec Castaliis altarib. anguis.* Anguis Python : quo occiso ab Apolline instituti ludi Pythii. Fingit Poeta ipsum Pythonem interesse ludis suis, quoties celebrarentur, quia in Pythiis, ut ait Clemens Alexandrinus, Pythius draco colebatur, et serpentis causa institutus conventus vocabatur Pythia.

97. *Nec sua pinigero m. adn. umb. Lechæo. Nec sua pinifero* unus Behot. *Lycæo* Behott. 1, 2, Dan. nonnulli Barthiani, Aldd. Colin. plerique et Gevart. *Lechæo* optimæ Barthii membranæ, Amstel. Gron. Barth. et Delph. — *Nec sua pinigero magis adnatet umbra Lechæo.* Per *umbram*, hic intelligit Poeta manes Palæmonis, quos fingit redire ad Lechæum, portum quondam Corinthiorum, hodie *Alica*, in Isthmo, tempore celebrationis ludorum Isthmiorum sibi dicatorum. — *Pinigero.* Quia multæ pinus in Isthmo ; unde pinea corona apud Isthmum victores coronati, ob copiam ejusce arboris.

98. *Nos te lugenti, puer, inficiamur Averno.* Id est, quum te Deum agnoscamus ac colamus, nos te mortuum inficiamur, negamusque subiisse Inferos.

99. *Mœstaque perpetuis sollemnia jungimus astris. Festaque perpetuis solennia jungimus aris* Dan. *aris* etiam uterque Behot. — *Mœstaque perpetuis sollemnia jungimus astris.* Id est, te Deum prædicamus, dum ludos sollemnes, qui tantum numinibus debentur, in tuum honorem celebramus. — *Perpetuis.* Id est, perpetuo ævo. Guyetus.

Nunc festina cohors: at si Bœotia ferro
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris,
Tunc Deus; Inachias nec tantum culta per urbes
Numina, captivis etiam jurabere Thebis. »
Dux ea pro cunctis: eadem sibi quisque vovebat.
Jam pronis Gradivus equis Ephyræa premebat
Litora, qua summas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, et alterna geminum mare protegit umbra.
Inde unum dira comitum de plebe Pavorem
Quadrupedes anteire jubet: non alter anhelos
Insinuare metus, animumque avertere veris

100. *At si Bœotia ferro.* *Boëtia* uterque Behot. — Reg. B, *ac si Bœotia*, cum litera *t* supra *c* alia manu scripta; Reg. C, *Boetia* habet. Ed. — *Bœotia*. Thebana. Thebæ enim caput Bœotiæ.

102. *Per urbes.* Promittit Adrastus se numen Archemori omnibus Græciæ civitatibus indicaturum: non solum liberis, verum etiam bello victis. Lactant.

103. *Captivis jurabere Thebis.* Per Deos enim juratur. — Luc. Phars. IX, 601 et seq. « Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris Roma tuis; per quem nunquam jurare pudebit. » Conf. etiam Claud. VIII, de IV Cons. hon. v. 448. Ed.

104. *Eadem sibi quisque vovebat.* Behott. 1, 2, Lang. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Basil. et Plant. *quisque volebat.* — *Sibi quisque volebat.* Quum sententiam considero, melius judico, certè clarius: *eadem sibi quisque vovebat.* Bernart.

105. *Jam pronis Gradivus.* *Jam pronus* Put. — *Ephyræa.* Corinthiaca: Corinthus enim Ephyre prius vocata.

106. *Acrocorinthus in auras.* Unus Behot. *achorintus in auras.* — *Acrocorinthus.* Mons Peloponnesi altissimus in Isthmo, ad cujus radicem in plano, instar mensæ, sita est Corinthus, habens in vertice ædem Veneri sacram; infra verticem, Pyrenen fontem Musis sacrum: prospectat duo maria, Ionium scilicet et Ægæum.

107. *Alterna umbra.* Alternis enim projicit umbram, in Ionium quidem matutino tempore, in Ægæum vero vespertino.

108. *Inde unum dira*, etc. Claudian. XX, in Eutrop. lib. II, v. 470: « geminantur vera pavoris ingenio. » Ad quem vid. not. nost. edit. tom. I, pag. 606 — *Pavorem.* *Pavor* Nostro Theb. III, 425, Martis armiger: « Frena ministrat equis Pavor armiger. » Ubi notata videnda sunt, tom. præced. pag. 317 et seq. Ed.

110. *Animumque avertere veris.* Put. *animoque avertere vires;* quod pro vero amplectendum putat Lindenbrogius. — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. Ed. — *Insinuare metus.* Belli exordia et præcursiones sunt horrenda pro-

Aptior : innumeræ monstro vocesque, manusque,
Et facies quæcunque libet : bonus omnia credi
Auctor, et horrificis lymphare incursibus urbes.
Si geminos soles, ruituraque suadeat astra,
Aut nutare solum , aut veteres descendere silvas,
Ah! miseri vidisse putent : tunc acre novabat
Ingenium : falso Nemeæum pulvere campum
Erigit : attoniti tenebrosam a vertice nubem
Respexere duces : falso clamore tumultum
Auget, et arma virum, pulsusque imitatur equorum,

digia, omoium animos occulto metu torquentia.

111. *Vocesque, manusque.* Quibus impellat homines in metum et furorem.

112. *Et facies quæcunque libet.* Optimæ Barthii membranæ : *quascunque libet;* Put. *quamcumque libet.* — Reg. B, *Et facies quamcumque velit;* Reg. C uost. lect. habet. Ed. — *Bonus omnia credi Auctor.* Pavor est idoneus auctor ad omnia credeuda : quo faciente impossibilia interdum etiam credimus : nihil enim est quod uon credat homo in pavore. Lucanus Phars. I, 484 et seq. « sic quisque pavendo Dat vires famæ : ulloque auctore malorum Quæ finxere timent. » Descriptioni huic Pavoris junge quæ dicit Virgilius, Æn. IV, de Fama, et de eadem Valerius Flaccus, Argon. lib. II.

113. *Lymphare.* Id est, in furorem vertere, verbo deducto a Nymphis seu Lymphis; unde *Lymphatici*, et *Lymphati* Latinis, Græcis νυμφόληπτοι. Festus : « Vulgo autem memoriæ proditum est, quicunque speciem quamdam e fonte, id est, effigiem Nymphæ viderint, furendi uon fecisse finem : quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini *lymphatos* appellant. »

115. *Aut nutare solum. Aut mutare solum* Lang. Buslid. Lipsian. Aldd. nonnulli et Plaot.

116. *Ah! miseri vidisse putent : tunc acre novabat. Ha miseri* Liodenbr. et Cruc. *tunc arte novabat* Buslid. *tunc ære novabat* uterque Behot. — Reg. B, *A miseri vidise putant* cum litera *s* supra scripta; Reg. C nostram lectionem exhibet. Ed. — *Ah! miseri vidisse putent.* Ad augeodam credulitatem novarum rerum, ita dicta coufirmant, ut quæ pavore mentiuntur, se vidisse affirment. Noster Theb. IV, 376 et seq. « cui uon est scire licentia passim, Et vidisse fuit. » — *Tunc acre novabat ingenium.* Tanquam gladium ad cotem, ut excogitaret aptiores modos ad terrorem Argivis injiciendum.

117. *Falso Nemeæum*, etc. *Nemeum* Behott. 1, 2. — *Falso Nemeæum pulvere campum Erigit.* Tacitus Agric. Vit. cap. 12 : « Extrema et plana terrarum umbra humili non erigunt tenebras.

120. *Pulsusque imitatur equo-*

Terribilemque vagas ululatum spargit in auras.
Exsiluere animi; dubiumque in murmure vulgus
Pendet: « ubi iste fragor, ni fallimur aure? sed unde
Pulvereo stant astra globo? num Ismenius ultro
Miles? ita est; veniunt: tanta autem audacia Thebis?
An dubitent? agedum inferias et busta colamus. »
Hæc Pavor attonitis: variosque per agmina vultus
Induitur, nunc Pisæis e millibus unus,

rum. Lang. Lindenbr. et plerique *cursusque;* Lipsian. nonnulli Barthiani, Behott. 1, 2, Amst. Gron. Barth. et Delph. *pulsusque;* et sic etiam legit Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Proserp. III, 236.

121. *Terribilemque vagas ululatum,* etc. Pugnantium, aut plangentium. Ululatum tristem clamorem indicat.

122. *Exsiluere animi, dubiumque in murmure vulgus. Exsiliere animis* optimus Barthii codex; *dubiumque in murmura* Nic. Heinsius in Advers. pag. 581. — Regg. B et C, *Exiliere* exhibent. Ed. — *Dubiumque in murmure vulgus.* Elegantissime. Vulgus enim vocibus occultis mussitans et murmurans, dubitat quale sit, vel unde sit hoc murmur. Barth.

123. *Ni fallimur aure: sed unde.* Dan. *nisi fallimur.* — Reg. B, *ni fallimur aure, et unde;* Reg. C, *nil fallimur aure; sed unde* habet. Ed. — *Ni fallimur aure; sed unde. Aure* hic posuit, pro auditu, et est oratio se invicem interrogantis. — *Ni fallimur.* Id est, nisi decipimur auditu; et videntur interposita verba pavoris, et quasi respondentis, ut docet ipsa commatica pronunciatio. Denique conclusit *Hæc Pavor attonitis.* Lactant.

124. *Ismenius.* Thebanus ab Ismeno Bœotiæ fluvio.

125. *Tanta autem audacia Thebis.* Lang. Behott. 1, 2, Venett. et plerique *estne audacia;* Buslid. et nonnulli Barth. *est audacia:* Dan. Put. et optimæ Barthii membranæ, *tanta autem audacia.* — Reg. B, *Tantam autem audacia Th.* habet; Reg. C, *audatia* præbet. Ed. — *Tanta autem (est) audacia Th.* Optimi: *tanta autem audacia Thebis?* Eleganti idiotismo. Quasi esset, « itane tanta audacia Thebis? » Gronov.

126. *An dubitent.* Cur non audeant nos aggredi, adeo diu hic desidentes? Nonne satis eis audaciæ facimus, quod non pergimus? Vet. Schol. Optimo sensu. Simplicitas autem pristina bellandi hinc apparet. Quomodo enim non per exploratores hostium motum aut quietem cognitam haberent, si saperent, hæc loquentes? Barth. — *Agedum inferias.* Εἰρωνικῶς. — *Busta colamus.* Ad quæ sacra fuerunt celebrata in honorem Archemori.

127. *Hæc Pavor attonitis. Hic pavor* Venett. Aldd. Colin. et Basil. — *Varios per agmina vultus Induitur.* Ut facilius insinuet ea quæ velit Pavor, indutus vultibus diversarum gentium, agminibus se miscet.

128. *Nunc Pisæis e millibus unus.*

Nunc Pylius, nunc ore Lacon, hostesque propinquos
Adjurat, turmasque metu consternat inani:
Nil falsum trepidis: ut vero amentibus ipse
Incidit, et sacræ circum fastigia vallis
Turbine prævectus rapido, ter sustulit hastam,
Ter concussit equos, clipeum ter pectore plausit;
« Arma, arma, insani: » sua quisque, ignotaque nullo
More rapit, mutant galeas, alienaque cogunt
Ad juga cornipedes; ferus omni in pectore sævit
Mortis amor, cædisque; nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant, redimuntque moras: sic litora vento
Incipiente fremunt, fugitur quum portus, ubique
Vela fluunt, laxi jactantur ubique rudentes;

Unus Behottii *Pisæis nunc e millibus* habet.

129. *Nunc Pylius.* Ex illa civitate. Horat. lib. I, Od. 15, v. 22: « Nestora Pylium. » LACTANT.

130. *Adjurat, turmasque metu consternat inani.* Dan. Petav. Aldd. plerique et Gevart. *consternit;* Behot. 1, *asternit*, et pro v. l. *consternat*, quod exhibent optimæ Barthii membranæ, Amst. Gronov. Barth. et Delph. — *Adjurat.* Pro valde jurat, seu jurejurando confirmat.

131. *Nil falsum trepidis.* Nam qui semel pavore correpti sunt, vanissima quæque, falsaque pro veris accipiunt. — *Ipse.* Mars.

132. *Sacræ vallis. Sacræ*, quia in ea celebrata Archemori sacra.

133. *Turb. prævectus rapido.* Optimus Barthianus, *rabido.*

134. *Ter concussit equos, clipeum ter pectore plausit. Ter contorsit equos* Dan. Petav. nonnulli et Bas. *Ter concussit equos* optimæ Barthii membranæ, Lang. Busl. Put. Amst. Gronov. Barth. et Delph. Vide Dan. Heins. ad Claudian. Rapt. Proserp. II, 122. Optimæ Barthii membranæ: *clypeo ter pectora plausit;* duo alii ejusdem: *clypeum ter pectora plangit.*

135. *Nullo more.* Nulla ratione, nullo discrimine.

136. *Mutant galeas.* Incauti alienas pro suis arripiunt.

137. *Ferus omni in pectore.* Dan. Petav. Laur. Buslid. *omni pectore.*

138. *Mortis amor. Martis amor* Petrens. Taurin. Burm. Petav. nonnulli et edd. vett. probante Burm. *Mortis amor* optimæ Barthii membranæ, Dan. unus Behot. Amstel. Gronov. Barthian. et Delph. Vide Oudendorp. ad Lucan. I, 462, et VIII, 364.

139. *Redimuntque moras.* Quasi accelerando redimerent tempus, quo in celebrandis ludis morati sunt.

140. *Incipiente fremunt.* Vociferatione præparantium navigium perstrepunt litora. LACTANT.

141. *Vela fluunt.* Vento dantur

Jamque natant remi, natat omnis in æquore summo
Ancora; jam dulcis medii de gurgite ponti
Respicitur tellus; comitesque a puppe relicti.
Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
Bacchus iter; gemuit Tyriam conversus ad urbem,
Altricemque domum, et patrios reminiscitur ignes,
Purpureum tristi turbatus pectora vultum;
Non crines, non serta loco; dextramque reliquit
Thyrsus, et intactæ ceciderunt cornibus uvæ.
Ergo ut erat lacrimis lapsoque inhonorus amictu,
Ante Jovem (et tunc forte polum secretus habebat)
Constitit, haud unquam facie conspectus in illa;
Nec causæ latuere patrem, supplexque profatur:
« Exscindisne tuas, Divum sator optime, Thebas?

rursus, rursus panduntur post diuturnam moram in portu.

142. *Jamque natant remi*. Hic versus duoque sequentes Guyeto suspecti. — *Natat omnis*, etc. Sic alligata enim, ut unda eas allnat. Natura enim ferri non fert, ut natet super aquas. — *Dulcis tellus*. Non sentitur ejus dulcedo, nisi quum eam reliquimus. Vet. Schol.

145. *Inachias*. Argivas.

146. *Tyriam*. Thebanam.

147. *Et patrios reminiscitur ignes*. Quia Bacchus natus fuerat inter medios ignes quibus Semele mater ejus conflagravit.

148. *Turbatus pectora vultum*. Regg. B et C, *turbatus pectore vultum* exhibent. Ed.

149. *Non serta loco*. Dan. *non mitra loco*. — *Non serta loco, dextramque reliquit Thyrsus, et intactæ ceciderunt cornibus uvæ*. Repræsentabatur enim Bacchus cum thyrso in manu, et capite redimito hederis et uvis. — *Cornibus*. Quia cornua gestabat Bacchus in fidem generis; nam ab Ammone originem trahebat, ut tradit Diodorus Siculus. — Vide notata ad Virg. Eclog. VI, 16; nost. edit. tom. I, p. 156 et 157. Ed.

150. *Intactæ ceciderunt cornibus uvæ*. Unus Behot. *cecidere a cornibus*.

151. *Inhonorus*. Dedecoratus lacrimis et ornamentis destitutus.

152. *Ante Jovem (et tunc forte*, etc. *Ante Jovem (tunc forte*, etc. Dan. Aldd. plerique et Gevart. *Ante Jovem, et tum* Put. et Venett. *Ante Jovem (et tunc* Lipsian. Laur. Behott. 1, 2. Gron. Barth. et Delph.

153. *Haud unquam facie conspectus in illa*. Barthiani codd. *in ista*. — *Haud unquam facie conspectus in illa*. Solet enim Bacchus depingi hilari vultu. Virgil. Æn. I, 734: « Adsit lætitiæ Bacchus dator. »

155. *Exscindisne tuas*. Liber opti-

Sæva adeo conjux? nec te telluris amatæ,
Deceptique laris miseret, cinerumque meorum?
Esto, olim invitum jaculatus nubibus ignem,
Credimus: en iterum atra refers incendia terris,
Nec Styge jurata, nec pellicis arte rogatus.
Quis modus? an nobis pater iratusque bonusque
Fulmen habes? sed non Danaeia limina talis,
Parrhasiumque nemus, Ledæasque ibis Amyclas.
Scilicet e cunctis ego neglectissima natis

mus: *Exscindensne.* Forte: *Exscindine tuas.* Intellige, patieris. Gron. — *Exscindisne tuas*, etc. Hæc cum Jononis verbis, Virgil. Æneid. I, 35 seqq. et Æneid. VII, 292 seqq. comparare operæ pretium est, etenim ex utroqoe loco Bacchi Jovi supplicis Noster verba finxit. Ed.

157. *Deceptique laris miseret.* Nota fabula, ut Semele fraode Juoonis decepta est, quum ejus consilio petiit a Jove, ut ipse veniret ad se, qua majestate solebat ad Junonem.

158. *Olim invitum jaculatus nubibus ignem.* Dao. et Put. *invitus.* Behot. 1, Petav. plerique et Gevart. *jaculatum.* Vide Gronov. Obss. ad III, 564. — *Invitum jaculatus nubibus ignem.* Ægre enim indulserat Semelæ Joppiter, ut ad eam veniret cum suis insignibus, vimque fulminis diminoerat quantom potuerat.

159. *En iterum atra*, etc. Margo ed. Barth. *en iterata refers.* — *En iterum*, etc. Semel intulisti quum Semele cooflagravit, nuoc iterum relaturus es.

160. *Nec Styge jurata*, etc. *Nec Stygiæ* ed. Liodenbrog. ex errore operarum, quem errorem propagavit etiam Cruceus. — *Nec Styge jurata.* Sicuti tooc, qoum ad Semeleo venisti com fulmine. — *Pellicis arte rogatus.* De hoc loco adi notata nostra ad Olympii Nemesiani Laud. Herculis v. 47; Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. I, pag. 299. De Pellice vide a Scradero enarrata ad hunc Avieni locum Descrip. Orb. Terræ, vs. 204 et seqq. « Sic pectus canduit ira, Pellicis et taoto Divam dolor extulit igni; » Poet. Latin. Minor. oost. edit. tom. V, pag. 140. Ed.

161. *An nobis pater*, etc. Uoos Behot. *ah nobis.*

162, 163. *Danaeia limina.* Behot. 1, *Danaëia;* Behot. 2, *Daneia.* — *Danaeia limina talis, Parrhasiumque nemus, Ledæasque ibis Amyclas.* Respicit fabolas, quibus dicitor Juppiter adiisse loca ibi designata, ut corrumperet Danaën, Calystonem Lycaonis filiam, et Ledam Tyndari uxorem. — *Danaeia limina.* Regiam Danai apud Argos, in cujus turre servata Danae. — *Talis.* Iofensos. — *Parrhasium.* Arcadium, a Parrhasiis oppido Arcadiæ. — Silva, ioqoit Lactantius, ubi Calysto a Jove compressa est, quæ postea *Helice* nomen accepit.

164. *Scilicet e cunctis*, etc. Vide

Progenies? ego nempe tamen qui dulce ferenti
Pondus eram: cui tu dignatus limina vitæ
Præreptumque iter, et maternos reddere menses.
Adde, quod imbellis, rarisque exercita castris
Turba meas acies, mea tantum prælia norunt,
Nectere fronde comas, et ad inspirata rotari
Buxa; timent thyrsos nuptarum, et prælia matrum.
Unde tubas Martemque pati? quin fervidus ecce
Quanta parat? quid si ille tuos Curetas in arma

Excurs. ad calc. hujusce libri. Ed.

165. *Qui dulce ferenti Pondus eram.* Baeehus enim dicitur extractus ex ntero matris ardentis, et Jovis femori iosertus, nt legitimos menses expleret.

166. *Pondus eram.* Qnoniam fulminata matre femori Jovis est insitus. Unde Liber *Bimater* appellatus est; quod duas veluti matres habuit. *Dithyrambus* dictus est, quod velut per duas portas exierit: sed hoc fabulosum intelligitur. Sub bac autem figura mysticum philosophiæ secretum est. Lac. — Dithyrambus etiam dicebatur bymni genus, quod Baccho cani solebat. Erat autem hoc carminis genus ita compositum, ut non tam a sanis et sobriis quam furore Baeehico concitatis videretur scriptum. Ed.

167. *Præreptumque iter.* Ita omnes codd. et libri impressi; Barthius tamen legit: *Præreptumque uterum.* — *Maternos reddere menses.* Hanc locutionem sumsit a Nostro Nemesianus qui Cyneg. v. 19: « Ut pater omnipotens maternos reddere menses Dignatus, justi complerit tempora partus. » Ed.

169. *Mea tantum prælia.* Id est, orgia in quibus Baechæ furentes obvia quæque animalia dilaniabant. Vel alludit ad Agaven et Pentheum, quorum nota fabula. — De boc loco vid. not. Silv. III, 5, 88; nost. edit. tom. I, p. 402. Ed.

170. *Nectere fronde comas.* *Nectere fronte* Put. — *Ad inspirata rotari Buxa.* Noster Silv. II, 7, 7; Genethl. Lueani: « Et tu Bassaridum rotator Evan. » Quia ad tibiæ cantum in orgiis Bacchi saltabant Bacchæ, ac in orbes varios circumagebantur.

171. *Timent thyrsos et prælia matrum.* Quomodo Thebani bella non timeant, qui Baecbantium matrum tbyrsos et prælia timent?

172. *Unde t. M. p.? quin fervidus ecce.* Optimus Barthianus: *fervidus iste.* — *Martemque pati.* Supple: Didicerint.

173. *Quid s. ill. t. Curet. in arma.* *Deos Curetas* Dan. Petav. Lindenbr. et Cruc. *tuos Curetas* Lang. Plant. et cæteri. — *Tuos Curetas.* Curetes sacerdotes Matris Deum, educationi Jovis ab eadem præpositi: ipsis enim mandaverat, ut percuterent tympana, ne vagitus infantis Jovis posset audiri a Saturno, et ille Jovem devoraret, ut fecerat cæteros liberos. Quidam confun-

Ducat? et innocuis jubeat decernere peltis?
Quinetiam invisos (sic hostis defuit?) Argos
Elicis! O ipsis, genitor, graviora periclis
Jussa! novercales ruimus ditare Mycenas.
Cedo equidem: quo sacra tamen, ritusque peremtæ
Gentis? et in tumulos, si quid male fœta reliquit
Mater, abire jubes? Thracen, silvasque Lycurgi?
Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos?

dunt eos cum Corybantibus, Cabiris, Idæis, Dactylis, Telchinibus. Alii cognatos inter se dicunt et modico discrimine distinctos, referente Strabone. Vide Vossium de Idol.

174. *Peltis.* Pelta breve scutum, et fere quadratum, aut folii hederæ figuram præ se ferens, parma brevius et mobilius, Amazonum propria. Thraciæ Peltæ autem erant quadrangulæ.

175. *Invisos Argos.* Propter Junonem quæ Argis favebat. — *Sic hostis defuit.* Interpositio narrationis.

176. *Elicis: o ipsis. Eligis* Petrens. et ita legit Marklandus ad Silv. II, 6, 58. Vid. nost. ed. tom. I, p. 262. Ed. — *Elicis hoc ipsis* Dan. — *O ipsis graviora periclis Jussa.* Nihil enim tam acerbum est, quam perire per professos hostes. Exactor pœnæ gravior interdum est ipsa pœna. Et Poeta videtur habuisse ante oculos illud Demosthenis in oratione de Corona: Πάντων ἀποστερεῖσθαι λυπηρόν ἐστι καὶ χαλεπόν, ἄλλως τε κἂν ὑπ' ἐχθροῦ τῳ τοῦτο συμβαίνῃ. « Omnibus privari luctuosum admodum et grave, præsertim si hoc alicui ab hoste professo contingat. »

177. *Novercales ruimus.* Optimus codex Barthii, *ruimur;* quod ille probat. — Reg. B, *novercales luimus* habet, Reg. C nost. lectionem. Ed. — *Novercales Mycenas.* Ob eamdem rationem quam supra diximus, de invisis Argis, quia Mycenæ erant in tutela Junonis novercæ Bacchi. — *Ditare Mycenas.* Inimicos Argos Thebanorum spoliis ditare. Sensus, melius iratus alios hostes eliceret, ne vos inimicorum faceret prædam. Lactant.

179. *Et in tumulos, si quid male fœta reliquit.* Id est, Semeles fulminatæ reliquias.

180. *Thracen, silvasque Lycurgi.* Notat fabulam, qua Lycurgus Rex Thraciæ, Dryantis filius, nutrices Bacchi in urbe Nisa latitantes persecutus, ipsum Bacchum fugasse fingitur. Bernart.

181. *Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos.* In eodem Barthii codice: *fugiam capiendus ad Indos.* — *Triumphatos Indos.* Vicerat enim Bacchus Indos, et primus triumphasse dicitur elephanto vectus. — *Triumphatos.* In triumphum ductos. Horat. lib. III, Od. 3, 43 et seq. « triumphatisque possit Roma ferox dare jura Medis. » Virgilius, Æneid. VI, 837 et seq. « Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho Victor aget currum. » Lucanus, Phars. II, 90: « Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ. »

Da sedem profugo : potuit Latonia frater
Saxa, nec invideo, defigere Delon, et imis
Commendare fretis : cara submovit ab arce
Hostiles Tritonis aquas : vidi ipse potentem
Gentibus Eois Epaphum dare jura ; nec ullas
Cyllene secreta tubas Minoave curat
Ida : quid heu tantum nostris offenderis aris ?
Hic tibi, quando minor jam nostra potentia, noctes

182. *Da sedem profugo. Da profugo sedem* nnns Behot. — *Potuit Latonia frater*, etc. Virgilium imitatnr Æneid. I, 39 : « Pallasne exurere classem, etc. » Exaggerat hic quid alii fratres sui, et filii Jovis fecerint et potuerint, et quæ ab ipso Jove impetraverint.

183. *Delon*. Delos nunc *Sdilles*, insula inter Cyclades, quam stabilem reddidit Apollo : dicitur *Latonia saxa*, quia in hac insula Latona peperit Apollinem et Dianam.

184. *Commendare fretis*. I. e. imo maris fundo alligare. *Freta* enim proprie maria dicuntur, quæ æstu rapido vicinas terras interfluunt. — *Cara ab arce*. Acropoli Athenarum. — *Cara*. Quia Athenæ in tutela Minervæ erant.

185. *Hostiles Tritonis aquas*. Diluvium a Neptuno inductum. De Athenis contendisse Minervam et Neptunum fabnlantur poetæ, victumque Neptuuum urbem aquis evertere conatum fuisse, Minervam vero aquas repulisse. — *Tritonis*. Sive Tritonia, Minerva. Vide Theb. XII, 639.

186. *Eois*. Ægyptiis ; Ægyptus enim ab antiquis Geographis Asiæ seu Orienti contributa. — *Epaphum*. Epaphus, colebatur ab Ægyptiis. Herodotus hunc confundit cum Apide : hoc etiam legas apud Ælianum lib. XI, Animalium cap. 10. Addit vero Ægyptios hunc sermonem aversari, ut mendacem, quia Epaphus multis post Apim sæculis extiterit.

187. *Cyllene secreta tubas Minoave curat. Cyllenes* Behot. 1, *Cyllene secura* optimus Barthianus. *Minoiave* Behott. 1, 2. — *Cyllene*. Mons Arcadiæ in cujus summo vertice ædes est Mercurii Cyllenii. Nunc *Tricarà*. Ed. — *Minoave curat*. Minos et Rhadamantus Jovis et Europæ filii, Cretensium reges : sed ut conciliet Jovem in amorem Thebarum, memorat quot et quas ipse Rex Deum amaverit mulieres Thebanas ; Alcmenam, Antiopam Nicteidem, postremo Europam, cujus frater Cadmus condidit Thebas.

188. *Ida : quid heu tantum nostris offenderis aris ? Creta : quid*, etc. Burm. *Ida*. Mons Cretæ Jovis natalibus inclytus. Hod. *Ida*, vel *Psiloriti*. Ed.

189. *Hic tibi, quando*, etc. Ordo est et sensus : Hic tibi tamen, siquidem jam minori gratia apud te valeo, fuisse memento noctes quibus Herculem genuisti, et Antiopam quam amasti, et familiam Cadmi, cujus soror Europa felicior mea matre fuit. Ed.

Herculeæ, placitusque vagæ Nycteidos ardor;
Hic Tyrium genus, et nostro felicior igne
Taurus : Agenoreos saltem tutare nepotes. »
Invidiam risit pater, et jam poplite flexum,
Sternentemque manus tranquillus ad oscula tollit,
Inque vicem placida orsa refert : « Non conjugis ista
Consiliis, ut rere, puer; nec sæva roganti
Sic expostus ego : immoto deducimur orbe
Fatorum ; veteres, seræque in prælia causæ.
Nam cui tanta quies irarum? aut sanguinis usus

190. *Placitusque* (*placidusque*). Rectius scripti : *Placitusque*. Nec velim aliter Theb. X, 769 : « si vos placita hostia juvi. » Etsi et scripti *placida*, et interpretentur, « quæ non repugnavi. » *Placita* est probata, placens litansque. Silius, Punic. I, 11 : placitam temerando rumpere vocem. » Ubi etiam fecerant *placidam*. (Vid. Var. Lection. nost. edit. tom. I, pag. 4 et seq. Ed.) Virgil. Æneid. X, 15 : « et placitum læti componite fœdus. » Georg. II, 425 : « placitam paci nutritor olivam. » Gronov. — *Vagæ Nycteidos*. Antiopæ, quæ a Lyco expulsa propter Dircen, compressa fuit a Jove in taurum converso, unde orti dicuntur Zethus et Amphion.

191. *Hic Tyrium genus*. Thebani enim conditi erant a Cadmo Tyrio fratre Europæ. — *Et nostro felicior igne Taurus*. Respicit ad fabulam Europæ, quæ rapta fuit a Jove in taurum mutato : dicit eam feliciorem matre sua, quia fulmine non est percussa. — *Nostro*. Seu Semeles matris.

192. *Agenoreos nepotes*. Thebanos, oriundos a Cadmo Agenoris filio.

193. *Invidiam risit pater*. Invidiosam orationem Juppiter mitiorem effecit, ut Virg. Æneid. I, 254 : « Olli subridens hominum sator atque Deorum. » — *Poplite flexum*. Id est, genibus inclinatum, Lact.

194. *Sternentemque manus*. Id est, in genua procumbentem, ut manibus terram premeret.

196. *Consiliis, ut rere, puer*. Reg. B, *Consiliis utere* cum litera r alia manu soprascripta ; Reg. C nost. lectionem præbet. Ed.

197. *Sic expostus ego*. Sic fatis sum subditus, ut imminentia mutare non possim. Dicit ergo : non Junonis gratia Thebis indicimus bellum, o puer, ut putas, neque enim mutabilis esse potest Juppiter, qui immoto fatorum ordine ea quæ semel sunt decreta complere non differt. Isti vero populi, id est, Argivi, sive Thebani ad hoc fataliter nati sunt, ut bellis intereant. Lactant. — *Immoto deducimur orbe Fatorum*. Deos enim fatis etiam subditos Veteres credebant.

199. *Nam cui tanta quies irarum*. Theb. I, 216 : « quonam usque nocentum Exigar in pœnas? tædet sævire corusco Fulmine. »

Parcior humani? videt axis, et ista per ævum
Mecum æterna domus, quoties jam torta reponam
Fulmina, quam rarus terris hic imperet ignis.
Quinetiam invitus magna ulciscendaque passis
Aut Lapithas Marti, aut veterem Calydona Dianæ
Expugnare dedi; meaque est jactura, pigetque
Tot mutare animas, tot reddere corpora vitæ.
Labdacios vero, Pelopisque a stirpe nepotes
Tardum abolere mihi: scis ipse, ut crimina mittam

Ubi vidend. not. tom. præced. pagin. 46. Ed.

201. *Quoties jam torta reponam.* Markland. ad Silv. V, 2, 102, correxit: *jam certa reponam*. Vide Nic. Heins. in Advers. lib. IV, cap. 6, p. 610. — *Reponam*. Revocem, reprimam, cohibeam. Lactant.

202. *Quam rarus terris hic imperet ignis.* Peyraredus: *quam rarus terras hic impetet ignis.*

203. *Ulciscendaque passis.* Unus Behot. *passus.*

204. *Aut Lapithas Marti. Aut Laphitàs* Behott. 1, 2. — *Aut Lapithas Marti.* Mars iratus Pirithoo, quod in nuptiarum sollemnitate prætermissus fuerat ab eo, invitatis ceteris Diis, simulque Centauris, immisit furorem Centauris ad disturbandas nuptias, et exscidium Lapitharum. — *Aut veterem Calydona Dianæ.* Diana ab Œneo Calydoniæ rege in sacrificio prætermissa, immisit aprum Calydonium, qui non fecit finem vastandæ Calydoniæ, donec a Meleagro in celebri illa venatione occideretur. Hunc autem locum imitatus est Noster a Virgilio Æneid. VII, 304 et seqq. « Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit: concessit in iras Ipse Deum antiquam genitor Calydona Dianæ. »

206. *Tot m. a. tot reddere corpora vitæ.* Iidem codd. Behott. cum Burm. et Exc. Cantab. tot *corpora reddere vitæ.* — *Tot mutare animas.* Metempsychosin Pythagoricam respicit. Apud Claud. XXXIII, de Raptu Proserpinæ lib. I, 62: « animæ mutantur in artus. » Ubi videnda sunt notata, nost. ed. tom. II, pag. 193. Ed. — Pythagoras ipse apud Ovidium, Metam. XV, 165: « Omnia mutantur, nihil interit. » Ad quem locum notata etiam legere operæ pretium est; nost. edit. tom. IV, pag. 509. Ed. — *Tot reddere corpora vitæ.* Id est, pro mortuis corporibus nova substituere.

207. *Labdacios.* Id est, Eteoclem et Polynicem Labdaci pronepotes. — *Pelopisque a stirpe nepotes.* Argivos, seu Peloponnesios Theb. I, 224 et seqq. « Nunc geminas punire domos, quis sanguinis auctor Ipse ego, descendo: Perseos alter in Argos Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas. »

208. *Tardum abolere mihi.* Reg. B, *Tardum adolere mihi* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed.

Dorica, quam promtæ Superos incessere Thebæ;
Te quoque: sed, quoniam vetus excidit ira, silebo.
Non tamen aut patrio respersus sanguine Pentheus,
Aut matrem scelerasse toris, aut crimine fratres
Progenuisse reus, lacero tua lustra replevit
Funere: ubi fletus? ubi tunc ars tanta precandi?
Ast ego non proprio diros impendo dolori
Œdipodionidas: rogat hoc tellusque, polusque,
Et pietas, et læsa fides, naturaque, et ipsi
Eumenidum mores: sed tu super urbe moveri
Parce tua; non hoc statui sub tempore rebus
Occasum Aoniis: veniet suspectior ætas,

209. *Dorica, quam promtæ, etc.* Laug. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1, 2, et edd. vett. *quam promte.* — *Dorica*, Græca. Fabulam Tantali respicit, qui filium Diis epulandum præbuit.

210. *Te quoque.* Supple læsum fuisse a Thebanis.

211. *Sanguine Pentheus.* Commemorando quod Pentheus innocens crudeliter punitus est, et Liberum in Thebas vindicem severum esse. Comparavit enim OEdipi Pentheique facinora, qui nec parricidium fecit, nec cum matre concubuit. Quum Pentheus ista non fecerit, tamen lacero funere tua lustra complevit. Ergo tu qui tam sævissime parvæ culpæ reos punire consuevisti, non debes tam flebiliter pro nefandissimis supplicare.

212. *Fratres progenuisse reus.* Quia OEdipus maritus et filius matris, et patris filii fratres sunt: nullus igitur ibi pietatis ordo servatus est, ubi fuit Jocasta et uxor et mater. Lactant.

213. *Lacero tua lustra replevit.* Behott. 1, 2, *tua jussa.* — *Lacero tua lustra replevit Funere.* Alludit ad fabulam, qua discerptus dicitur Pentheos a Bacchantibus. — *Lustra.* Hic abusive sumit pro quibuslibet sacris, seu orgiis triennalibus Bacchi.

214. *Funere.* De hac voce vid. Excurs. 38 lib. I Theb. tom. præced. pag. 125 et seq. Ed.

216. *OEdipodionidas.* OEdipi filios scelestos.

218. *Eum. m. sed tu super urbe moveri.* Reg. B, *super orbe* cum litera *u* scripta alia manu. Ed. — *Eumenidum mores.* Quibus mos scelera puniendi. — *Urbe tua.* Thebis.

219. *Non hoc statui.* Ordo; non hoc tempore statui Thebas evertere: et hoc dicendo spes aliqua postulatæ veniæ promittitur. Dicit enim Juppiter se, et cætera numina, imminentia mala posse differre, in totum vero mutare non posse. Lactant.

220. *Occ. A. veniet suspectior ætas.* In duobus codd legitur: *spe-*

Ultoresque alii : nunc regia Juno queretur. »
His ille auditis mentemque habitumque recepit.
Ut quum sole malo, tristique rosaria pallent
Usta Noto, si clara dies, Zephyrique refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissaque lucent
Germina, et informes ornat sua gloria virgas.
Nuntius, attonitas jamdudum Eteoclis ad aures
Explorata ferens, longo docet agmine Graios
Ire duces, nec jam Aoniis procul abfore campis;

citatior ætas. Vide Burm. ad Valer. Flacc. I, 100, et VI, 149. — *Aoniis*. Thebanis.

221. *Ultoresque alii*. Vel intelligit Epigonos qui ad vindicandam mortem parentum everterunt Thebas : vel Alexandrum Magnum qui, dirutis Thebis, omnes cives sub corona vendidit. Nam hoc de Theseo intelligi non potest, qui non evertit Thebas, sed solum cæde Creontis, ac prælio, aut etiam pacto a Thebis obtinuit jus sepeliendi Argivos, qui in hac pugna ceciderant. — *Nunc regia Juno queretur*. Argivus enim exercitus fusus fugatusque, ac occisi Argivi duces, et solus Adrastus sibi turpi fuga consuluit. — *Regia*. Sic Ovid. Met. VI, 94 : « quam regia Juno In volucrem vertit. » — *Tunc regia Juno queretur*. Reformavi in germanum sententiæ habitum ex veteribus et editione principe, in queis : *nunc regia*, optimo sensu. Juno enim Adrasto, ejusque exercitui favens, merito conqueri debebat, quandoquidem victoria penes Thebanos erat futura. Bernart.

222. *Habitumque*. Alii legunt *animumque*, sed melius *habitum*, i. e. cultum. Vid. Exc. ad calc. En.

223. *Sole malo*. Torrido seu igneo. — *Tristi noto*. Nubilo austro; est autem floribus inimicus. Ut Virgil. Ecl. II, 58 : « floribus austrum Perditus immisi, etc. »

225. *Red. o. h. emissaque lucent*. « Pessime nugones quidam libri, *amissaque*. » Barth. — *Redit omnis honos*. Sic, inquit, lætitia Liberi mutatus est vultus grandem post tristitiam, quemadmodum flores flante austro; qui solis nimio calore pallescunt, perduntque gratiam adspectus sui; ac rursus si placidi Favonii spiraverit flatus, et virentes herbas frigidior ventus erexerit, et odorem recipiunt et colorem.

227. *Att. jamd. Eteoclis*. *Ethioclis* unus Behot. — *Attonitas jamdudum Et. ad aures*. Insperata conjunctione tot regum et exercituum.

229. *Ire duces; nec jam Aoniis procul abfore campis*. Dan. Petav. Laur. Behot. 1, et plerique *afflore*; Behot. 2, Barthiani, et edd. recentt. *abfore*; Fr. Modius conj. *afore*. — Reg. B, *Nec jam Aonias procul afore campis*, sed litera i suprascripta dat *Aoniis*; Reg. C nost. lect. habet. En. — *Ire*. Pro venire. Ut Virgil. Æneid. II, 375 : « vos nunc a navibus itis. »

Quacunque ingressi, tremere, ac miserescere cunctos
Thebarum; qui stirpe refert, qui nomine, et armis.
Ille metum condens, audire exposcit, et odit
Narrantem. Hinc dictis socios stimulare, suasque
Metiri decernit opes: exciverat omnem
Aoniam, Eubœamque, et Phocidos arva propinquæ
Mars: ita dulce Jovi. Longo fugit ordine velox
Tessera; propellunt acies, seseque sub armis

230. *Quacunque ingressi tremere, ac miserescere cunctos Thebarum.* Guyetus: Thebani tremunt, externi miserescunt. — *Ingressi tremere.* Corrige, *ingressus*, supple, erat nuntius. Parenthesi autem includi debent. PEYRAREDUS.

231. *Qui stirpe refert, qui nomine, et armis.* Corrige, *qua stirpe refert, quo nomine;* quæ referenda sunt ad vocem supra *nuntius*, qui narrat quo quisque genere sit; quod nomen et quæ arma habeat. EDIT.

232. *Ille metum condens.* Eteocles metum dissimulans. LACT. — *Audire exposcit, et odit Narrantem.* Scilicet, ut apud Senecam in OEdipo, act. II, sc. 1, 3 et seq. « Ubi læta duris mista in ambiguo jacent, Incertus animus, scire quum cupiat, timet. »

233. *Hinc dictis socios stimulare, suasque.* Dan. Petav. nonnulli et edd. vett. *socios dictis;* Behott. 1, 2, Gronov. Barth. et Delph. *dictis socios.* — Reg. B, *Hic socios dictis stimulare, suasque* habet; Reg. C, *Hinc socios dictis*, etc. ED.

234. *Metiri decernit opes.* Lang. Behot. 1, Laur. Plant. Pætav. Lindenbrog. et plerique *decrevit opes;* Behot. 2, optimi codd. Barthii, Veneti. 3, 4, Amstelod. Gronov. Barth. et Delphin. *decernit opes.*

235. *Aoniam.* Bœotiam. — *Eubœamque.* Eubœa, nobis *Negrepont*, insula Maris Ægæi, a Bœotia divisa tam modico Euripo interfluente, ut ponte jungatur: a Meridie promontoriis duobus, Geresto ad Atticam vergente, et ad Hellespontum Caphareo insignis, a septemtrione Cæneo: nusquam latitudinem ultra 40 millia passuum extendit, nusquam intra 20 contrahit: sed in longitudinem universæ Bœotiæ ab Attica in Thessaliam usque prætensa in 150 millia passuum, circuitu vero trecenta sexaginta quinque, aquis calidis quæ *Ellopiæ* vocantur nobilis: notior tamen marmore Caristio. Hæc Plinius Hist. Nat. IV, cap. 21. — *Phocidos.* Vide Theb. I, 64, et II, 64 et ibi notata; tom præced. pag. 19 seq. et pag. 164 et 165. ED.

237. *Tessera.* Bellorum signum est. Ut « hospitalem tesseram » dicimus. Veteres enim, quoniam non poterant omnes hospites suos noscere, tesseram illis dabant, quam illi ad hospitia reversi ostendebant præposito hospiti; unde intelligebant hospites: hic tamen proprie *tesseram* signum belli posuit: Gallice, *le mot du guet.* — Vid. Excursum ad calc. huj. lib. ED.

Ostentant, subeunt campo, qui proximus urbi
Damnatus bellis patet, exspectatque furores.
Nondum hostis circa; trepido tamen agmine matres
Conscendunt muros, inde arma nitentia natis
Et formidandos monstrant sub casside patres.
Turre procul sola nondum concessa videri
Antigone populis, teneras defenditur atra
Veste genas; juxtaque comes, quo Laius ibat
Armigero; tunc virgo senem regina veretur.
Quæ sic orsa prior : « Spesne obstatura Pelasgis
Hæc vexilla, pater? Pelopis descendere totas

238. *Subeunt campo. Dictæo dicto. — Campo qui proximus urbi.* Campum subeunt qui patet ante urbem, qui est ad sistenda bella damnatus, id est, destinatus.

239. *Exspectatque furores.* Alter Behot. *expectantque furores.*

240. *Nondum hostis circa, trepido tamen agmine matres. Nondum hostis contra* Lang. unus Behot. Lindenbrog. et plerique, *circa* alter Behot. eodd. Gronoviani, Venett. 3, 4, Gronov. Barth. — *Nondum hostis contra.* Quid opus fuit, dum in scriptis esset : *Nondum hostis circa.* Urbem videlicet, aut in vicinia. GRONOV. — Reg. B, *Nondum hostes contra, tepido tamen agm. matres* eum r alia manu suprascripta habet; Reg. C, *hostis contra trep. tam. ordine matres.* ED. — *Matres.* Ex Homero hæ speculationes, ut notavit etiam Lactantius.

242. *Patres.* Qui erant extra urbem in campo Dictæo.

243. *Turre procul.* Hic Papinius noster imitatus videtur Euripidem in Phœnissis. — *Nondum concessa videri.* Morem tangit, quo puellæ intra ædem manebant apud Græcos, nec ipsis domo egredi permittebatur. Observavit et in Achilleidos I, 285 et seqq. « Palladi litoreæ celebrabat Scyros honorum Forte diem, placidoque satæ Lycomede sorores, Luce sacra patriis, quæ rara licentia, muris Exierant, dare veris opes. »

244. *Antigone.* Filia Œdipi et Jocastæ, sororque Polynicis et Eteoclis, prædicata a poetis ob miram pietatem erga patrem, et fratrem Polynicem, ut videbimus Thebaid. XII. — *Defenditur* occultatur.

245. *Juxtaque comes.* Phorbas vocabatur, ut videbimus infra. Hinc discimus, non solum pueris, sed virginibus custodes datos. De eadem Statius Theb. XI, 357 : « senior comes hæret eunti. » Et Thebaid. XII, 205 : « Olim hic virginei custos monitorque pudoris. » Lege Athenæum in Symposio.

246. *Armigero, tum virgo senem.* Unus Behot. *nunc virgo.* — *Armigero.* Qui Laii ante fuit armiger, eo nunc Antigone utebatur custode.

247. *Pelasgis.* Argivis.

248. *Hæc vexilla, pater? Pel.*

Audimus gentes : dic, o precor, extera regum
Agmina : nam video, quæ noster signa Menœceus,
Quæ noster gerat arma Creon, quam celsus ahena
Sphinge per ingentes Homoloidas exeat Hæmon. »
Sic rudis Antigone : senior cui talia Phorbas :
« Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ
Promovet ecce Dryas : hic, cui nivea arma tridentem
Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti

descendere totas. Reg. B, *vixilla* cum litera *e* super *i* scripta habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Pater.* Vocat patrem, quia nutritor erat. Nutrices etiam matres vocabantur ab alumnis. Sicut contra hæ alumnos et alumnas filios et filias vocabant. — *Pelopis gentes.* Peloponnesios, qui hoc nomen a Pelope trahunt.

250. *Menœceus.* Filius Creontis, qui se devovit pro salute patriæ, ut videbimus Theb. X.

251. *Quæ noster gerat arma.* Reg. B, *Quæ noster regat arma* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Creon.* Frater Jocastæ, qui successit Eteocli. — *Ahena Sphinge.* Casside, cujus altitudinem in summitate adjecta auxerat sphinge : sive signa Thebanorum *sphingas* esse monstravit : ut enim apud Romanos aquilæ habebantur signis appositæ, sic Thebanorum sphingos vultus ornabat. Lactant.

252. *Sphinge per ing. Homoloidas. Spinge* Bebott. *Sphynge* in omnibus fere edd. *Homeloidas* Dan. *Homolaidis* Aldd. Colin. et Basil. *Homolaidas* Lang. Buslid. Lipsian. et Plant. *Homoloidas* Petav. Lindenbrog. Gruc. et recentt. — *Homoloidas.* Portas septem Thebarum sic dictas. — *Hæmon.* Ejusdem Creontis filius, et frater Menœcei.

254. *Tanagræ.* Oppidum Bœotiæ Ptolemæo et Straboni, quæ vocatur hodie *Anatoria.* Scribit Lactantius esse urbem Eubœæ insulæ postea vocatam Penanoriam. Fuit et ejusdem nominis urbs in Perside.

255. *Dryas.* Dryas hic est, quem Diana transfixit sagittis ob interfectum Parthenopæum, ut videbimus Theb. IX. Dicitur Orionis nepos. — *Tridentem Atque auro rude fulmen habet.* Dryas enim ferebat hæc in fidem generis; nepos enim erat Orionis, cujus patres Juppiter et Neptunus dicuntur. Vide Excurs. ad calcem hujus libri. Ed.

256. *Orionis alti.* Pauper quidam nomine Hireus, quum liberos non haberet, petiit a Jove, Neptuno, et Mercurio, quos hospitio susceperat, ut sibi filium darent. Hi facta urina intra corium bovis, quem Hireus illis immolaverat, plicatoque corio, jusserunt, ut completis mensibus maternis solveretur; quo facto puer inventus, cui datum nomen Orioni. Hic postea grandior factus venationi se dedit, repertæque per silvas Dianæ vim inferre voluit, sed ab ipsa sagittis fuit confossus. Lucanus dicit serpente a Diana immisso periisse : tandem Deorum miseratione inter astra relatus est.

Non falsus virtute nepos : procul, oro, paternum
Omen, et innuptæ vetus excidat ira Dianæ!
Jungunt se castris, regisque in nomen adoptant
Ocaleæ, Medeonque, et confertissima lucis
Nysa, Dionæisque avibus circumsona Thisbe.
« Proximus Eurymedon, cui pastoralia Fauni
Arma patris, pinusque jubas imitatur equinas
Terribilis silvis : reor et Mavorte cruento
Talis erit : dites pecorum comitantur Erythræ,
Qui Scolon, densamque jugis Eteonon iniquis,
Qui breve litus Hyles, Atalantæumque superbi

258. *Et innuptæ vetus excidat ira Dianæ*. Reg. B, *et innuptæ procul exc. i. D.* habet; Reg. C, nost. lect. Ed. — *Excidat ira Dianæ*. Ob acceptam, ut proxime diximus, ab Orione injuriam.

260. *Ocaleæ, Medeonque, et confertissima lucis*. Laog. nonnulli et edd. vett. *consertissima*. Pro *lucis* Behot. 2, habet *dumis* — *Ocaleæ*. Bœotiæ oppidum. — *Medeon*. Ejusdem Bœotiæ urbs; alia erat Phocidis, et alia Epiri. — *Et confertissima lucis* (*sylvis*). In plerisque codicibus *jugis*; in uno *turbis*. Quidam adscriptum habent *lucis*, quam veram lectionem putamus. GRONOV.

261. *Nysa*. Nysa urbs Bœotiæ Baccho sacra teste Eustathio ad Iliad. B. Erat Nysa Thraciæ, Cariæ, Arabiæ, Ægypti, Armeniæ Minoris, et Indiæ. — *Thisbe*. Thisbe urbs Bœotiæ. — *Dionæis avibus*. Columbis. Lactantius scribit apud Thisben Venerem cultam, ibique Jovem dedisse responsa per columbas. Columbæ autem sacræ sunt Veneri, quæ et Dione. Ovid. Met. XI, 300 : « Quæ nunc Thisbæas agitat mutata columbas. » Ad quem locum illustrandum adductus est Papinii versus: confer nost. edit. tom. IV, pag. 267. Ed. — Hinc Homero πολυτρήρων Θίσβην.

262. *Cui pastoralia Fauni*. In quibusdam edd. *qui pastoralia*, correxit Barthius. — *Pastoralia Arma*. Venabula.

263. *Pinusque jubas*, etc. Reg. B, *pinuque jubas*, etc. habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Pinusque jubas imitatur equinas*. Id est, rami pini inserti sunt cassidi in modum jubæ equinæ, et hoc a patre, cui pinus sacra.

264. *Terribilis silvis*. Venationibus. LACTANT.

265. *Talis erit : dit. pec. com. Erythræ*. *Talis erat* unus Behot. *eriethæ* in eodem Behot. codice. — *Erythræ*. Oppidum Bœotiæ ad radices Cithæronis montis situm. Est et ejusdem nominis urbs in Ionia.

266. *Qui Scolon*. *Qui Colon* Dan. — *Scolon*. Scolos mons Bœotiæ. — *Etheonon*. Eteonos oppidum Bœotiæ. — *Jugis iniquis*, excelsis. Hinc Homero Iliad. B, v. 497, πολύκνημος.

267. *Qui b. l. Hyles, Atalantæumque superbi*. *Atalantemque*

Schœnon habent, notique colunt vestigia campi.
Fraxineas vibrant Macetum de more sarissas,
Sævaque difficiles excludere vulnera peltas.
Ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes
Onchesti, quos pinigeris Mycalessos in agris,

Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Athalatemque* Behot. 1, *Athalanteamque* Behot. 2. — Reg. B, *Atalanteamque* habet; Reg. C, *Athlanteumque*. Ed. — *Hyles*. Hyle locus in Bœotia, ut ex hoc loco et Strabone constat. Quidam tamen dicunt esse urbem Phocidis. Erat in Cypro urbs ejusdem nominis. — *Atalantæumque superbi Schœnon habent*. Schœnos urbs Bœotiæ, a Schœno Atalante patre sic dicta. Schœnos vero Plinio et Melæ Sinus maris Doridis. Strabo lib. IX, Schœnon χώραν τῆς Θηβαϊκῆς vocat, ubi et Hyle, et præcedentis proxime Scoli meminit. Fallitur Gevartius, qui Schœnon dicit esse Arcadiæ oppidum: nam Arcades sequebantur partes Argivorum, Schœni incolæ Thebanorum. Duas autem fuisse Atalantas constat, ut jam diximus: unam Arcadiam Parthenopæi matrem; alteram vero, ex urbe Schœno, quam Hippomenes cursu vicit.

268. *Schœnon habent. Schiron* Behot. 1, *Sciron* Behot. 2, et pro v. l. *Scinon*. — *Notique colunt vestigia campi*; habitant campum, in quo scilicet solebat Atalanta cum procis cursu contendere.

269. *Fraxineas vib. Macetum de more Sarissas. Macedum* uterque Behot. in altero tamen rescriptum, quum primum *Macetum* legeretur; sed ipsa exscriptoris manu. *de more Sarixas* Behot. 1, *de more sagittas* Behot. 2. — Reg. B, *Frax. Macetum vibrant de more sarisas* habet; Reg. C, *Macedum* exhibet. Ed. — *Macetum*. Macetæ, seu Macedones populi Græciæ, solis Philippo et Alexandro Magno notissimi. Macedonia vero, unde Macedones dicti, Europæ regio celebris est. Hanc ad Septemtrionem montana a Dalmatia Mæsiaque dirimunt; ab Occasu Mari Ionio, ab Ortu Ægæo alluitur. Meridianam oram Epiroticæ gentes, et ipsa Græcia excipit. Æmathia ante dicta fuit, Plinio et Trogo testibus. Pæoniam primo vocatam scribit Livius lib. XL, deinde Æmoniam: item Edonia et Pieria Solino: etiam Bœotiam quondam dictam Trogus docet. Ejus partem Μακετίαν Hesychius et Stephanus appellant, et inde totam regionem nomen traxisse refert Eustathius in Dionysium. Vide Plinium H. N. IV, cap. 10; Liv. lib. XL, et XLV. — *Sarissas*. Macedonum lanceas. Hoc enim nomine tela sua ipsius gentis homines vocant. Unde Lucan. Phars. VIII, 398: « Primi Pellæas arcu fregere sarissas. »

270. *Difficiles excl. vulnera peltas*. Dan. *vulnera norunt*. — *Difficiles*. Contra magnum impetum utiliores. Vet. Schol. Ob brevitatem. Vide supra, v. 174 et ibi notata; adi etiam Lips. militia Rom. p. 384.

271. *Neptunia plebes. Neptunia pubes* in eodem Dan. libro.

272. *Onchesti, q. pin. Mycalessos in ag. Mycalessus* Lang. nonnulli

Palladiusque Melas, Hecatæaque gurgite nutrit
Gargaphye: quorumque novis Haliartos aristis
Invidet, et nimia sata læta supervenit herba.
Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum,
Arborei dant scuta sinus. Hos regis egenos
Amphion en noster agit, (cognoscere pronum,
Virgo,) lyra galeam tauroque insignis avito.
Macte animo juvenis: medios parat ire per enses,

et Plaut. *Mycalesos* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. — *Onchesti.* Oppidum Bœotiæ, sic dictum ab Onchesto Neptuni filio; unde dicitur *Neptunia plebes.* Homero dicitur ἱερὸν Ποσιδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος. *Sacrum Neptunium, clarum nemus.* Est et fluvius Thessaliæ ejusdem nominis.

273. *Pall. Melas, Hecatæaque g. nut. Hecateiaque* in uno Behot. — *Palladiusque Melas.* Melas fluvius Bœotiæ sacer Palladi. — *Hecatæaque Gargaphye.* Gargaphye nomen fontis in Bœotia Herodoto et Pausaniæ: obstructus fuit a Persis in bello Persico, mox a Platæensibus restitutus. Ovidius hoc nomen tradit toti valli: Met. III, 155 et seqq. « Vallis erat, piceis, et acuta densa cupressu; nomine Gargaphye, etc. » Ubi vid. not. nost. edit. tom. III, pag. 237. Eo. — Hic sacer est Dianæ, quæ et cum Hecate confunditur.

274. *Gargaphye. Gargaphile* Put. — Hanc lectionem Reg. B exhibet; Reg. C nostram. En. — *Haliartos.* Haliartos urbs Bœotiæ.

275. *Et nimia sata læta superv. herba.* In eodem Put. codice: *et nivia sata.* — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. En. — *Et nimia sata læta.* Virgil. Æneid. II, 306: « sata læta, boumque labores. » Hinc Homero Ἁλίαρτος ποιήεις, *herbosa Haliartos.*

278. *Amphion en noster agit,* etc. *Amphion agit en noster* unus Behot.

279. *Lyra galeam tauroque,* etc. Behot. 1, Lang. plerique et Plant. *lyram galea*; Behot. 2, *lyram in galea.* Vide Gronov. ad Theb. II, 583. — *Lyra galeam tauroque insignis avito.* Quia hic Amphion originem trahebat a prisco Amphione, qui lyræ cantu Thebanos muros condidit, cujusque pater fuit Juppiter in taurum conversus. Unde nepoti lyra taurusque insignia gentilicia. Vide supra v. 191. Consule etiam notata ad Theb. II, 583; ad quem versum illustrandum hic Papinii locus a Gronovio adductus est. — *Lyra galeam.* Notus Veterum mos, vel patriam vel originem, vel illustria majorum facta exprimendi ornamentis, seu clipei, ut Sil. Ital. Punic. I, 407, seu galeæ, ut id. Sil. Ital. Punic. II, 157; V, 79; Liv. lib. XXVII, c. 33. En.

280. *Macte animo.* Ut si diceret, perfectæ indolis juvenis. *Mactare* enim dictum est sacrificium perfecisse: unde Virg. Æneid. IX, 641: « Macte nova virtute, puer, » id est perfecte. LACTANT. — Ad hunc lo-

Nudaque pro caris opponere pectora muris.
  Vos etiam nostris, Heliconia turba, venitis
Addere rebus opem ; tuque, o Permesse, canoris
Et, felix Olmie, vadis, armatis alumnos
Bellorum resides : patriis concentibus audis
Exsultare gregem : quales, quum pallida cedit
Bruma, renidentem deducunt Strymona cycni.
Ite alacres, nunquam vestri morientur honores,
Bellaque perpetuo memorabunt carmine Musæ. »
  Dixerat, et paullum virgo interfata docenti :

cum conf. notata, nost. edit. tom. IV, p. 65. Ed.

281. *Opponere pectora.* Bene *opponere* dicit, ad defensionem murorum. LACTANT.

282. *Heliconia turba, venitis.* Unus Behot. *venistis.* — *Heliconia turba.* Intelligit Lactantius poetas Heliconem montem sacrum Musis incolentes. Præstat accolas Heliconis populos intelligere, quos *resides bellorum* vocat, quod arma non tractarent: quod omnibus fere Thebanis familiare erat, ut supra Bacchus notat. Iisdem vero fictione poetica concentus Noster tribuit, quasi populi illi Heliconiadum Musarum cantus imitentur.

283. *Tuque, o Permesse, canoris. Permense* Put. Barthius correxit *Termesse.* Reg. B, *Permense* habet; Reg. C nostram lection. Ed. — *Permesse.* Permessus fluvius Bœotiæ, ortum habens in Helicone, per Bœotiam in Copaidem lacum influens, Phœbo et Musis sacer, Straboni lib. IX. Unde *canoris vadis* dicitur.

284. *Et, felix Olmie, vadis, armatis alumnos. Et felix Hormie* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Et felix Ormige* Behot. 1, *Et felix herine* Behot. 2; *armastis alumnos* Put. — Reg. B, *Et, felix Hormie, vadis armastis alumnos* habet; Reg. C, *Ormie, v. armatis al.* exhibet. Ed. — *Olmie* (*Hormie*). Hormius fluvius Bœotiæ, Musis sacer.

285. *Bellorum resides.* Armis inassueti, qui diu ab armis cessaverant.

287. *Bruma, renidentem,* etc. *Bruma renitentem* Dan. Put. Petav. Lindenbr. et Cruc. *renitendem* Behott. 1, 2. — *Strymona.* Strymon fluvius Thraciam et Macedoniam disterminans et in sinum exiens, qui ab ipso *sinus Strimonicus* vocatur. Nunc Marmari vel Reudina. Ed. — *Deducunt cycni.* Quia apud Strymona multi sunt cycni. *Deducunt. Deducuntur* vero cycni, non *deducunt.*

288. *Nunquam vestri,* etc. « In optimo libro diserte scriptum est *nostri;* sed invitis nobis. » BARTH.

289. *Bellaque perpetuo,* etc. « In eodem libro nec vola, nec vestigium est hujus versus. Eum tamen nos minime projiciendum arbitramur. »

290. *Et paullum virgo interfatà docenti.* « Claris literis eædem et duæ aliæ membranæ referunt : *vir-*

« Illi autem, quanam junguntur origine fratres?
Sic certe paria arma viris, sic exit in auras
Cassidis æquus apex : utinam hæc concordia nostris! »
  Cui senior ridens : « Non prima errore videndi
Falleris, Antigone : multi hos, nam decipit ætas,
Dixerunt fratres : pater est, natusque; sed ævi
Confudere modos : puerum Lapithonia nympha
Dircetis, expertem thalami, crudumque maritis
Ignibus, ante diem cupido violavit amore,
Improba connubii : nec longum et pulcher Alathreus
Editus, ac primæ genitorem in flore juventæ

go interfata loquentem; quod omnino Papinianum est. » Barth. Dan. et Pet. exhibent *loquenti*. — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. Ed. — *Virgo interfata docenti*. Theb. II, 188 : « Sic interfatus et alter, » ubi vide notata, *tom.* præced. pag. 180. Ed.

291. *Illi.* Δεικτικῶς : eos enim manu designabat Antigone.

292. *Sic exit in auras*. Pares cristas in comis galearum gerebant.

294. *Errore videndi*. Non errarunt oculi, pares videndo, sed animus credens illis. Vet. Schol.

296. *Sed ævi*. Put. *sed ævo*. — Hanc lectionem Reg. B exhibet, Reg. C nostram. Ed. — *Ævi Confudere modos*. Ætatis suæ, dum pæne æquales sunt, spatia confuderunt Nymphæ. Ad ornamentum carminis sui Græcum nomen accepit. Græce νύμφη dicitur *sponsa*.

297. *Confudere mod. puer. Lapithonia nympha*. — Dan. *Lapithamia*; optimæ Barthii membranæ, *Lapithaona*; quod verum putat Barthius. — Reg. B, *Confundere modos, puer. Lapithaona* præbet; Reg. C, *Lapitaona*. Ed. — *Puerum Lapithonia*. Scripti : *Lapithaona*. Quod possumus interpretari nomen pueri, qui deinde pater Alathrei factus est. Sufficit ipsi, quod appellatur *Dircetis*, *Lapithes*, *Lapithaon*, ut Chremetes, Chremetaon, quem hoc quoque libro habes. Gron. Sed ex Theb. XI, 32, discimus patrem Alathrei vocari Eurymedonta. Unde *Lapithonia* forsan nomen hujus Nymphæ, et *Dircetis* deductum a Dirce fonte Bœotiæ.

298. *Dircetis exp. th. crudumque maritis*. *Deeretis* Dan. *crudumque mariti* Dan. Put. Petav. — Reg. B, *Dercetis* cum litera *i* suprascripta alia manu; Reg. C, *Dirceos* habet. — *Maritis ignibus*. Viriles amores, concubitus voluptatem dicit.

299. *Ante diem*. Nondum satis habilem ad concubitum.

300. *Imp. conn: nec longum et pulcher*. Dan. Petav. *longum pulcher*, omisso τῷ *et*. — *Improba connubii*. Id est, nimium avida præmaturi connubii. — *Nec longum*. Id est, tempus transiit. — *Et pulcher Alathreus*. Natus est filius qui patri crescendi celeritate pæne æquævus est. Lactant.

Consequitur, traxitque notas, et miscuit annos.
Et nunc sic fratres mentito nomine gaudent;
Plus pater: hunc olim juvat et ventura senectus.
Tercentum genitor, totidemque in prælia natus
Exercent equites: hi deseruisse feruntur
Exilem Glisanta, Coroniamque, feracem
Messe Coroniam, Baccho Glisanta colentes.
« Sed potius celsos umbrantem hunc adspice late
Hypsea quadrijugos, clipei septemplice tauro

302. *Traxitque notas.* Similitudiuem patris in suo vultu retulit, signavitque.

303. *Et nunc sic fratres. Et nunc si fratres* Dan.

304. *Plus pater: hunc olim juvat et ventura senectus.* Corruptum in his verbis quidpiam jam olim arbitratus sum. Forte: *juvat una in utroque senectus;* vel: *hunc olim juvat unitura senectus;* vel: *una olim juvat eventura senectus.* — *Plus pater.* Plus pater lætatur affinitate ætatis, qnam filius. — *Hunc.* Filium seilicet, qui quum senuerit, lætabitur ætatem fere æquam eum patre habere, sieque sperat illi morieuti se non snperfuturum. De iisdem Noster Theb. XI, 35 et seq. « juvenemque patrem puer æquat Alathreus; Feliees amho, sed fortuuatior ille Qnem genuisse juvat. »

305. *In prælia natus Exercent.* Domitant et armis assuefaeiunt eqnites.

306. *Deseruisse.* Properantes in prælium velut deserunt patriam.

307. *Exilem Glisanta, Coroniamque, feracem. Exilem Glissanta* scribendum putat Hermolaus Barbarus in Plin. pag. 70. *Exilem Clisanta* Dan. Petav. *Choroniamque* unus Behot. — Reg. B, *Clisant* habet, sed litera *a* alia manu suprascripta dat *Clisanta;* Reg. C nost. lect. En. — *Glisanta.... Coroniam.* Glisas et Coronia oppida Bœotiæ.

308. *Messe Coroniam, B. Gl. Messe Choroniam* in altero Behot. *Coroneam* edd. vett. *Clisanta* Dau. Petav. *Glissanta* Hermolaus Barbarus. — *Baccho Glisanta.* Duæ eivitates duorum uuminum pari gaudent munere, Coronia Baecho fertilis est, simul Glisauta Cerere. Sed quum *terræ omnes ferre omnia non possunt*, ut ait Virg. Georg. II, 109, non frumenti et vini proventu simul gaudent hæ eivitates, quæ apud Plinium vocantur Glissas et Coronea. En.

309, 310. *Hunc adspice late hypsea quadrijugos.* Nie. Heiusius in Advers. lib. II, cap. 16, pag. 341 legit: *hunc aspice currus Hypsea quadrijugos.* — *Hypsea quadrijugos.* Fratrem Æaci dieit, enjus Juppiter ex formicis soeios fecit armatos existere: ex eo Peleus natus est, ex hoc Aehilles, eujus milites Myrmidones nuncupati suut, a formicarum origine: *μύρμηκες* enim Græce *formicæ* dieuutur. Hunc Hypseum Theb. IX, Capaneus occidit.

Læva, ter insuto servantem ingentia ferro
Pectora: nam tergo nunquam metus: hasta vetustum
Silvarum decus, emissæ cui pervia semper
Armaque, pectoraque et nunquam manus irrita voti.
Asopos genuisse datur, dignusque videri

311. *Ter insuto servantem ingentia ferro.* Lang. Buslid. Behott. 1, 2, Aldd. plerique et Amst. *servant ingentia.* Nic. Heinsius l. l. legit: *servans ingentia.* — Reg. B, *servantur* habet; Reg. C, *servant.* Ed. — *Ter insuto servant ingentia.* Quivel quænam *servant?* Ipse utique Hypseus dicitur late umbrare celsos quadrijugos, ipse læva sive sinistra corporis clipeo, ipse pectus ter insuto ferro, seu lorica trilici servare. Ergo aut *servat* est scribendum, aut, si hoc cæsuræ negas, *servantem.* Gronov.

312. *Nam tergo nunquam metus.* Sive quia nunquam fugiebat Hypseus, hinc nusquam metus vulnera posse tergo accipere, quæ erant indecora; sive quia vetus mos erat, ut lorica nisi pectus tegeret, ad tollendam spem fugæ pugnantibus, alias expositurís terga nudata insequentibus hostibus. — *Hasta vetustum Silvarum decus.* Id est, hasta confecta erat ex arbore quæ erat olim decus silvarum.

314. *Armaque pectoraque et nunquam manus irrita voti. Armaque corporaque* nonnulli Barthiani, et Venett. probante Barthio, *irrita voto.* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. — Regg. B et C, *Armaque corporaque* exhibent. Ed. — *Nunquam manus irrita voti.* Id est, nunquam frustrata.

315. *Datur.* Pro *dicitur. Dare* pro *dicere* sumtum Virgil. Bucol Ecl. I, 19: « Sed tamen, iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis. » Horat. lib. II, Sat. VIII, 4: « Da, si grave non est, Quæ prima iratum ventrem placaverit esca. » Claudian. XXXVI, de Raptu Pros. lib. III, v. 337: « illic posuisse cruentam Ægida captivamque pater post prælia prædam Advexisse datur. » Ed. — *Dignusque videri Tunc pater.* Tanto animo erat Hypseus, tantosque spiritus habebat, ut Asopus tunc dignus illius pater videatur; quum aquis inflatur, aut quum justo dolore percitus Jovi bellum intulit. Asopus enim raptam a Jove filiam tam ægro animo tulit, ut concitas aquas in cælum sustollere tentaverit, ut cum Jove confligeret, sed percussus fulmine temeritatis pœnas luit. Tetigerat et hanc fabulam Callimachus Hymno in Delum vs. 77, et 78: Ὁ δ᾽ εἵπετο πολλὸν ὄπισθεν Ἀσωπὸς βαρύγουνος· ἐπεὶ πεπάλακτο κεραυνῷ. *Sequebatur et multo post Asopus tardigradus; quoniam fœdatus erat fulmine.* Ad quem locum vetus Callimachi Scholiastes hæc habet: Ἐπεὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Αἴγιναν ἁρπαγῆναι ὑπὸ Διὸς ἀπήγγειλε Σίσυφος· ὁ δὲ ἤρξατο διώκειν αὐτήν. Ζεὺς δὲ ὀργισθεὶς ἐκεραύνωσεν αὐτόν. « Quum ipsi nuntiavit Sisyphus filiam ejus Æginam a Jove raptam fuisse; ille autem hanc insequi cœpit. Unde Juppiter iratus hunc fulmine percussit. » Fluvius autem iste Platæas et Tanagram præterfluit.

Tunc pater, abruptis quum torrentissimus exit
Pontibus, aut natæ tumidus quum virginis ultor
Flumina concussit, generum indignata Tonantem.
Namque ferunt raptam patriis Æginan ab undis
Amplexu latuisse Jovis : furit amnis, et astris
Infensus bellare parat; (nondum ista licebant
Nec Superis;) stetit audaces effusus in iras,
Conseruitque manus, nec quem imploraret habebat,
Donec vi tonitrus submotus, et igne trisulco
Cessit : adhuc ripis animosus gurges anhelis,
Fulmineum cinerem, magnæque insignia pœnæ
Gaudet, et Ætnæos in cælum efflare vapores.
« Talem Cadmeo mirabimur Hypsea campo,

316. *Abruptis quum torrentissimus*, etc. Dan. Petav. Behot. 1, *abreptis*; Behot. 2, *arreptis*. — Reg. B, *abreptis* exhibet; Reg. C nost. eetionem. Ed.

317. *Pontibus*. *Fontibus* Dan. Petav. Lindenbrog. et Crue. *Pontibus* cæteri libri, et scripti et editi. Vid. Nic. Heinsium in Advers. lib. III, cap. 7, p. 440.

318. *Concussit*. Excitavit in bellum. Sic Virgilius, de Turno, Æneid. VIII, 3 : « Utque acres concussit equos, utque impulit arma. »

319. *Æginan*. Ægina filia Asopi genuit Jovi Æacum : dedit nomen Æginæ insulæ.

321. *Infensus bell. par.* (*n. ista licebant*. Optimus Barthianus, *Infestus*; et sic etiam Lactantius Dan. Petav. Lindenbrog. et Crue. *licebat*. — *Nondum ista licebant*. Vitiare virgines alienas. Lactant.

322. *Stetit aud. eff. in iras*. Contra Jovem pugnaturus. Sic apud Prud. Symmach. « Hanc celebravit opum felix Hortensius aulam Contra Arpinatem qui stetit eloquio. »

323. *Conseruitque manus*. *Conseruitque manum* Dan. Petav. Lindenbrog. et nonnulli. — *Nec quem imploraret habebat*. Quum Jovi bellum inferret, a quo auxilium peteret.

324. *Donec vi tonitrus submotus*. *Donec vix tonitru* Petrens. Lang. Buslid. et edd. vett. *Donec vi tonitru* Taurin. — Regg. B et C, *Donec vix tonitru submotus*, etc. exhibent. Ed.

325. *Adhuc ripis animosus gurges anhelis*. Animosus idem est quod vehemens, violentus. Sic Virgilius Georg. II, 441 animosos Euros dixit; Ovid. Amor. I, Eleg. 6, 51; « impulsa est animoso janua vento. »

327. *Ætnæos in cælum efflare vapores*. Aldd. Colin. et Basil. *afflare vapores*. Correxit Bernartius. — *Ætnæos*. Similes Ætnæis. Ætna enim mons flammas vomit.

328. *Talem Cadmeo*, etc. *Cadmeio* unus Behot. — *Talem*. Id est, habentem eumdem animum ac ha-

Si modo placavit felix Ægina Tonantem.
« Ducit Ithonæos et Alalcomenæa Minervæ
Agmina, quos Mide, quos humida suggerit Arne,
Aulida qui Græamque serunt, viridesque Platæas,
Et sulco Peteona domant, refluumque meatu

buit Asopus, quum bellum Jovi indixit. — *Cadmeo.* Quia campus iste, in quo commissum prælium, subjacebat Cadmeæ arci Thebarum. Cæterum Guyetus hanc totam fabulæ Asopi narrationem ineptam et inconcinnam, Statioque parum dignam, judicat.

330. *Ducit Ithonæos et Alalcomenæa Minervæ. Ducit Ithonæos atque Alchomene* edd. vett. *et Alcomena* Behot. 1, *et Alcemena* Behot. 2, et pro v. l. *et Aloemena;* Put. *atque Alcomenia;* Dau. *atque Lalcomenia;* cæteri: *Alalcomenæ.* — Reg. B, *D. Ithoneos et Alcomenia* exhibet; Reg. C, *D. Itaneos atque Alchomenea.* Ed. — *Ithonæos.* Incolas Ithones urbis Bœotiæ, Minervæ sacræ. — *Alalcomenæa agmina.* Id est, ex Alalcomenis, oppido Bœotiæ, Minervæ etiam sacro.

331. *Agmina, quos Mide, quos hum. suggerit Arne. Mide et quos* Behot. 1, *Nude et quos* Behot. 2, *Midce quos* Dau. Petav. nonnulli et edd. vett. *suggerit Erne* unus Behot. — Reg. B, *Medon* habet; Reg. C, *Nude.* Ed. — *Mide.* Oppidum Bœotiæ. — *Arne.* Urbs Bœotiæ, postea *Cheronæa* dicta, patria Plutarchi.

332. *Aulida qui Græamque s. v. Plateas. Creanque* Put. *Graiamque* Behot. 2. — *Aulida.* Aulis urbs et portus Bœotiæ, ex quo Græci solverunt euntes ad expeditionem Trojanam, duce Agamemnone. — Aulis, inquit Lactantius, dicta est ex eo, quia omnes illic Græciæ reges in exscidium Trojæ conjuraturi convenerant: unde Virg. Æneid. IV, 425 et seq. « Non ego eum Danais Trojanam exscindere gentem Aulide juravi. » — *Plateas.* Bœotiæ urbs, ut supra, Thebaid. IV, 373: « nuntiat vigiles arsisso Plateas. »

333. *Peteona domant, refluumque meatu Euripum.* Put. *refluuntque meatu.* — D. Gregorius Nazianzenus tradidit Aristotelem, quum non posset naturam Euripi investigare, tædio animam efflasse. Immo Justini martyris testimonio, se in profundum illius præcipitans, demersus est. At nihil de hac re Amonius vel Laertius. Cæterum tu qui in literis tyro, scito, *Euripum* Veteres sæpius pro fossa ponere, qua ludi circumdabantur septorum loco; exaudio ita Tertullianum adversus Hermogenem: « Ecce autem si dicam, civitas exstruxit theatrum et circum, scena autem erat talis et talis, et statuæ super euripum et obeliscus super omnia ferebatur. » Immo pro canali seu ductu aquarum salientium. Plinius in Epist. 3: « Quid Euripus viridis et gemmeus? » Ad hunc locum notata legere operæ pretium est, nost. edit. tom. I, pag. 6. Ed. — *Peteona.* Peteon urbs Bœotiæ. — *Refluumque meatu Euripum.* Euripus maris pars inter Eubœam insulam et

Euripum, qua noster abit, teque ultima tractu
Anthedon, ubi gramineo de litore Glaucus
Poscentes irrupit aquas, jam crine genisque
Cærulus, et mixtos expavit ab inguine pisces.
Glandibus et torta Zephyros incidere funda
Cura: Cydoneas anteibunt gesa sagittas.

Bœotiam, tam modico spatio, ut ponte jungantur: dicitur *refluus*, quia septies die ac nocte reciprocat, ut refert Plinius Hist. Nat. II, cap. 98, Strabo, aliique, quibus tamen refragatur Liv. lib. XXVIII, cap. 6: « et fretum ipsum Euripi, ait, non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, veluti monti præcipiti devolutus torrens rapitur. » (Ubi vide not. 3; nost. edit. tom. V, pagin. 344. Ed.) Hinc Euripus per similitudinem dictus exilior aquarum ductus. Cicero, initio lib. II de Legibus, sic sub Attici persona: « Equidem qui nunc primum venerim, satiari non queo, magnificas villas, et pavimenta marmorea, et laqueata tecta contemno. Ductus vero aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant, quis non, quum hæc viderit, irriserit? » Hodie Euripus vocatur *le Détroit de Négrepont*.

334. *Qua noster abit, teque ultima tractu*. Dan. *habet teque;* Put. Petav. *abit quaque ultima*. De qua lectione vide Excurs. ad calc. huj. libri. Ed. — *Qua noster abit*. Id est, qua nostram Bœotiam alluit. — *Ultima*. Quia ultima Bœotiæ regionis post Salganea etiam Straboni. Hinc Homero ἐσχατόωσα dicitur, id est, *ultima*.

335. *Anthedon*. Urbs Bœotiæ Anthedon. — *Glaucus*. Glaucus piscator Anthedonius, quum pisces captos posuisset in litore, hique herbarum tactu in mare resiluissent, rem miratus, herbas has etiam ipse gustavit, quo facto ipse in mare se projecit, mutatusque est in Deum marinum.

336. *Poscentes irrupit aquas*. Dan. Petav. unus Behot. Lindenbrog. et Cruc. *irrumpit*. — Reg. B, *Poscentes inrumpit aquas* habet; Reg. C nostram lectionem. — *Jam crine genisque Cærulus*. Cærulei enim Dii marini, a colore maris cæruleo.

337. *Et mixtos expavit ab inguine pisces*. Gronov. Observ. p. 142, legit: *ab inguine pristes*. — *Expavit*. Glaucus, postquam vidit se deformem vel biformem factum, expavit: ita enim marina numina Virg. formavit dicendo Æneid. X, 210 et seq. « cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus. »

338. *Glandibus*. Innuit Anthedonios fuisse funditores peritos. — *Torta*. Circum caput rotata. Lact.

339. *Cydoneas*. Cretenses, a Cydone urbe Cretæ. Cretenses autem sagittandi peritissimi. — *Gesa*. Hasta Gallorum. Virg. Æneid. VIII, 661: « duo quisque Alpina coruscant Gesa manu. » Conf. Thebaid. IV, 64. Ed.

Tu quoque præclarum forma, Cephisse, dedisses
Narcissum, sed Thespiacis jam pallet in agris
Trux puer: orbata florem pater alluit unda.
« Quis tibi Phœbæas acies, veteremque revolvat
Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson,
Et valles, Lebadea, tuas, et Hyampolin acri

340. *Tu q. præclarum forma.* Dan. Heinsius ad Claudian. Bell. Get. 583, legit, *formæ;* ita quoque Dan. Petav. Lind. et Cruc. — *Cephisse.* Cephissus, fluvius Bœotiæ, ortum habet in Trinemiis, et præter Larymnam influit in agrum Atticum, hincque in sinum Phalaricum effunditur. — *Cephisse.* Cephissus fluvius, Narcissi pater, quum cæde Zephyri prostratus esset, Apollinis miseratione sanatus est. Hoc ergo dicit: in auxilium tu quoque filium destinasses, nisi jam palleret in flore. Thespius enim fuit Narcissus Cephissi fluvii: cujus etiam Lucanus meminit dicendo, III, 174 et seq. « quos impiger ambit Fatidica Cephissos aqua. »

341. *Narcissum.* Narcissus puer formæ egregiæ fuit, qui, sua imagine in fontem conspecta, sui ipsius amore ita exarsit, ut, quum nulla facultas esset fruendi amoris, nimio desiderio contabuerit, et versus fuerit in florem sui nominis. Vide Ovidium Met. III. Scribit Pausanias sororem Narcisso geminam fuisse, quum oris specie omni ex parte similem, tum vero coma et vestitu nihil differenti. Solitos simul venari, et puerum sororis amore captum: ea quum mortua fuisset, solitum eum ventitare ad fontem: in quo quum suam imaginem intueretur, tanquam si non suam, sed sororis imaginem ante oculos habuisset, desiderii ex eo sui solatium aliquod capere consuevisse. — *Thespiacis.* A Thespiis urbe Bœotiæ, Heliconi proxima, quæ imminet sinui Crissæo. Unde Musæ *Thespiades* dictæ. — *Pallet.* In florem mutatus. — Vid. not. ad versum 1 Epigramm. Pentadii de Narcisso; Poet. Latin. Minor. nost. ed. tom. II, pag. 324. Ed.

342. *Orbata florem pater alluit unda.* Behott. 1, 2, *abluit.* — Hanc lectionem Reg. C habet, Reg. B, *oblata florem pater adluit unda* exhibet. Ed. — *Florem.* Quia Narcissus in florem mutatus est. De Narcisso flore vide Plinium Hist. Nat. XXI, cap. 5, et 19. — *Pater.* Cephissus Narcissi pater.

343. *Phœbæas acies, veteremque revolvat.* Behot. 1, *revolvet;* Behot. 2, *resolvet.* — *Phœbæas acies, veteremque revolvat Phocida.* Quia præcipua et nobiliora Phocidis loca Apollini consecrata erant, ideo Phocenses copias *Phœbæas* vocat. De Phocide vide Theb. I, 64 tom. præced. pag. 19 et seq. Ed.

344, 345. *Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson, Et valles, Lebadea, tuas, et Hyampolin acri. Phocida? quis Panopē, quis Aulida? qs. Cyparisson* Lang. Lipsian. et Buslid. et ita quoque edd. vett. *qui Panopen? quid Au-*

Subnixam scopulo, vel qui Parnasson utrumque
Aut Cyrrham tauris, Anemoriamque supinant,
Coryciumque nemus? propellentemque Lilæam
Cephissi glaciale caput, quo suetus anhelam

lida? unus Behot. unde postea correctum: *qui Daulida*, retracta litera *d* a priore dictione, et admota posteriori καθ' ὑφὴν, quic *iparissos*. In alio Behot. *quis Panopem, quis Danlida, quis Ciparissam. Lebadia* Behott. 1, 2, *Lebidia* Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Lebedia* Dan. *hiapolin* unus Behot. — Reg. B, *Et val. Lebadia* t. et *Hianpolin acri* habet; Reg. C, *quis Panopē, quis Aulida quis Cypar. Et v. Lebadia* t. et *Hianpolin* exhibet. Ed. — *Qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson, Et valles, Lebadea, tuas*, et *Hyampolin acri Subnixam scopulo*. Panope, Daulis, oppida Phocidis, quarum ultima erat olim sub ditione Terei Thracum regis; unde Philomela *Daulias* dicitur, quod in ea urbe violata fuit a Tereo, et in avem sui nominis conversa. Cyparissos urbs Phocidis, circa Delphos ab ejus arboris frequentia vocata. Lebadia Nostro hic urbs Phocidis, Pausaniæ vero Bœotiæ, nisi sint duæ urbes ejusdem nominis, vel una solum, quæ nunc tribuatur Phocidi, nunc Bœotiæ. Erat autem sacra Apollini. Hyampolis oppidum Phocidis ad Parnassum montem. Est et Hyampolis altera Ptolemæo in Bœotia, non procul ab Orchomeno.

346. *Subnixam scopulo. Submissam scopulo* Aldd. Colin. Basil. et Plaut. — *Vel qui Parnasson utrumque*. Id est, duos vertices Parnassi, quorum unus Baccho sacer, alter Apollini. Vel per *utrumque* intelligit populos qui Parnasson hinc et inde accolunt.

347. *Aut Cyrrham tauris, Anemoriamque supinant. Ænemoream* Laug. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Anemoreiam* legit Barthius. — *Cyrrham*. Cyrrha urbs Phocidis, oraculo Apollinis celebris. — *Anemoriamque*. Anemoria oppidum Phocidis. In hac autem urbium Phocidis descriptione secutus est Homerum Papinius. Sic enim ille: Οἳ Κυπάρισσον ἔχον, Πυθῶνά τε πετρήεσσαν, Κρῖσάν τε ζαθέην, καὶ Δαυλίδα, καὶ Πανοπῆα, Οἵ τ' Ἀνεμώρειαν, καὶ Ὑάμπολιν ἀμφενέμοντο.

348. *Coryciumque nemus? propellentemque Lilæam. Horiciumque nemus* Dan. *propellentemque Liceton* codd. Lindenbrogii. — Reg. B, *propellentemque Liceton* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Coryciumque nemus*. Quidam *Ogygium* legunt, quia post Cadmum Ogygius Thebas rexit: quo vocabulo antiqui Thebanos intelligi volebant: post etiam nemori est hoc nomen impositum. Etiam tumulus circa Thebas ita vocatur. Lactant. — *Coryciumque nemus*. Silva prope Parnassum. — *Propellentemque Lilæam Cephissi glaciale caput*. Lilæa urbs Phocidis ubi Cephissus fontes habet. Homerus: Οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἔπι Κηφισσοῖο. Hic fluvius prope hanc urbem fontem concipit, Edylium, Parnassumque montem intersecat, et ipsam Bœo-

Ferre sitim Python, amnemque avertere ponto.
Omnibus immixtas cono super adspice lauros,
Armaque vel Tityon, vel Delon habentia, vel quas
Hic Deus innumera laxavit cæde pharetras.
« Iphitus acer agit, genitor cui nuper ademtus
Naubolus Hippasides, tuus, o mitissime Lai,
Hospes, adhuc currus, securaque lora tenebat,
Quum tua subter equos jacuit convulsa cruentis
Ictibus, o utinam nostro cum sanguine, cervix! »
Dicentis maduere genæ, vultumque per omnem
Pallor iit, vocisque repens singultus apertum

tiam, priusquam mari misceatur, cuniculo demersus, occulto meatu labitur. Strabo, et Polycenus Macedo.

350. *Python*. Serpens quem Apollo occidit.

351. *Omn. immixtas c. s. a. lauros*. Optimus Barthianus: *intextas*. Unus Behot. *laurus*. — *Omnibus immixtas cono super adspice lauros*, etc. Ita Phocenses se devotos Apollini demonstrabant, ut et lauro coronati incederent, gererent insculptum vel pictum scutis insigne aliquod facinus Apollinis, vel Tityon sagittis confossum ob vim illatam Latonæ matri, vel Delon insulam stabilem et immobilem redditam, vel Niobes liberos telis ejus confixos.

352. *Quas*. Corrige *queis*, i. e. prolem Niobes: in quam suas pharetras exhausit. Peyrareдus.

353. *Hic Deus innumera laxavit cæde pharetras. Hic Deus innumeras* Behot. 1, Put. et Dan. — Reg. B, *Hic Deus innumeras lassavit cæde pharetras* habet; Reg. C, *H. D. innumera laxavit c. sagittas* exhibet. Ed. — *Innumera cæde*. Liberi enim Niobes quatuordecim erant.

354. *Iphitus acer agit. Iphytus* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Hisphitus* unus Behot. — Reg. B, *Iphitus asper agit* exhibet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Iphitus*. Nauboli filius, unus fuit ex Argonautis, auctore Valerio Flacco. Sed Apollonio Iphitus ille, Argonautarum socius, filius erat Euryti Œchaliæ regis. — De quo vide Catalogum Argonautarum a Burmanno collectum; nost. Val. Flacc. tom. II, pag. 387 et seq. Ed.

355. *Naubolus. Naubulus* Behott. 1, 2.

356. *Securaque lora tenebat*. Codd. Lindenbrogii: *lora terebat*. — Reg. B, *securaque lora tenebam* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Secura*. Quia tunc temporis nihil Laiu timebat, quem ducebat.

357. *Quum tua convulsa cruentis Ictibus cervix*. Vide Thebaid. I, 65: « securique timentis Ora senis. »

359. *Dicentis. Dicenti* Put. — Reg. B hanc præbet lectionem, Reg. C nostram. Ed.

360. *Repens*. E adverbium po-

Intercepit iter : refovet frigentis amicum
Pectus alumna senis : redit, atque exile profatur :
« O mihi sollicitum decus ac suprema voluptas,
Antigone ! seras tibi demoror improbus umbras,
Fors eadem scelera et cædes visurus avitas.
Donec te thalamis habilem, integramque resignem,
Hoc satis, et fessum vita dimittite, Parcæ.
« Sed dum labor iners, quanti nunc ecce reviso
Transabiere duces. Clonium atque in terga comantes

test esse temporis, et nomen participale. Ostendit Phorbantem intercepta singultibus voce loqui minime potuisse. Lactant.

362. *Pectus alumna senis : redit, atque exile profatur.* Unus Behot. *exile profatus.* — *Alumna.* Antigone.

363. *O mihi sollicitum decus.* Honori enim erot Phorbanti custodia Antigones, sed illa plena sollicitudinis et curarum.

365. *Fors eadem scelera*, etc. Ut quemadmodum Laium perire vidi manu proprii filii, sic et videam ejus nepotes mutua cæde perire.

366. *Integramque resignem.* Sicut accepi servandam virginitatem, sic et integram et illibatam nuptiis et sponso restituam.

368. *Sed d. l. in. q. nunc ecce reviso.* Barthius parenthesi inclusit verba : *nunc ecce reviso.* — *Sed dum labor iners.* Quia deliquium animi passus erat.

369. *Clonium atque in terga comantes.* — *Chromin atque in terga.* Alibi hoc nomine utitur, ubi habent integrum membranæ : sed hic mirifice variant, *Clomin*, *clomini*, *domiti*, *doram*. Videtur fuisse, *Clonium*; nam et Humero Προθοήνωρ τε Κλόνιός τε. Idemque restituendum puto hoc libro vs. 712, « falcato Chromin et Chremetaona curru : » nam tertio post versu rursus *Chromis* cadit, ibique habent illibatum Veteres : hic autem, *Clomium*, *Climenum*, *Clonin*. Liber optimus, *Chromin*, sed ita ut literis *HR*, subducatur virgula, suprascriptum sit *L*, Repone igitur : « Clonium et Chremetaona curru. » Habes et apud Virgilium Æneid. IX, et X. Gronov. — Reg. B, *Clonin atque in terga conantis* habet; Reg. C, *Donum atque in tḡa comātes* exhibet. Ed. — *In terga comantes Abantiadas.* Ex Homero : ὄπιθεν κομόωντας, *pone comantes.* Et dicuntur Abantes Eubœæ populi *pone comantes*, quia anteriora capillorum resecabant. Eorum more tonsum Delphis Theseum narrat Plutarchus. Hoc vero observasse censet, quo minus pugnantes hostibus darent ansam capiendi, quod etiam factitasse Curetes scribit Antimachus Euboicus. Talem etiam fuisse Εκτόρειαν κόμην vult Isaacius Tzetzes, quam laudat Eustathius Iliad. Ψ, ex Lycophrone. At Homerus Iliad. Δ, Thracas vocat ἀκροκόμους; quod in summo vertice essent comati.

Non ego Abantiadas, non te, saxosa Caryste,
Non humiles Ægas, altumque Capharea dixi.
Et jam acies obtusa negat, cunctique resistunt:
Et tuus armatis jubet ecce silentia frater. »
Vix ea turre senex, quum ductor ab aggere cœpit:
« Magnanimi reges, quibus haud parere recusem
Ductor, et ipse meas miles defendere Thebas,
Non ego vos stimulare parem, (nam liber in arma
Impetus, et meritas ultro jurastis in iras,)

370. *Saxosa Caryste.* Caryste, seu Carystos, urbs Eubœæ, in qua, inquit Strabo, erant Carystiarum columnarum incisio, et templum Apollinis marmoreum: dicitur *saxosa* propter marmora. Lucanus, Phars. V, 232: « Qua maris angustat fauces saxosa Carystos. »

371. *Non h. Agas, alt. Capharea dixi. Egias* unus Behot. *Ægeas* margo ed. Barth. *Capherea* Behot. t. — *Ægas. Ægæ* oppidum Eubœæ insulæ. — *Altumque Capharea.* Caphareus promontorium Eubœæ insulæ, naufragio Græcorum ab exscidio Trojano redeuntium celebre.

372. *Negat.* Id est, deficit, seu vix potest cernere. Sic Theb. II, 668 et seq. « ast tamen illi Membra negant. » — *Resistunt.* Id est, suo numero impediunt, quominus ipsos possim bene distinguere. Peyraredus explicat Gallice, *font halte.*

374. *Quum ductor ab aggere cœpit.* Dan. Petav. Lang. nonnulli, et edd. vett. *cum rector;* Behott. 1, 2, Gronov. Barth. et Delph. *cum ductor.* — *Ductor.* Eteocles. — *Ab aggere cœpit.* Ad morem Romanum respexit, quo tribunal Imperatoris semper in castris cespiticium. Plutarchus in Pompeio: *Βήματος δὲ οὐκ ὄντος, οὐδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φθάσαντος, ὃ ποιοῦσιν αὐτοὶ, τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ καταλλήλων συντιθέντες, κ. τ. λ.* Ammianus 23, « Ipse aggere glebali adsistens, coronaque celsarum circumdatus potestatum, talia ore sereno disseruit. » Noster, Silv. V, 2, 144: « Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Affari. » Sidonius Pan. Soceri 577 et seq. « Concurrunt proceres, ac milite circumfuso Aggere composito statuunt, ac torque coronant Castrensi mœstum, donantque insignia regni. » Lucanus de Cæsare concionante Phars. V, 316 et seq. « Stetit aggere fultus Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri Non metuens. » Mos hic non prisca solum Republica, sed et tempore Principum retentus. Tacitus Annal. I, cap. 18; « simul congerunt cespites, exstruunt tribunal. » Plinius Panegyrico Trajani, cap. 66: « Decora facies Consulis: multa post sæcula tribunal viridi cespite exstructum, nec fascium tantum, sed pilorum signorumque honore circumdatum. » BERNART.

378 *Ultro.* Non coacti. — *Ju-*

Nec laudare satis, dignasque rependere grates
Sufficiam : referent Superi, vestræque subacto
Hoste manus : urbem socia de gente subistis
Tutari, quam non aliis populator ab oris
Belliger, externave satus tellure, sed hostis
Indigena assultat, cui castra adversa regenti
Hic pater, hic genitrix, hic junctæ stirpe sorores,
Hic erat et frater. Cerne en ubicunque nefandus
Exscidium moliris avis. Venere volentes
Aoniæ populi; nec sum tibi, sæve, relictus.
Quid velit ista cohors, et te sentire decebat.
Reddere regna vetant. » Sic fatus, et omnia rite
Disponit, qui bella gerant, qui mœnia servent,
Quas in fronte manus, medio quas robore sistat.

rastis. Jurare proprie est, quotiescunque sacramento exercitus in aliquo bello conspirat, sive quia legiones quum scribuntur, ante in sacramenta militiæ compelluntur jurare. LACTANT.

380. *Referent Superi.* Petrens. *referant Superi.*

384. *Cui castra adversa regenti.* « In duobus libris est : *adversa ferenti;* nihil mutamus. » BARTH.

385. *Hic junctæ stirpe sorores.* Bebot. 1, *hac junctæ.*

386. *H. e. et f. cerne en ubicunque nefandus.* In eodem Bebot. codice, *nefande*, cum glossa, » o *nefande.* » Exc. Cantab. etiam *nefande.* Optimus codex Barthii : *en cerne, ubicumque nefande;* Taur. *nefandum.* — *Hic erat et frater.* Quasi jam non esset. GUYETUS. — Corrige, *erit.* PEYRAREDUS. — *Nefandus Exscidium moliris avis.* Corrige : *Nefanda Excidium moliris avi.* Horatius lib. I, Od. 15, 5 : « Mala ducis avi domum. » PEYRAREDUS. Sed male. Vulgata lectio optima, et ex veteri codice. Qui enim patriæ bellum infert, avis suis exscidium parat, quorum tumuli ac cineres violabantur. — *Ubicunque nefandus.* Nullibi non sceleratus es, quocunque te vertas. V. Sc.

388. *Aoniæ.* Bœotiæ. — *Relictus.* Ut invenias me carentem auxiliis, et occidas. LACTANT.

390. *Redd. r. v. Sic fatus, et omnia.* « Legendum : *Sic fatur, et*, cum optimis libris. » BARTH. — *Reddere regna vetant.* Sic Thebaid. II, 451 : « nec ipsi patres Reddere regna sinent. »

391. *Qui mœnia servent.* Reg. B, *servant* habebat, sed litera e altera manu suprascripta dat *servent*, Reg. C nost. lect. præbet. ED.

392. *Medio quas robore sistat.* « Scribe cum duobus libris : *quas corpore;* quæ vox consonat cum frontis mentione. » BARTH.

Perspicuas sic luce fores, et virgea pastor
Claustra levat, dum terra recens: jubet ordine primos
Ire duces, media stipantur plebe maritæ:
Ipse levat gravidas, et humum tactura parentum
Ubera, succiduasque apportat matribus agnas.
Interea Danai noctemque diemque sub armis,
Noctem iterum rursusque diem (sic ira ferebat)
Ingemiuant: contemta quies, vix aut sopor illis,
Aut epulæ fecere moram: properatur in hostem
More fugæ: nec monstra tenent, quæ plurima nectit
Prodigiale canens certi fors prævia fati.
Quippe ferunt diros monitus volucresque, feræque,

393. *Perspicuas fores, et virgea Claustra.* Hæ sunt una eademque res. — *Perspicuas.* Quia raritate virgarum lucem admittunt. Quidam codices *perspicua.* — Conf. T. Calpurnii Siculi Bucol. Eclog. I, 39 et vid. quæ notantur ad hunc versum ubi locus Papinianus adducitur; Poet. Latin. Min. nost. edit. tom. I, pag. 399. Ed.

394. *Dum terra recens.* Id est, dum terra recenti rore rigata est, quo tempore gratiora sunt pecoribus pascua.

395. *Duces.* Arietes. — *Maritæ.* Oves gravidas.

396. *Ipse levat gravidas*, etc. Conf. Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. I, p. 486, Calpurnii Siculi Eclog. V, v. 41 et 42 ubi hic Nostri locus adductus est. Ed. — *Tactura.* Pondere lactis.

397. *Succiduas.* Succiduæ, quæ sub mamma sunt, seu ubere. Guyetus. — Vel quæ succidunt ambulando, adeo teneræ sunt adhuc; vel decidentes e vulva: oves enim pariunt incedendo. Affert igitur matribus, ut ipsis lac præbeant. Vide Excursum. Ed.

398. *Danai.* Argivi.

401. *Properatur in hostem More fugæ.* Supra, v. 139: « Præcipitant, redimuntque moras. »

402. *More fugæ.* Fecit enim formido veloces. Lactant. — *Monstra.* Quævis ostenta, seu prodigia ac portenta, vocantur *monstra.* — Sil. Ital. Punic. VIII, 622 et seqq. « Ut ventum ad Cannas, urbis vestigia priscæ, Defigunt diro signa infelicia vallo. Nec, tanta miseris jamque impendente ruina, cessarunt Superi vicinas prodere clades. » Ad quem locum Nost. videre operæ pretium est nost. ed. tom. I, pag. 541. Ed.

403. *Certi fors prævia fati.* Aldd. Colin. nonnulli, *præscia;* Lang. Boslid. Lipsian. *fors prævia;* Dan. Put. Petav. *sors præscia.*

404. *Quippe ferunt diros monitus. Quippe serunt diros monitus* Wakefieldus in Silv. Crit. P. v. p. 108. — Reg. C, *Quippe fremit diros*, etc. exhibet. Ed. — *Quippe*

Sideraque, aversique suis decursibus amnes:
Infestumque tonat pater, et mala fulgura lucent:
Terrificæque adytis voces, clausæque Deorum
Sponte fores: nunc sanguineus, nunc saxeus imber,

ferunt diros monitus, etc. Hæc omnia et similia prodigia solebant præcedere imminentes calamitates, eorumque Veteres fuere observantissimi, diversasque instituerunt sacrificia ad ea procuranda. Exempla passim obvia apud Historicos, præsertim Livium. Sufficiet aliqua referre. « *Monitus* autem, et *monere*, propria verba de auguriis, oraculis, prodigiis, ominibus, somniis. Silius Punic. IV, 120 et seq. « huic Superos sentire monentes Ars fuit.» Lucanus, Phars. I, 589: » Monitus volitantis in aere pennæ. » Valerius Flaccus Arg. I, 231: « monitu prænoscere Divum Omina. » — *Volucresque, feræque.* Volucres enim feræque inauspicatæ erant, visæque, aut auditæ, dirum quid ac funestum portendebant, ut bubo, striges, etc.

405. *Sideraque, aversique suis*, etc. Behot. 1, *aversisque;* Behot. 2, *adversique.* — *Sideraque.* Josephus tradit sidus Hierosolymis imminuisse, ac cometem per annum integrum visum, inter prodigia, quæ exscidium hujusce urbis præcesserunt. — *Aversique suis decursibus amnes.* Sic Plinius de Tiberi exundante Hist. Nat. III, cap. 9, « Quinimmo vates intelligitur potius ac monitor, auctu semper religiosus verius, quam sævus. » — *Sideraque.* Ignota sidera apparere tempore belli certissimum est, et frequentia fulmina fieri. — Inter cætera prodigiorum genera fluviorum etiam incrementa ponuntur, incerto tempore. LACTANT.

406. *Infestumque tonat pater, et mala fulgura lucent.* Fulminum jactus, et fulgura inter omina posita. Cicero de Divinatione lib. I, et Oratione III, in Catilinam: » Nam visæ sunt tempore nocturno faces, ardorque cæli, mota est terra, fulmina deciderunt. »

407. *Terrificæque adytis voces.* Sic narrat Josephus, paucis ante diebus quam Hierosolyma expugnaretur, auditos in templo strepitus quasi exeuntium, et auditas voces, » migremus hinc. » — *Clausæque Deorum Sponte fores.* Quasi precantes excluderent, quod signum erat inauspicatum. Sic contra « reclusæ templorum fores inter omina numeratæ, » ut de portis templi Hierosolymitani refert Josephus loco citato. Et infra Noster: » Et templis Sparte præsaga reclusis Vidit Amyclæos, facinus! concurrere fratres. »

408. *Nunc sanguineus, nunc saxeus imber.* Cicero de Divinatione II, « Sanguine pluisse senatui nuntiatum est. » Livius lib. XI, « Præter hæc, inquit, relatum est in monumenta, inferiore cælo lacte et sanguine pluisse. » Idem, lib. VI, Belli Maced. « Terracinæ et Amiterni nuntiatum est, lapidibus aliquando pluisse. » Idem, lib. I, « Nuntiatum regi patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse. »

Et subiti Manes, flentumque occursus avorum.
Tunc et Apollineæ tacuere oracula Cyrrhæ,
Et non assuetis pernox ululavit Eleusin
Mensibus, et templis Sparte præsaga reclusis
Vidit Amyclæos, facinus! concurrere fratres.
  Arcades insanas latrare Lycaonis umbras

409. *Et subiti Manes, flentumque occursus avorum.* Vel quod ita res se habeat, vel quod in publicis calamitatibus metus ipse hæc menti oculisque quasi ingerat. Refert Dio in Tito, evomente flammas Vesuvio, homines giganteæ magnitudinis interdiu noctuque per urbes oberrasse. Dionysius Halicarnass. lib. VIII, sub finem scribit Romæ multa observata prodigia, Deorum iram portendentia, exauditas inauspicatas voces incerto auctore, obversatas oculis novas spectrorum facies, et hæc oculis atque auribus hominum sæpe oblata. Lucanus Phars. I, 570: « Venientes cominus umbræ; » Ovidius Fast. II, 551 et seqq. « Vix equidem credo: bustis exisse feruntur, Et tacitæ questi tempore noctis avi: Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros Deformes animas, vulgus inane, ferunt. »

410. *Apollineæ Cyrrhæ.* Cyrrha urbs Phocidis. — *Tacuere.* Hoc dicit, quia, ut ait Lactantius hic, in Cyrrha prospera dabantur tantum oracula; nam cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur.

411. *Et n. a. p. ul. Eleusin. Eleusis* Lang. Buslid. nonnulli et edd. vett. *Eleusin* Dan. Put. et Petav. Vide Heinsium ad Ovid. Heroid. IV, 67, et Gronov. ad Theb. II, 382. — *Et non assuetis pernox ululavit Eleusin Mensibus.* Eleusis civitas Atticæ, in qua Ceres religiose colebatur, ejusque sacra mensibus tantum fixis statisque celebrabantur. — *Pernox.* Quia hæc sacra noctu fiebant. — *Ululavit.* Quia hæc sacra Cereris magnis clamoribus et ejulatibus agebantur, ut in quibus repræsentabatur luctus Cereris de amissa Proserpina filia. Noster Thebaid. XII, v. 132: « Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin Flevit, et arcanos lugentibus extulit ignes. »

412. *Templis Sparte præsaga reclusis.* Reg. B, *templis parte præsagare reclusis* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Sparte.* Sparta caput Laconiæ.

413. *Vidit Amyclæos*, etc. Reg. B, *Vidit Amicledos* exhibet. Ed. — *Amyclæos fratres.* Pollucem et Castorem oriundos ex Amyclis, oppido Laconiæ, regia Tyndari, quorum in se invicem pietas ac amicitia prædicatur. — *Concurrere.* Signum hoc erat funestissimum, et portendebat Eteoclem et Polynicem contra se invicem dimicaturos. Templum enim Spartæ habebant Castor et Pollux.

414. *Arcades insanas.* Regg. B et C, *Arcados insanas.* — *Arcades.* Priores editiones habent *Arcados.*

Nocte ferunt tacita : sævo decurrere campo
Œnomaum sua Pisa refert. Acheloon utroque
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.
Perseos effigiem mœstam exorantque Mycenæ
Confusum Junonis ebur : mugire potentem
Inachon agricolæ, gemini maris incola narrat
Thebanum toto planxisse Palæmona ponto.

Sed legendum esse *Arcades* bene observavit Gronovius. Ut enim omnes gentes, quæ bello Thebano interterant, signa ac prodigia viderant, quibus infelicem eventum hujusce belli exspectare debebant; Sparte viderat reclusis templi foribus Castorem ac Pollucem concurrentes; Pisa Œnomaum currentem in suo stadio; Acarnan Acheloum privatum etiam altero cornu; sic Arcades referebant audisse latratus Lycaonis. Nota autem fabula Lycaonis in lupum conversi, quod puerum Jovi epulandum dederit. Vid. Ovidium.

415. *Sævo campo.* In quo victor filiæ sponsos solitus erat necare.

416, 417. *Œnom. s. P. r. Acheloon utroque.* Behot. 2, *Acheloumque in utroque.* — *Œnomaum sua Pisa refert.* Hoc notum est ex præcedentibus. — *Acheloon utroque Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.* Omnes sciunt Acheloum, lucta ab Hercule victum, fuisse uno cornu truncatum; sed in hoc tempore Acarnan inter prodigia referebat truncatum altero cornu Acheloum. Notum etiam est amnes taurino capite repræsentari. Sensus est aruisse alterum cornu seu ostium Acheloi, primo ab Hercule in plures rivos deducto et exsiccato. — *Acarnan.* Vide Thebaid. VI, 652; tom. præcedent. pag. 667. Ed.

418. *Perseos effigiem mœstam.* Perseus enim ab Argivis et Mycenensibus inter Deos relatus fuerat. — *Effigiem mœstam.* Et hoc inter prodigia numeratum, si numinum effigies, alio vultu, quam quo solitæ, viderentur. Sic Noster, Silv. IV, 6, 71 et sqq. in Hercule Epitrap. de Alexandro: « Ille etiam, magnos fatis rumpentibus actus, Quum traheret letale merum, jam mortis opaca Nube gravis, vultus alios in numine caro, Æraque supremis tenuit sudantia mensis. »

419. *Confusum Junonis ebur.* Id est, statuam Junonis eburneam, quæ religiose culta ab Argivis. — *Confusum.* Forte sudans, quod etiam inter ostenta habitum, ut mox vidimus ex Hercule Epitrapezio, et Theb. IV, 374, tom. præced. pag. 412 : « Nam Tyrios sudasse lares. » Ed.—*Mugire.* Hoc refertur ad taurinam speciem fluminum, de qua supra.

420. *Inachon.* Inachus fluvius Argolidis. — *Gemini maris incola.* Id est, incola Isthmi, qui hinc et inde mari alluitur.

421. *Thebanum toto planxisse*, etc. Reg. B, *Thebano* ut *toto planxisse* exhibet; Reg. C, *Thebanum vasto planxisse* habet. Ed.

Hæc audit Pelopea phalanx; sed bellicus ardor
Consiliis obstat Divum, prohibetque timeri.
Jam ripas, Asope, tuas, Bœotaque ventum
Flumina; non ausæ transmittere protinus alæ
Hostilem fluvium; forte et trepidantibus ingens
Descendebat agris, animos sive imbrifer arcus,
Seu montana dedit nubes, seu fluminis illa
Mens fuit, objectusque vado pater arma vetabat.
Tunc ferus Hippomedon magno cum fragmine ripæ
Cunctantem dejecit equum, ducibusque relictis
Gurgite de medio frenis suspensus, et armis,
« Ite viri, clamat: sic vos in mœnia primus
Ducere, sic clausas voveo perfringere Thebas. »
Præcipitant cuncti fluvio, puduitque secutos.

422, 423. *Pelopea phalanx.* Adrasti militia Pelope oriuudi. Vet. Schol. — *Bellicus ardor.* A Marte inspiratus. V. S. — *Consiliis Divum.* Incogitanter hoc dicit; consilia enim Jovis fatalia, alia non erant, quam ut a Marte inspirati pessumdarentur Argivi. Et sæpe sic Papinius. Si de aliis Diis capere volueris, incepta ipsorum consilia contra Jovem fatearis. Barth. — *Prohibetque timeri.* Quasi imminentia mala etiam prodigiis nuncientur, ne caveant homines, numina credi velant. Lactant. — *Prohibetque timeri.* « In alio libro est: *prohibetque dolore*, cum glossa: « Id est: Sapere, ad se redire. » Nihil mulo. » Barth.

424. *Asope, tuas, Bœotaque ventum.* *Boëtaque* unus Behot. Dan. Pul. et Petav. — Reg. B, *Boetiaque* habet; Reg. C, *Boetaque*. Ed. — *Asope.* Asopus fluvius Bœotiæ, cujus fabulam supra retulit Noster.

427. *Animos sive,* etc. Reg. B, *animo sive*, cum litera *s* alia manu suprascripta. Ed. — *Imbrifer arcus.* Arcus enim cælestis portendit pluvias.

428. *Seu montana dedit nubes, seu fluminis.* Markland. ad Silv. V, 3, 171, legit: *Seu montana dedit tabes, seu numinis*, etc. — *Seu montana.* Frequenter loca altiora abundant nivibus, quæ quum veris adventu liquefiunt, addunt fluminibus incrementa. — *Fluminis.* Adventus describitur Argivorum. Lactant.

432. *Frenis suspensus, et armis.* Elatis habenis et clipeo. Ob profunditatem enim fluvii natare coactus est, et elevare habenas et clipeum, ne madefierent: amnis enim tunc tumidus et magnus erat.

434. *Sic clausas voveo perfringere Thebas.* Barthius ex codice manuscripto: *sic clausas moveo.*

435. *Puduitque secutos.* Id est,

Ac velut ignotum si quando armenta per amnem
Pastor agit, stat triste pecus, procul altera tellus
Omnibus, et late medius timor: ast ubi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles saltus, visæque accedere ripæ.
Haud procul inde jugum, tutisque accommoda castris
Arva notant, unde urbem etiam turresque videre
Sidonias: placuit sedes, fidique receptus,
Colle per excelsum patulo, quem subter aperto
Arva sinu, nullique aliis a montibus obstant

pudnit eos quod secuti essent alium, neque duces fuissent aliis.

436. *Ac velut ignotum*, etc. Comparationem hanc pariter optimis versibus proposuit Valerius Flaccus, Argon. IV, 195 et seqq. « Qualiter ignotis spumantem funditus amnem Taurus aquis qui primus init, spernitque tumentem, Pandit iter: mox omne pecus, formidine pulsa, Pone subit, jamque et mediis præcedit ab undis. » Ad calcem illius lib. vid. notam 195 novi editoris, tom. I, pag. 311. Ed.

438. *Et late medius timor.* Id est, timor illis repræsentat medium fluvium latissimum.

439. *Fecitque vadum.* « Optimus et alter *fecitque viam*; quod probo. » Barth.

440. *Visæque accedere ripæ.* Refert hoc ad opinionem armentorum, quibus, cessante timore, firmatisve exemplo tauri transeuntis, tunc videtur fluvii altitudo minor, et brevior latitudo.

441. *Inde jugum.* Locus castris aptior, ubi mons in vicinia, propter speculationes hostium, at quod tutus in eum receptus. Vet. Scholiast. — *Accommoda castris.* Positio castrorum describitur. — Virg. Æn. XI, 522: « Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi, armorumque dolis. » Ubi vid. not. nost. edit. tom. IV. pag. 249. Ed.

442. *Turresque videre.* « Optimi et alterius codicis lectio concinnior videtur, *viderent.* » Barth. *videre* est edd. vett. Vide Gronov. Obss. lib. II, cap. 14.

444. *Colle per excelsum patulo, quem subter aperto. Calle per excelsum patula quam subter*, etc. Dan.

445. *Arva sinu, nullique aliis a montibus obstant. Arva situ* optimus Barthianus. — Reg. B, *Arva s. nullisque aliis a montibus instant* habet; Reg. C, *Arva s. n. al. a m. instant.* — *Nullique aliis a montibus obstant Despectus.* Id est, nulli montes altiores erant, qui despicerent hunc collem, et ex quibus infestari poterat. Gallice, *ne le commandaient point.* — Est omnino notabilis castris apti loci descriptio. De talibus vide Leonis Philosophi et Imperatoris Tacticorum Epilogum, Onosandrum Strategetico, Veget. libro I, cap. 22; lib. III, c. 8. Barth.

Despectus : nec longa labor munimina durus
Addidit : ipsa loco mirum Natura favebat.
In vallum elatæ rupes, devexaque fossis
Æqua, et fortuito ductæ quater aggere pinnæ :
Cætera dant ipsi, donec sol montibus omnis
Erepsit, rebusque dedit sopor otia fessis.
Quis queat attonitas dictis ostendere Thebas?
Urbem in conspectu belli suprema parantem
Territat insomnem nox atra, diemque minatur.
Discurrunt muris : nil septum horrore sub illo,
Nil fidum satis, invalidæque Amphionis arces.
Rumor ubique altus, pluresque annuntiat hostes,

446. *Nec longa labor*. Nec multo labore dicit castra munienda.

447. *Ipsa loco mirum Natura favebat.* Optimus codex Barthii *loci;* quod ille probat, *murum* pro *mirum* unus Behot.

448. *In vallum elatæ rupes.* Instar et vice valli cingebant sinum rupes. Vet. Schol.

449. *Et fortuito ductæ quater aggere pinnæ.* Rupes quatuor ductæ in modum turrium pinnatarum.

450. *Cætera dant ipsi.* Quæ deerant castrorum munitioni, manuum opere addebantur.

451. *Erepsit. Derepsit* correxit Nic. Heinsius in Advers. lib. II, cap. 19, p. 373.

453. *Belli suprema parantem.* Sic et scripti. Bernartius conjicit *paventem*. Quod priusquam viderem, venerat in mentem : *in conspectu belli suprema parantis.* Quod ei parabat extrema. Apud Livium lib. VIII, Fabius senex ad Papirium dictatorem : « Quando quidem apud te, nec auctoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, etc. valet. » GRONOV.

454. *Territat insomnem.* Nox auget timorem bellicum, ut nemo quiescere possit. — *Diemque minatur.* Ut magis metuant venturam diem. Vel *diem* dicit hostium cum facibus et flammis adventum.

456. *Nil fidum satis.* Perterritis enim nihil satis tutum videtur.

457. *Rumor ubique altus, pluresque annuntiat hostes.* « Vera lectio est in optimo nostro et Lindenbrogii, *ubique alios.* » BARTH. *Rumor ubique alius* legit Nic. Heinsius in Advers. lib. III, cap. 17, p. 550, *ubique alitus* conj. Burm. *plures adnunciat hostes* Exc. Cant. omisso τῷ *que.* — Reg. B, *ubique alios* habet; Reg. C nostram lect. ED. — *Rumor ubique altus.* Non placet ille *altus*, scribe *alius.* Sic notat naturam rumorum, qui vanitate et mendaciis ut aluntur, ita plerumque dissident secum, et inter auctores variantur. Claudianus III, in Rufinum lib. I, 701 « Dis sensuque alitur rumor. » GRONOV.

Majoresque timor: spectant tentoria contra
Inachia, externosque suis in montibus ignes.
Hi precibus, questuque Deos: hi Martia tela
Belligerosque hortantur equos: hi pectora fletu
Cara premunt, miserique rogos, et crastina mandant
Funera. Si tenuis demisit lumina somnus,
Bella gerunt: modo lucra moræ, modo tædia vitæ
Attonitis: lucemque timent, lucemque precantur.
It geminum excutiens anguem, et bacchatur utrisque
Tisiphone castris: fratrem huic, fratrem ingerit illi,
Aut utrique patrem: procul ille penatibus imis,
Excitus implorat furias, oculosque reposcit.
Jam gelidam Phœben et caligantia primus
Hauserat astra dies, quum jam tumet igne futuro

458. *Majoresque timor.* Majora enim videntur nobis omnia quæ timemus. LACTANT.

459. *Inachia.* Argivs.

460. *Hi Martia tela, Belligerosque hortantur equos.* Hæc inepta et insititia videntur Guyeto; ideo post *questuque Deos*, legit *hi pectora fletu*, id est, plsnctu.

462. *Mandant Funera.* Commendant, vel sua vel suorum, si in hoc bello moriantur.

463. *Si tenuis demisit lumina somnus.* Id est, si ad soporem a rigore vigiliarum laxavit: si levis ergo somnus eos oppresserit, videbantur sibi bellare. LACT.

465. *Lucemque timent, lucemque precantur.* Quod proprie anxiorum est et perterritorum.

466. *Geminum anguem.* Propter duos fratres, ut unicuique eorum majus odium atque implacabile alterius immittat. Cæterum hic versus suspectus Guyeto una cum tribus sequentibus. Quid *geminus anguis*, ait, unde ἰπίχει.

467. *Tisiphone. Thesephone* unus Behot.

468. *Aut utrique patrem.* Quia ambobus fuerat inimicus. — *Ille.* OEdipus pater. LACTANT.

469. *Excitus.* Insomnis, vigilans, experrectus. PEYRAREDUS.

470. *Phœben.* Phœbe, luna, ut Phœbus, sol poetis.

471. *Quum jam tumet igne futuro.* Edd. vett. *et jam*; Lang. nonnulli Behott. 1, 2, optimi Barthiani, et Venett. *cum jam.* — *Tumet igne futuro.* Allusio et color illius Æn. VIII, 709: « pallentem morte futura. » Splendor enim solis resplendere Oceanum facit, et sic is tumere videtur. Vet. Schol. In optimo aliisque codicibus est: *cum jam tumet igne futuro.* Cum glossa: *Futuro.* Proximo. Pariter Thebaid. XII, vs. 760: « Jam letale furens atque audax morte futura. » Sic

Oceanus, lateque novo Titane reclusum
Æquor, anhelantum radiis subsidit equorum.
Ecce truces oculos sordentibus obsita canis
Exsanguesque Iocasta genas, et brachia planctu
Nigra ferens, ramumque oleæ cum velleris atri
Nexibus, Eumenidum velut antiquissima, portis
Egreditur, magna cum majestate malorum.
Hinc atque hinc natæ, melior jam sexus, aniles
Præcipitantem artus, et plusquam posset euntem
Sustentant: venit ante hostes, et pectore nudo
Claustra adversa ferit, tremulisque ululatibus orat
Admitti: « Reserare viam rogat impia belli

scribunt et Bernartiani, Lindenbrogiani et Behotiani. Barth. — *Igne futuro*. Solis orientis.

472. *Reclusum*. Quia ipsum partitur solem: sive sedatum; oriente enim sole tempestas quiescit. Lact.

473. *Anhelantum*. Quia, ut ait Ovidius Met. II, 63 et seq. « Ardua prima via est, et qua vix mane recentes enitantur equi. » Unde *anhelant*. — *Subsidit*. Oriente enim sole *subsidit*, seu detumescit ut plurimum mare, si agitatum est, aut inflatum.

474. *Obsita*. Nigro amictu tecta.

475. *Exsanguesque Iocasta*. *Exangues Iocasta* unus Behot. et meliores Barthii, quod ille probat.

476. *Ramumque oleæ cum velleris atri Nexibus*. Hoc, more supplicantium, qui ramum oleæ lana involutum ferebant. Græcis hic ramus εἰρεσιώνη vocabatur et ἱκετηρία, Æschylo ἱκετήριοι κλάδοι.. Hinc Nostro alibi et Valerio Flacco: « Supplex oliva. »

477. *Antiquissima*. Furiæ addidit insaniam, eam potissimum nominando, quam crudeliorem omnibus esse constabat. Etenim Alecto antiquissimam, quasi natu majorem, dixit: de qua Virg. Æneid. VII, 327: « Odit et ipse pater Pluton, odere sorores. » Apud eumdem Æneid. VI, 675: « furiarum maxima. » Ad quem vid. not. nost. edit. tom. III, pag. 167. Ed.

478. *Magna cum majestate malorum*. Lucanus de Cornelia Pompeii Phars. VIII, 329: « nobilitata dolendi. » — Vide quæ de hoc Papiniano loco enarrantur ad Claudian. XXXIII, de Raptu Proserp. lib. I, v. 80; nost. edit. tom. II, pag. 194. Ed.

479. *Melior jam sexus*. Quia filii impii.

482. *Claustra adversa ferit*. *Castra adversa* Exc. Cantab.

483. *Reserare viam rogat impia belli*. « In melioribus libris *improba*, non *impia*, scriptum est: sed hoc malumus. » Barth. *Reserate viam* Dan. Petav. Lindenbrog. et Delph. ut conjectabat Jortinus. — *Reserare viam*, etc. Hæc ineptissi-

Mater : in his aliquod jus exccrabile castris
Huic utero est. » Trepidi visam expavere manipli,
Auditamque magis : remeat jam missus Adrasto
Nuntius; excipiunt jussi, mediosque per enses
Dant iter : illa duces ut primum adspexit Achivos,
Clamorem horrendum luctu furiata resolvit :
« Argolici proceres, hei quis monstraverit hostem,
Quem peperi? quanam inveniam, mihi dicite, natum
Sub galea? » venit attonitæ Cadmeius heros
Obvius, et raptam lacrimis gaudentibus implet,
Solaturque tenens, atque inter singula, matrem,
Matrem iterat, nunc ipsam urgens, nunc cara sororum
Pectora, quum mixta fletus anus adsperat ira :
« Quid molles lacrimas, venerandaque nomina fingis,
Rex Argive, mihi? quid colla amplexibus ambis,
Invisamque teris ferrato pectore matrem?
Tune ille exsilio vagus? et miserabilis hospes?
Quem non permoveas? longe tua jussa cohortes

ma judicat Guyetus, quare delet, et τὸ *Admitti* jungit cum *trepidi* versu 485.

484. *Jus execrabile.* Quia ex incestu cum filio genuerat Polynicem.

485. *Huic utero.* Qui ambos Imperatores in lucem protulit. Fingitur uterum ostentans, aut manibus percutiens. Vet. Schol. — *Expavere Manipli.* Expaverunt armati Furiæ habitum, qui matrem, si eminus cognovissent, poterant revereri. LACTANT.

488. *Adspexit Achivos.* Dan. *aspexit Acheos.*

490. *Hei quis monstraverit hostem.* Dan. Petav. et edd. vett. *heu quis;* Put. *ecquis;* Behott. 1, 2, Lang. Lipsian. *ei quis.* — *Monstraverit hostem.* Pro monstrat. LACT.

492. *Cadmeius heros.* Polynices.

494. *Matrem, Matrem.* Anadiplosis. Satiari enim non potest uptatissimo nomine. Vet. Schol.

498. *Rex Argive.* Invidiose Argivum vocat, non Thebanum, quia copiis Argivis instructus, bellum patriæ inferebat.

501. *Quem non permoveas. Quod non permoveas* in optimo eodice Barthii. — *Quem non permoveas.* Quidam hunc locum sic interpretantur: Cui non miserationem commovebis? — *Quem non permoveas.* Interrogative: hoc est, quem non permoveas formidine tanti exercitus? aut cui misericordiam non loeutias, cum post exsilium revertaris ad patriam? LACTANT.

Exspectant, multoque latus præfulgurat ense.
Ah miseræ matres! hunc te noctesque, diesque,
Deflebam : si verba tamen, monitusque tuorum
Dignaris, dum castra silent, suspensaque bellum
Horrescit pietas, genitrix jubeoque, rogoque,
I mecum, patriosque Deos, arsuraque saltem
Tecta vide, fratremque, quid aufers lumina? fratrem
Alloquere, et regnum jam me sub judice posce.
Aut dabit, aut ferrum causa meliore resumes.
Anne times, ne forte doli, et te conscia mater
Decipiam? non sic miseros fas omne penates
Effugiet : vix OEdipode ducente timeres.

502. *Multoque latus præfulgurat ense.* « Vett. editiones, *perfulgurat auro*; in plerisque manuscriptis libris, non tamen optimo, et ab *eo* secundo, legitur : *latus præfulgurat* ense. Ergo illam lectionem præfero. » BARTH. — *Multoque latus præfulgurat ense.* Vere et eleganter : alludit enim ad morem Romanum, quo principibus nusquam non satellites aderant eum gladiis ad latus.

503. *Hunc te.* Talem, seu exsulem.

504. *Deflebam. Deflebant* in optimo codice Barthii.

506. *Genitrix jubeoque, rogoque.* Et personam servat et tempus : imperat filio, exsulem rogat iratum et armis instructum.

507. *Arsuraque saltem.* Reg. B, *arsurasque* habet; male. ED.

509. *Sub judice posce.* Reg. B, *posces* habet; Reg. C nostram lectionem. ED.

510. *Resumes.* « Scribe eum optimis membranis : *resumas.* » BARTH.

511. *Ne forte doli, et te conscia mater.* Lang. Buslid. Dan. Petav. nonnulli et edd. vett. ne *forte doli te conscia mater.* — *Te conscia mater.* Majore medicina egent hæc quam superiora : nam vulgatam hanc non solum sententia, sed ratio Latini sermonis spernit. Expressi ego scriptam : *te conscia mater Decipiam?* BERN. — *Ne forte doli te conscia.* Recte scripti : *ne forte doli, et te conscia.* Ne forte subsint doli, et eorum conscia mater te decipiam. GRONOV.

512. *Decipiam. Decipiant* edd. vett. — *Non sic miseros.* — Obtestatur se minime eum decepturam, quia amet suos filios, etiamsi ex incestu sint concepti per errorem, ideoque *miseros penates* dixit. — *Fas omne.* Justitia fundata in natura. Nam secundum hanc mater amat filium, etsi in incestu genitum. Vet. Scholiast.

513. *Effugiet.* Reg. B, *Effugit* exhibet; Reg. C nost. lect. ED. — *Vix OEdipode ducente timeres.* Filius enim etiam jure sibi timere poterat ab OEdipo, qui et interfe-

Nupsi equidem, peperique nefas : sed diligo tales,
Ah dolor, et vestros etiamnum excuso furores.
Quod si adeo perstas, ultro tibi, sæve, triumphum
Detulimus : religa captas in terga sorores,
Injice vincla mihi : gravis huc utcunque feretur
Et pater. Ad vestrum gemitus nunc verto pudorem,
Inachidæ : liquistis enim parvosque senesque,
Et lacrimas has quisque domi, sua credite matri
Viscera : si vobis hic parvo in tempore carus,
Sitque precor, quid me, oro, decet? quidve ista, Pelasgi,
Ubera? ab Hyrcanis hoc Odrysisque tulissem
Regibus, et si qui nostros vicere furores.
Annuite, aut natum complexa superstite bello

ceral patrem, mox matrem uxorem duxeral.

514. *Nupsi equidem, peperique nefas : sed diligo tales.* Seocca, Phœniss. act. I, 2 et seq. « nata, quam lanti esl mihi Genuisse vel sic, desere infauslum patrem. » Ad quem locum illustrandum adductus esl Nostri versus; conf. nost. edit. tom. I, pag. 371. Ed.

515. *Etiamuum excuso furores.* Put. exosa *furores.* — Reg. B hanc lectiooem exhibet, Reg. C nostram. Ed.

517. *Captas in terga.* Manibus in tergum revinctis.

518. *Gravis huc utcunque.* Dau. *gravis huic.* — *Gravis.* Annis scilicel, propter sequens *utcunque.*

519. *Ad vestrum gemitus uune verto pudorem.* Codiees Barthii : *non verto.*

520. *In liquistis enim parvosque senesque*, etc. Wakefieldus in Silv. Crit. P. IV, p. 213, ita distinguit : *liquistis enim parvosque senesque. Et lacrimas has quisque domi; sua, credite matri, Viscera.* — *Inachidæ.* Argivi.

521. *Has.* Similes meis.

522. *Viscera : si vobis hic parvo in tempore carus*, etc. Unus Behol. *parvo tempore*, omissa præpositione. — Reg. B, *Viscera sit vobis*, etc. habet; Reg. C nost. lect. Ed.

523. *Quid me, oro, decet? quidve ista.* Edd. velt. *quodve ista*; Bernartius conj. *quid me ista*, etc. — *Quid me, oro, decet.* Id esl : Ego plùs cum diligere debeo, quem peperi.

524. *Hyrcauis.* De Hyrcanis supra. — *Odrysisque.* Id est, Thraciis. Odrysæ enim populi Thraciæ. Memorat hic Hyrcanos et Odrysios, tanquam immanes et barbaras gentes.

525. *Et si qui nostros vicere furores.* Et si qui sunt reges, qui feritate morum ac immanitate uostra scelera exsuperaverunt : qui nostris sceleribus sunt severiores. Gryet.

Hic moriar. » Tumidas frangebant dicta cohortes,
Nutantesque virum galeas, et sparsa videres
Fletibus arma piis : quales ubi tela virosque
Pectoris impulsu rapidi stravere leones;
Protinus ira minor, gaudentque in corpore capto
Securam differre famem : sic flexa Pelasgum
Corda labant, ferrique avidus mansueverat ardor.
Ipse etiam ante omnes nunc matris ad oscula versus,
Nunc rudis Ismenes, nunc flebiliora precantis
Antigones, variaque animum turbante procella
Exciderat regnum : cupit ire, et mitis Adrastus
Non vetat : hic justæ Tydeus memor occupat iræ :

528. *Nutantes*. Capitum motu trementes. LACTANT.

529. *Quales ubi tela*, etc. Conf. Claud. XXII, de Laudib. Stilich. lib. II, 20 et 21.

530. *Pectoris impulsu rapidi stravere leones*. Put. *rabidi stravere*. — *Pectoris impulsu*. Quia summa vis leonis in pectore est. Plinius Hist. Nat. VIII, cap. 16.

531. *Protinus ira minor*. Leoni enim tantum ex feris clementia in supplices : prostratis parcit; et ubi sævit, in viros prius, quam in feminas fremit; in infantes non nisi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certe reducem Getuliæ audivi, multorum in silvis impetum a se mitigatum alloquio, ausam dicere se feminam, profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantis, indignam ejus gloria prædam. Ita Plinius ibidem. Vide et Ælianum lib. IV, cap. 34.

532. *Securam differre famem*. Jam cibum paratum habentes, quem tamen non attingunt propter generositatem. Papinius enim fingit nobilitate animi etiam famem vincere et differre. — *Pelasgum*. Argivorum.

534. *Ipse etiam ante omnes*. *Ipse etiam ante oculos* Lang. Busl. nonnulli et Venett. — Hanc lectionem Regg. B et C exhibent. ED.

535. *Nunc flebiliora precantis*. Lang. Buslid. Behnt. 1, 2, et edd. vett. *nunc flebilis ora*.

536. *Variaque animum turbante procella*. Affectuum et curarum.

537. *Regnum*. Regni cupido. — *Cupit ire*. Ivisse Thebas Polynicem refert Euripides in Phœnicibus, Jocastamque frustra tentasse fratres reconciliare, eosque ex colloquio infensiores discessisse.

538. *Non vetat*. *Vix vetat* optimi codd. Barth. — *Hic justæ Tydeus memor occupat iræ*. Sic apud Sil. Italic. Punic. XV, 32 : « Occupat inde prior; » ad quem videsis not. nost. edit. tom. II, pag. 222. ED. — *Justæ iræ*. Quia contra jus gentium sibi insidiæ structæ fuerant

« Me potius socii, qui fidum Eteoclea nuper
Expertus, nec frater eram, me opponite regi,
Cujus adhuc pacem egregiam, et bona fœdera gesto
Pectore in hoc : ubi tunc fidei, pacisque sequestra
Mater eras, pulchris quum me nox vestra morata est
Hospitiis? nempe hæc trahis ad commercia natum?
Duc illum in campum, vestro qui sanguine pinguis
Spirat adhuc, pinguisque meo : tu porro sequeris,
Heu nimium mitis, nimiumque oblite tuorum!
Scilicet infestæ quum te circum undique dextræ

ab Eteocle, quem nulla prius injuria læserat.

539. *Qui fid. Eteoclea. Ethioclea* unus Behot. — *Fidum Eteoclea.* Ironia in omnes Thebanos et tyrannum. Simul indicatur singularis amor Tydei in Polinicem, etiam certam mortem pro eo non timentis.

540. *Nec frater eram.* Nec tanti erat me occidi. Theb. II, 488, et seq. « quas quæreret artes, Si fratrem, Fortuna, dares? »

541. *Pacem egregiam.* Ironia, cui familiaris hæc vox. — *Bona fœdera.* Vera, quibus confidere quis possit.

542. *Pectore in hoc. Corpore* in quibusdam Barthianis. — *Pectore in hoc.* Δεικτικῶς, id est, meo, perfusso scilicet multis vulneribus. — *Pacisque sequestra.* Hic Lactantius: « Sequester dicitur qui certantibus medius intervenit, apud quem certaminis futuri pignora deponuntur. Hoc vocabulum ab obsequendo factum est; quod ejus, qui electus fuerit, sententiam utraque pars sequatur. » Vide Festum in *sequester*, et Gellium lib. XX, cap. ultimo. Obvia ea vox apud Jurisconsultos. *Pacis* igitur *sequester,* id est, medius et arbiter. Arbitrum et sequestrum conjunxit Plautus, Rudente act. IV, sc. 3, 63: « Tu isthunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum, Cujus hæc res arbitratu fiat. » Sil. Punic. VI, 346: « At nova Elissæi jurato fœdera patres Consultant mandare duci, pacisque sequestrum Mittere. » Lucan. Phars. X, 472: « orator regis pacisque sequester. » Græce : μεσίτης.

543. *Pulch. q. m. n. v. morata est.* Verbum *est* non habetur in Dan. Petav. nonnullis et Cruc. — *Pulchris Hospitiis.* Ironice.

544. *Hæc ad commercia.* Ostendebat vulnera, quæ in insidiis nocte acceperat: quasi ad pares insidias trahere vellet filium Jocasta.

546 *Tu porro sequeris.* Convertit orationem ad Polynicem.

547. *Nimiumque oblite tuorum.* Hemistichum Ovidianum Epistol. I, 41 et seq. « Ausus es, o nimium, nimiumque oblite tuorum, Thracia nocturno tangere castra dolo. »

548. *Infestæ q. t. c. und. dextræ.* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *dextra.* — *Infestæ.* Jussu tyranni occidere jussæ.

Nudabunt enses, hæc flebit, et arma quiescent?
Tene ille, heu demens, semel intra mœnia clausum,
Possessumque odiis Argiva in castra remittet?
Ante hæc excusso frondescet lancea ferro,
Inachus ante retro, nosterque Achelous abibunt.
Sed mite alloquium, et sævis pax quæritur armis,
Hæc quoque castra patent: necdum meruere timeri.
An suspectus ego? abscedo, et mea vulnera dono.
Intret, et hic genitrix eadem, mediæque sorores.
Finge autem pactis evictum excedere regnis,
Nempe iterum reddes? » Rursus mutata trahuntur

549. *Hæc flebit.* Ad hujus lacrimas putas omnes arma posituros? Vet. Schol.

550. *Semel intra mœnia clausum.* Id est, tandem aliquando: nihil enim magis optabat Eteocles.

551. *Possessumque odiis.* Id est, in potestatem hostium tuorum reductum.

552. *Ante hæc excusso frondescet lancea ferro*, etc. Imitatio Homeri Iliad. I, 234, et Virgil. Æn. XII, 207, quos expressit etiam Valerius Flaccus qui Argon. III, 707 et seqq. « Hanc ego, magnanimi spolium Didymaonis, hastam, Quæ neque jam frondes, virides nec proferet umbras, Ut semel est evulsa jugis, ac matre perempta, Fida ministeria, et duras obit horrida pugnas, Testor, et hoc omni, ductor, tibi numine firmo. » Ubi vid. not. nost. edit. tom. I, p. 232. Ed.

553. *Nosterque Achelous abibunt. Achelous Abibit* Put. — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. Ed.

554. *Sed mite alloquium.* Objicit sibi Tydeus pacem hac ratione fieri posse, si fratres arbitris propinquis controversiam de regno dissolverent.

555. *Hæc quoque castra patent*, etc. Respondit, castra Argiva patere, necdum meruisse timeri, nihil enim adhuc hostile gesserant: se vero abscedere, si securitatis Eteoclis intersit, ut exeat, suamque injuriam remittere.

556. *Et mea vulnera dono.* Pro *dono* nonnulli *pono*. Vid. Nic. Heins. ad Ovid. Art. Am. p. 387. — *Mea vulnera dono.* Conf. Sil. Italic. I, 487; Ovid. ex Ponto II, 7, 51; Liv. VIII, cap. 35; Burmann. ad Val. Flacc. I, 473, quosque Drank. ad h. l. citavit. Senec. Œd. 1001. Ed.

557. *Intret, et hic genitrix eadem. Intret et huc* Lang. Petav. Behott. 1, 2, plerique et edd. vett. — *Mediæ.* Sequestræ, arbitræ.

558. *Finge autem pactis.* Uterque Behot. *Finge illum pactis.*

559. *Nempe iterum reddes.* Rectius reddet. Non enim Tydeus juste persuadere potuisset Polynici, ut retineret regnum, si semel illo potiretur, manendo pactis, de qui-

Agmina consiliis : subito ceu turbine cæli
Obvius adversum Boreæ Notus abstulit æquor.
Arma iterum, furiæque placent : fera tempus Erinnys
Arripit, et primæ molitur semina pugnæ.
Errabant geminæ Dircæa ad flumina tigres,
Mite jugum, belli quondam vastator Eoi
Currus, Erythræis quas nuper victor ab oris
Liber in Aonios meritas dimiserat agros.
Illas turba Dei, seniorque ex more sacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes,
Palmite maturo variisque ornare corymbis
Curat, et alterno maculas interligat ostro.

bus convenerant fratres; quum bellum Eteocli inferret, qui illud secundum eadem pacta reddere renuebat.

560. *Subito ceu cæli*, etc. Vulgi sententiam inconstantem mobilitati maritimorum fluctuum, a ventis concussorum, comparat. Seneca, Hercule Furente, act. II, v. 170 : « Illum populi favor attonitum, Fluctuque magis mobile vulgus, Aura tumidum volvit inani. »

563. *Semina pugnæ*. Causam, occasionem. Lucanus, Phars. lib. I, 159 : « Hæ ducibus causæ suberant; sed publica belli Semina, quæ populos semper mersere potentes, etc. »

564. *Errabant geminæ*. Ante oculos habuit Noster hunc Virgilii locum, Æneid. VII, 475 et seqq. « Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet, etc. » ubi vid. not. nost. edit. tom. III, pag. 307. Ed. — *Dircæa*. Bœotia, seu Thebana.

565. *Belli quondam vastator Eoi Currus*. Id est, junctæ currui qui confecerat Orientale seu Indicum bellum : Bacchus enim curru vectus oppugnaverat viceratque Indos. — *Currus*. Imitatus est Virgilium, qui loqueos de equis currui junctis Achillis, dixit Georg. III, 91 : « et magni currus Achillis. »

566. *Currus, Erythræis. Erycteis* edd. vett. — *Erythræis ab oris*. Id est, ab oris maris Erythræi, seu Rubri.

567. *Liber in A. m. dimiserat agros*. Edd. vett. et nonnulli codd. *demiserat*. — *Aonios*. Thebanos, Bœotios.

568. *Turba Dei*. Mænades, Bacchæ, Satiri; omnis chorus Bacchicorum Trietericorum.

569. *Indum gramen olentes*. Id est, herbas Indicas olentes.

570. *Palm. mat. variusque ornare*. Behott. 1, 2, *variis ornare*. — *Palmite maturo variisque ornare corymbis*. Hederis enim et palmitibus ornabantur, ut Baccho sacræ, cui dicatæ hederæ, palmitesque.

571. *Et alterno maculas interligat ostro*. Ad majorem gratiam

Jamque ipsi colles, ipsa has, quis credat? amabant
Armenta, atque ausæ circum mugire juvencæ.
Quippe nihil grassata fames, manus obvia pascit,
Exspectantque cibos, fusoque horrenda supinant
Ora mero, vaga rure quies: si quando benigno
Urbem iniere gradu, domus omnis, et omnia sacris
Templa calent, ipsumque fides intrasse Lyæum.
Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello
Eumenis in furias, animumque redire priorem
Impulit, erumpunt non agnoscentibus Argis:
Ceu duo diverso pariter si fulmina cælo
Rupta cadant, longumque trahant per nubila crinem.

maculis conciliandam, si et purpureæ maculæ intermiscerentur albis nigrisque.

572. *Ipsa has*. Pro *ipsa has* edd. vett. *ipsas*.

574. *Quippe nihil grassata fames*. Aldd. Colin. et Gryph. *crassata*. — *Manus obvia*. Mansuetæ enim sunt feræ, quæ manu pasci consueverunt.

575. *Exspectantque cibos*. Alii codices, *exceptantque*.

576. *Ora mero*. « Horrenda ora retro flectunt, ut infundatur vinum. » Vet. Schol. Sic Lynces suas ipse Bacchus potare facit, apud Nemesianum, Eclog. III. — *Vaga rure quies*. Quocunque loco dormire velint, a nemine prohibentur.

577. *Si quando benigno Urbem iniere gradu*. De hoc loco vide quæ enarrat Schraderus ad v. 1132 Avien. Descript. Orb. Terræ; Poet. Latin. Min. nost. edit. tom. V, pag. 322. Ed.

578. *Templa canent*. Avienus Descript. Orb. Terræ, v. 519: « Et Junone calent hic aræ præsule semper. » De verbo *calere* confer quæ notantur ad v. 805 Prisc. Perieg. Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. IV, pag. 365. Ed. — *Lyæum*. Bacchum, sic dictum ἀπὸ τοῦ λύειν, quod vinum *solvat* curas.

579. *Vipereo flagello*. Furiæ enim gestant manibus angues, quibus percusserant has tigres.

580. *Animum priorem*. Feritatem naturalem quam jam desueverant.

581. Dan. *antris* pro *Argis*.

582. *Ceu duo diverso pariter si fulmina*, etc. Sensus: ut si duo fulmina scissa labantur a diverso cæli tractu, etc.

583. *Rupta cadant, longumque trahant*. *Rupta cadunt* unus Behot. — Reg. B, *Rupta cadant, longumque trahunt* habet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Longumque trahant per nubila crinem*. Virgil. Æneid. V, 528: « crinemque volantia sidera ducunt. » Crinis hic ignium flammæ. Æschylo in Prometheo vincto πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος. Vide quæ diximus ad Theb. V, 387.

Non aliter cursu rapidæ, atque immane frementes
Transiliunt campos, aurigamque impete vasto,
Amphiarae, tuum (nec defuit omen, heriles
Forte is primus equos stagna ad vicina trahebat)
Corripiunt: mox Tænarium qui proximus Idam
Ætolumque Acamanta premunt: fuga torva per agros
Cornipedum, visa donec flammatus Aconteus
Strage virum, cui sueta feras prosternere virtus,
Arcas erat, densis jam fida ad mœnia versas
Insequitur telis, multumque hastile resumens
Ter, quater, adducto per terga, per ilia telo
Transigit: illæ autem longo cum limite fusi
Sanguinis, ad portas utrimque exstantia ducunt

585. *Impete.* Pro impetu. Sic et Lucretius, de Rer. Natur. V, 506: « Ipse suos igneis certo fert impete labens; » Ovid. Metam. III, 79: « Impete nunc vasto, etc. » et Metam. VIII, 359: « In juvenes vasto sic impete vulnificus sus Fertur. » Ubi vid. nost. edit. tom. IV, p. 34.

586. *Tuum (nec defuit omen, heriles*, etc. « Sola hæc verba (*nec defuit omen*) parenthesi claudenda sunt. » Barth. — *Nec defuit omen.* Quia primus ducum periit Amphiaraus, ut infra videbitur.

587. *Stagna ad vicina trahebat.* Nihil metuens adaquabat equos Amphiarai.

588. *Qui proximus*, etc. Equos suos secundus a castris producebat.

589. *Acamanta. Athamanta* edd. vett. *Achamanta* Dan. Put. et Petav. *Adamanta* margo ed. Barth. ex codice manuscripto.

590. *Cornipedum, visa donec flammatus Aconteus. Cornipedum visa est: donec*, etc. Dan. Petav. et nonnulli, τὸ *est* non habent aliquot Barthiani et Behott. 1, 2, cum edd. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. » Veritatem hoc loco restituit optimus librorum: *Cornipedum visu.* » Barth.

591. *Cui sueta feras prosternere virtus.* Id est, cui solita erat dexteritas dejiciendis feris.

592. *A. e. d. j. f. ad m. versas.* Aldd. Colin. et Basil. *versa.* — *Arcas erat.* Arcades enim sagittandi peritissimi. — *Fida ad mœnia.* Thebas. Sic infra « dilectis muris. »

594. *Per ilia telo.* Lang. Buslid. Petav. nonnulli et edd. vett. *per ilia ferro.* « In aliis legitur *telo*: inscite; jam enim dixit *telis.* » Barth. *Telo* exhibent Behott. 1, 2, Amstel. Gronov. Barth. et Delph.

595. *Transigit. Transicit* Put. et optimus Barthii; quod ille probat. — *Illæ autem longo cum limite*, etc. Conf. Sil. Italic. Punic. IV, 258, et ad hunc locum adi notata, nost. edit. tom. I, pag. 243. Ed.

596. *Utrimque.* Supra et infra.

Spicula semianimes, gemituque imitante querelas,
Saucia dilectis acclinant pectora muris.
Templa putes, urbemque rapi, facibusque nefandis
Sidonios ardere lares : sic clamor apertis
Exoritur muris : mallent cunabula magni
Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale ruisse
Harmonies : cultor Bacchæus Acontea Phegeus
Jam vacuum telis, geminoque in sanguine ovantem
Cominus ense petit : subeunt Tegeæa juventus
Auxilio tardi : jam supra sacra ferarum
Corpora mœrenti juvenis jacet ultio Baccho.

597. *Gemituque imitante querelas.* Gemunt se morituras, quia mortem propinquam sentiunt tigres. Vet. Schol.

598. *Saucia dilectis acclinant pectora muris.* Sic hunc versum et tres præcedentes vertit *Cormiliolle*: « Les deux tigresses mourantes, « et le corps hérissé de dards, at« teignent en se traînant les por« tes de Thèbes, et laissent der« rière elles une longue trace de « sang. Elles poussent un gémisse« ment douloureux, plaintif; elles « expirent enfin, appuyées contre « les murs qu'elles ont tant ché« ris. » Ed.

599. *Urbemque rapi.* Pessumdari, vastari, Virgil. Æneid. II, 374: « Alii rapiunt incensa feruntque Pergama, » Noster Theb. III, 14: « et nostris turribus æqui Thespiadæ totos raperent mihi funditus Argos. »

600. *Sidonios.* Thebanos. — *Apertis muris.* Urbe expugnata, captaque.

601. *Mallent cunabula magni.* Lindenbrog. et Crue. *manent* pro *mallent.* — *Cunabula magni Herculis.* Thebis natus enim Hercules.

602. *Aut Semeles thalamum.* Supra, vs. 179 et seq. « et in tumulos, si quid male fœta reliquit Maler, abire jubes? » Pausanias etiam in Bœoticis refert Thebanos suo adhuc tempore ruinas Semeles thalami monstrare, eumque ab hominum accessu custodire. Arsisse tamen dicitur ex fabula cum ipsa Semele, totaque regia. Vide Ovidium Met. III, 298, seqq.

603. *Harmonies:* e. *B. Acontea Phegeus. Hermonie* in quibusdam eodd. *Hermione* Behot. 1, *Hermiones* Behot. 2; *Phlegeus* uterque Behot. — *Harmonies.* Uxoris Cadmi.

604. *Gemino in sanguine.* Id est, sanguine duarum tigrium.

605. *Tegeæa.* Arcadia.

606. *Auxilio tardi.* Quia jam Phegeus Aeonteum occiderat. — *Sacra corpora.* Duæ enim illæ tigres Baccho sacræ.

607. *Mœrenti Baccho.* Ob casum duarum tigrium. — *Juvenis.* Aeonteus ipse.

Rumpitur et Graium subito per castra tumultu
Concilium : fugit externos Iocasta per hostes,
Jam non ausa preces : natas, ipsamque repellunt
Qui modo tam mites; et præceps tempore Tydeus
Utitur : « Ite age, nunc pacem sperate, fidemque!
Nunc saltem differre nefas? potuitne morari
Dum genitrix dimissa redit? » Sic fatus aperto
Ense vocat socios : sævus jam clamor, et iræ
Hinc atque inde calent : nullo venit ordine bellum;
Confusique duces vulgo, et neglecta regentum
Imperia : una equites mixti, peditumque catervæ,

608. *Rumpitur et Graium subito,* etc. *Rumpitur ecce gravi* Lang. Buslid. Petav. plerique, et Plant. *Rumpitur et Graium* Dan. optimus Barthianus, Behott. 1, 2, Gronov. Barthian. et Delph. *Rumpitur at Graium* conj. Barthius. — *Rumpitur et Graium.* Nec dicas etiam Bœotos esse Græcos : nam quoniam hi toties *Tyrii* vocantur, merito bis diversi κατ' ἐξοχὴν Graii statuuntur, et vocantur Peloponnesii. Notavit et Canterus. GRONOV.

611. *Qui modo tam mites. Quæ modo* Aldd. Colin. et Basil. — *Qui modo tam mites.* Sensus : Græci qui modo tam mites fuerant, visis Jocastæ et filiarum ejus lacrimis, auditis precibus, ipsam et natas jam repellunt.

612. *Ite age.* Τὸ *age* singulari numero, ad plures tamen pertinere potest. Servius ad Æn. II, 707 : « Age modo non est verbum imperantis, sed adverbium hortantis, adeo ut plerumque *age facite* dicamus, et singularem numerum copulemus plurali. »

613. *Nunc saltem differre nefas? potuitne morari.* Exc. Cantab. *Nc̃ saltem,* et supra *Nũ saltem ;* Taurin. Aldd. et Colin. *Num saltem ;* Behott. *Non saltem differte.* Nonnulli codd. *potuitve,* ut in Aldd. et Colin. alii vero *potuitque,* ut in Taurin. — Reg. B, *Num saltem differre nefas* habet; Reg. C, *Nunc saltem differte,* etc. Ed. — *Nunc saltem differre nefas.* Mallem *Num ;* id est, num Eteocles potuit differre nefas, num potuit exspectare, dum genitrix dimissa redit? Id est, tam promtus ad scelera est, ut quamvis mater sit in potestate hostium, non potest ea vel tantillum temporis differre. Hoc dicit, quia Aconteum Phegeus occidendo spem pacis omnem præcluserat.

614. *Aperto ense.* Evaginato.

615. *Sævus clamor.* Hostilis et omnia miscens.

616. *Nullo venit ordine bellum.* Scilicet, pugna geritur nulla disciplina.

617. *Confusique duces vulgo.* Tumultu uno omnia confundente, nec imperium constat ducibus, nec officium militibus.

Et rapidi currus : premit indigesta ruentes
Copia, nec sese vacat ostentare, nec hostem
Noscere : sic subitis Thebana Argivaque pubes
Conflixere globis : retro vexilla, tubæque
Post tergum, et litui bellum invenere secuti.
Tantus ab exiguo crudescit sanguine Mavors!
Ventus uti primas struit inter nubila vires
Lenis adhuc, frondesque, et aperta cacumina gestat:
Mox rapuit nemus, et montes patefecit opacos.

619. *Rapidi ourrus. Et rapidi cursus* unus Behot. — *Rapidi currus.* Impetu suo omuia protnrbantes. — *Indigesta.* Extra omnem ordinatiouem. Ovid. Metam. I, 7: « rudis indigestaque moles. »

622. *Conflixere globis.* « Legendum *Confluxere* cum optimis librorum, nou *Conflixere*, ut vulgo. » Barth. — Reg. B, *Conjunxere globis* habet; Reg. C nostram leet. En.

623. *Et litui bellum invenere secuti.* Ut osteuderet pngnam tumultuose initam ac perversum ordinem exercitus, dieit post aeiem esse vexilla, quæ solent præcedere militum cuneos, lituosque secutos pnguam, quum ipsi illam excitare soleant. Ex quo loeo liquet non solum tubarum, sed etiam lituorum usum in bello fuisse. Exempla passim obvia. Seneca Thyeste, act. III, 574: « Jam silet mnrmnr grave classicorum, Jam tacet stridor litui strepentis, Alta pax urbi revoeata lætæ est. » Eleganti metaphora Cicero sumsit pro impulsore ad Attioum : « Existimare Q. fratrem lituum meæ profectionis fuisse. » Vide A. Gellium lib. I, cap. 11, de Veterum ritu in prælio.

624. *Tantus ab exiguo crudescit sanguine Mavors!* Reg. B, *Tantus in ambiguo crudescit sanguine Mavors* exhibet; Reg. C nost. lect. En. — *Ab exiguo sanguine.* Duarum tigrium scilieet, atque Achamantis, Idæ, et Acontei. — *Crudescit.* Efferatur. Noster Thebaid. II, 717: « et adsperso crudescit sauguine Gorgon. » Virgil. Æneid. XI, 833: « dejecta crudescit pngna Camilla. » Servius : « Crudelior fit cæde multorum. » Val. Flae. Argon. II, 509: « Ecce ducem placitæ furiis crudeseere pugnæ, Surgentemque toris stupet. »

625. *Ventus uti primas struit inter nubila vires.* Reg. B, *struit intra nubila vires* habet; Reg. C uost. lect. En.

626. *Et aperta caeumina gestat.* « In optimo libro est *cacumina portat*; quod præfero ut Virgilianum. » Barth. — *Gestat.* Id est, quatit; inde *gestatio*, corporis motus tum valetudinis, tum etiam voluptatis causa factus. Vide Plinium Juniorem Ep. lib. I, 3, et lib II, Epist. 17; et Plinium Seniorem Nat. Hist. lib. II, cap. 3.

627. *Et montes patefecit opacos.* Stratis abreptisque arboribus montes nudavit.

Nunc age, Pieriæ, non vos longinqua, sorores,
Consulimus, vestras acies, vestramque referte
Aoniam; vidistis enim, dum Marte propinquo
Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.
Sidonium Pterelan sonipes malefidus in armis
Rumpentem frenos diversa per agmina raptat
Jam liber; sic fessa manus : venit hasta per armos
Tydeos, et lævum juvenis transverberat inguen,
Labentemque affigit equo : fugit ille peremto
Consertus domino; nec jam arma, aut frena tenentem
Portat adhuc : ceu nondum anima defectus utraque
Quum sua Centaurus moriens in terga recumbit.
Certat opus ferri : sternuntque alterna furentes
Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus,
Parthenopæus Ityn : Sybaris jacet ense cruento,
Cuspide trux Periphas, Itys insidiante sagitta.
Cæneos Inachii ferro Mavortius Hæmon

628. *Pieriæ sorores.* Musæ. Vide Theb. I, 3.

630. *Aoniam.* Bœotiam.

631. *Tyrrhenos tumultus.* Id est, sonitnm tnbarum, quas Tyrrhenos invenisse fama est.

632. *Sidonium Pterelan sonipes m. in armis. Sidonium phaleram* unus Behot. *malefidus in arvis* codex manuscriptns Lindenbrogii; *in armos* nonnnlli Barthiani.

633. *Rumpentem frenos.* Nimio scilicet conamine, nt sisteret eqnnm, qui illnm raptabat.

634. *Jam liber.* Rnptis nempe habenis.

635. *Tydeos, et lævum juvenis transv. inguen.* Regg. B et C, *juveni* exhibent. Ed. — *Tydeos.* Ille genitivus Græcus refertnr ad τὸ *hasta. Hasta* scilicet *Tydeos.*

638. *Anima utraque.* Hnmana et equina : Centauri enim homines simnl et eqni.

640. *Certat opus ferri.* Fervet prælinm. — *Sternuntque alterna furentes*, etc. Diversorum mortes describit hic Noster, ut Virgilius, sed non tam feliciter.

641. *Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus. Sabarin* nnus Behot. « Libri meliores *Menestheus* clare referunt. » Barth. *Menaceus* nnns Behot. *Capaneus* nnns Lindenbrogii. — Reg. B, *Hippodamon Sybarim*, etc. habet; Reg. C nost. lect. Ed.

643. *Insid. sagitta.* Sagittæ enim non prævisæ vix evitari possunt.

644. *Mavortius Hæmon.* Vide suprá catalogum ducnm Thebanorum. — *Mavortius.* Quia e Spartis

Colla rapit : cui dividuum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput : arma jacentis
Jam rapiebat Abas : cornu deprensus Achiva
Dimisit moriens clipeum hostilemque suumque.
Quis tibi Bacchæos, Eunæe, relinquere cultus,
Quis lucos, vetitus quibus emansisse sacerdos,
Suasit, et assuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clipei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nysæaque serta coronant.
Candida pampineo subnectitur instita pilo :

originem trahebat, qui orti erant e dentibus serpentis Marti sacræ.

645. *Cui dividuum trans corpus*, etc. Heinsius in Advers. lib. I, cap. 3, p. 22 legit: *cui deciduum*, etc.

646. *Jacentis*. Alii, *jacenti*.

647. *Cornu deprensus Achiva*. *Achivo* unus Behot. postrema litera exarata in litura; *achivo* habent etiam Aldd. Colin. et Basil « Mihi non gentis, sed viri nomen hic Papinio scriptum persuasum est. » Barth. — *Cornu deprensus Achiva*. Cf. Sil. Ital. Punic. IV, 550; Virgil. Georg. II, 448, « cornus bona bello; » et Æneid. IX, 698, « cornus Itala volat; et XII, 267. » Ed.

648. *Hostilemquesuumque*. Quem gestabat et quem captabat.

650. *Vetitus quibus emansisse*. Put. *vetitos;* quod melius putat Lindenbrogius. — *Vetitus quibus emansisse sacerdos*. *Emanere*, id est, extra manere, seu egredi. Utitur eadem voce Modestinus. Et hinc discimus, vetitum fuisse sacerdotibus Bacchi exire e lucis huic Deo consecratis.

651. *Et assuetum Bromio mutare furorem*. In orgiis enim Bacchi furore corripiebantur; sed hic furor multum alienus erat a martio, seu bellico. Sic Thebaid. IV, 396: « en urges : alium tibi, Bacche, furorem Juravi. »

653. *Nysæa serta*. Uvæ, et pampini, quibus coronabantur in Nysa monte Bacchi ministri.

654. *Candida pampineo subn. instita pilo*. Lang. Buslid. et edd. vett. *purpureo;* Dan. Petav. optimus Barthianus, alii, cum Lindenbrog. Gronov. Barthian. et Delph. *pampineo*. Behot. 1, optimus Barthianus, Lang. Buslid. et edd. vett. *filo;* Behot. 2, Dan. Petav. alii, *pilo*. — Reg. B, *pampineos* habet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Candida pampineo subnectitur instita pilo*. Pampineus pilus, thyrsus. In Achilleide, 634 : « ego pampineis diffundere brachia thyrsis. » Virg. Æneid. VII, 396: « Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas. » Ibi vid. notata, nost. edit. tom. III, pag. 299. Ed. — Macrobius I, Saturn. 19, « Colitur apud Lacedæmonios simulacrum Liberi patris hasta insigne, non thyrso. Sed et quum thyrsum tenet, quid aliud quam latens telum gerit, cujus mucro hedera labente protegitur? »

Crine latent humeri : crescunt lanugine malæ,
Et rubet imbellis Tyrio subtemine thorax :
Brachiaque in manicis, et pictæ vincula plantæ,
Carbaseique sinus, et fibula rasilis auro
Tænariam fulva mordebat iaspide pallam ;
Quam super a tergo velox corytus, et arcus,
Pendentesque sonant aurata lynce pharetræ.
It lymphante Deo media inter millia longum

— *Instita.* Hic significat fasciam, quæ circa pilum pampinis ornatum ionectebatur. Et bene *candida*, quia candidæ fasciæ sacerdotum, ut jam alibi diximus. Quidam legunt hunc versum sic : « Candida purpureo subnectitur instita filo. » Lactantius per *institam*, intelligit fasciam, quæ imam vestem suo pingit ornatu, et confirmat ex Horatio lib. I, Sat. 2, v. 29 : « Quarum subsuta talos tegat instita veste. » Guyetus intelligit de clipeo, cujus orbem instita candido et purpureo filo contexta circuit.

655. *Lanugine.* Ad opinionem retulit, quia per pilos videntur malæ crescere.

656. *Tyrio subtemine.* Dan. Petav. Buslid. et edd. vett. male *sub tegmine.*

657. *Brachiaque in manicis.* Hoc etiam tanquam molle et effeminatum arguitur in Phrygibus apud Virgil. Æneid. IX, 616 : « Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ. »

658. *Carbaseique sinus, et fibula rasilis auro Tænariam fulva mordebat iaspide pallam.* Virg. Æneid. XI, 775 : « sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro. » Retulit vero Poeta ad mollitiem et luxuriam « carbaseos sinus » (quia carbasus sericum est, vel linum tenue) ac pulchritudinem fibulæ : erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo *interrasas* appellant. Lact. — *Iaspide.* De hac Plin. Hist. Nat. XXXVII, 37 : « viret et sæpe translucet iaspis, etiam si victa a multis, antiquitatis tamen gloriam retineos. » En. — *Tænariam.* Laconicam, a Tænaro Laconiæ urbe et promontorio.

660. *Velox corytus.* Dan. Petav. unus Behot. et edd. vett. *corytos.* — *Velox corytus.* Corytus proprie theca arcus ; *velox* hic levem explico ; et credo Poetam habuisse ante oculos hunc versum Æneid. X, 169 : « Corytique leves humeris et letifer arcus. » Lactant. dicit esse hypallagen, pro sagittis velocibus, ut supra 647, *cornu Achiva.* En.

661. *Pendentesque sonant*, etc. *Splendentesque* in quibusdam codd. — *Aurata lynce.* Pelle lyncis aurata. Sic Theb. I, v. 484, *Leonem* pro pelle leonis, et Thebaid. VI, 722, *Tigrin* pro pelle tigridis, sumit Noster.

662. Unus Behot. pro *longum* habet *longe.* — *Lymphante Deo.* Hoc est, furiis incitante. Lact.

Vociferans : « Prohibete manus : hæc omine dextro
Mœnia Cyrrhæa monstravit Apollo juvenca.
Parcite, in hæc ultro scopuli venere volentes.
Gens sacrata sumus : gener huic est Juppiter urbi,
Gradivusque socer : Bacchum haud mentimur alumnum
Et magnum Alciden. » Jactanti talia frustra
Turbidus aeria Capaneus occurrit in hasta.
 Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris
Erexit rabiem, et sævo speculatur ab antro

663. *Prohibete.* Vim suspendite et avertite.

664. *M. C. Apollo juvenca. Apollo juventa* Put. — Hanc Reg. B lectionem habet, Reg. C nostram. Ed. — *Cyrrhæa monstravit Apollo juvenca.* Alludit ad fabulam, qua dicitur Apollo oraculo monuisse Cadmum, ut bovem sequeretur, urbemque conderet eo loco quo consisteret. Quod et fecit Cadmus, regionemque ex bovis nomine Bœo jam nominavit. — *Cyrrhæa.* Id est, Cyrrhæo oraculo designata. Nam Cyrrhæ erat Apollinis oraculum.

665. *In h. ult. s. ven. volentes.* « Scribendum *volantes* cum optimis libris. » Barth. — *In hæc ultro scopuli (lapides) venere volentes.* Alludit etiam ad fabulam, qua lapides dicuntur cantu Amphionis se admovisse construendis Thebarum muris. Horat. Carm. III, 11, 2; et Art. Poet. 395. Ed.

666. *Gener huic est Juppiter urbi.* Unus Behot. *gener est huic Juppiter.* — *Gener huic est Juppiter urbi.* Per Semelem scilicet, Antiopam, et Alcmenam matronas Thebanas, quas adamavit, et ex quibus liberos genuit.

667. *Gradivusque socer.* Per Harmoniam filiam, Cadmo nuptam. — *Bacchum haud mentimur alumnum, Et magnum Alciden.* Thebæ enim duorum nominum, Liberi patris et Herculis, patria credita. — *Alciden.* Herculem, ab Alceo avo materno.

669. *Aeria in hasta.* Id est, cum hasta, vel per hastam. — *Aeria.* Velociter auras findente. Ed.

670. *Qualis u. p. l. m. cub. atris.* Dan. *cubilibus acris;* Lang. Buslid. Aldd. nonnulli et Plaut. *cubilibus altis;* Behott. 1, 2, Put. Petav. Lindenbrog. et recentt. *cubilibus atris.* — Reg. B, *astris* habet, sine sensu; Reg. C nost. lect. Ed. — *Qualis ubi primam Leo,* etc. Imitatur Noster Virgil. Æneid. X, 454 et seqq. « utque leo, specula quum vidit ab alta stare procul campis meditantem in prælia taurum, Advolat, etc. » Quem locum vid. nost. edit. tom. IV, pag. 145.

671. *Erexit r. et sævo speculatur ab antro.* Put. *spectatur.* — *Erexit rabiem.* Verba servavit Claudianus de Raptu Proserp. lib. II, 210 et seq. « nudataque viscera fodit Unguibus, et rabiem totos erexit in armos. » Notavit J. Scal. Poet. lib. V, cap. 14, ubi collatæ

Aut cervam, aut nondum bellantem fronte juvencum,
It fremitu gaudens, licet arma, gregesque lacessant
Venantum; prædam videt, et sua vulnera nescit.
   Sic tunc congressu Capaneus gavisus iniquo
Librabat magna venturam mole cupressum.
Ante tamen, « Quid femineis ululatibus, inquit,
Terrificas, moriture, viros? utinam ipse veniret,
Cui furis! hæc Tyriis cane matribus: » et simul hastam
Expulit: illa volans, ceu vis non ulla moretur
Obvia, vix sonuit clipeo, et jam terga reliquit.
Arma fluunt, longisque crepat singultibus aurum,

leonnm Descriptiones, etc. BARTH.

672. *Aut cervam*. *Aut cervum* Lang. uterque Behot. Aldd. Lindenb. plerique et Gevart. Hanc Regg. B et C lect. habent. ED.

674. *Venantum*. *Venatum* unus Beh. — *Vulnera nescit*. Major cupiditas prædæ est ei, quam timor mortis; nec cavet, ut vitet exitium; sed festinat, ut prædam rapiat. Lucan. I, 212: » vulneris tanti securus. »

675. *Sic tunc*, etc. *Sic tum* in eodem Behot. codice. — *Iniquo*. Impio, utpote contra sacerdotem Dei; Capaneus enim ubique depingitur contemtor Deorum. BERALD. — *Iniquo*. Pedestri certamine urgetur. Ut Virgil. Æneid. X, 889: » Pugna congressus iniqua. » BARTH.

676. *Venturam*. Majore impetu, quam pro tali hoste. Nescio quid monstri alant hoc loco duo libri, qui expressis literis referunt: *Venaurem*. An ab aure libratam hastam dixit Papinius, et correptus est? sit expressio illius Maroniani, Æneid. IX, 417: » hoc acrior idem Ecce aliud summa telum librabat ab aure. » Sed potius est, ut nihil mutemus, cum libri illi nequaquam nullibi errent. BARTH. — *Venturam cupressum*. Hastam ex cupresso. Thebaid. IV, 176, de eadem hasta Capanei: « atque uni missilis illi Cuspide præfixa stat frondibus orba cupressus. »

677. *Femineis*. Nam vestes te arguunt virum non esse.

678. *Terrificas*. Studes perterrere. Virgil. Æn. IV, 210: « cæcique in nubibus ignes Terrificant animos, et inania murmura miscent. »

679. *Cui furis*. Id est, in cujus honorem sacra celebras. Claudianus, VIII, de IV Cons. Honorii, 605: « dubitarent Orgia Bacchi Cui furerent. » Sacra Bacchica cum furore peragebantur, seu erant enthusiastica, ut notum est. Vid. not. nost. edit. Claudian. tom. I, p. 317. ED. — *Hæc*. Supple, quæ dixerat Eunæus. — *Tyriis*. Thebanis.

681. *Obvia, vix sonuit clipeo*. Vix tetigit clipeum, et jam totum hominem transiit.

682. *Arma fluunt*. Guyetus delet hunc versum, ut superfluum et adulterinum.

Eruptusque sinus vicit cruor : occidis audax,
Occidis Aonii puer altera cura Lyæi.
Marcida te fractis planxerunt Ismara thyrsis,
Te Tmolos, te Nysa ferax, Theseaque Naxos,
Et Thebana metu juratus in Orgia Ganges.
Nec segnem Argolicæ sensere Eteoclea turmæ,

683. *Eruptusque sinus. Erumpensque sinus* Aldd. Colin. Basil. et Plant. *Eructasque sinus* unus Behot. ab alia manu; *Eruptusque sinus* Lang. Petav. Lindenbrog. nonnulli et recentt. — Reg. B, *Eruptusque sinus* exhibet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Erumpensque sinus.* Interpolarunt homines ferreæ frontis: scriptura et editio vetus: *eruptusque sinus*, quod retinendum est: dixit ea notione qua *palatus* pro *palans*, et similia, dicimus. Vide Scholia ad lib. II. Bernart. — *Audax.* Quia inter medios hostes irruerat, vix armatus.

684. *Altera cura.* Post tigres, vel post Phegeum, 603. Ed. — *Aonii Lyæi.* Bacchi Thebani.

685. *Marcida te fractis planxerunt. Martia* unus Behot. *plauserunt* in eodem Behot. *plausere* Behot. 2. — *Marcida.* Vino plena, seu squalida. — *Planxerunt.* Præteritum pro futuro. — *Ismara.* Mons Thraciæ, Baccho sacer.

686. *Te Tmolos. Te Tmolus* Put. *Te Thimolos* unus Behot. *Te molos* in altero Behot. literis interpolatis. — Reg. B, *Te Tmolus* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Tmolos*, Lydiæ mons sacer etiam Baccho. — *Te Nysa ferax.* Plures Nysæ erant, ut supra vidimus. — *Naxos.* Una ex Cycladibus insulis, sacra Baccho. Oppidum habebat: hæc prius *Strongyle*, dein *Dia*, mox *Dionysias* a vinearum fertilitate vocata. Alii *Siciliam minorem*, aut *Callipolim* appellarunt. Patet circuitu 75 millia passuum, dimidioque major est quam Paros. Fons in ea insula vino fluit. — *Theseaque Naxos.* Quod Ariadne, illic relicta a Theseo, nupsit Baccho, donataque fuit corona postea inter astra relata. *De hac insula* ampliora invenies ad Catulli Carm. LXIV, epithalam. Pelei et Thetidos, v. 52, nost. ed. p. 241. Adi etiam Choiseul-Gouffier, qui de Naxo copiosius egit in opere, cui titulus, *Voyage pittoresque de la Grèce.* Cahier I. Ed.

687. *Ganges.* Fluvius Indiæ. Est in altissimis montibus regni *Thibet*, perpetua nive candentibus, ingens lacus, maximorum totius Indiæ fluminum hydrophylacium, ex quo Ganges, Indus, Ravi, Athec, natales suos ducunt; Ganges per rupes altissimas horrendo strepitu præcipitatus, in profundissima valle sui cursus primordia ducit: Indus, cæterique per radices montium suum sortiuntur exitum. Ita Kircherus, China illustrata. Vide Theb. I, vs. 686; et ibi notata; tom. præcedent. pag. 114. Ed. — *Thebana juratus in Orgia.* Quia Indi Gangis accolæ subacti a Baccho, Thebanos ritus, sacraque, recipere coacti fuerant.

Parcior ad cives Polynicis inhorruit ensis.
Eminet ante alios jam formidantibus arva
Amphiaraus equis, ac multo pulvere vertit
Campum indignantem : famulo decus addit inane
Mœstus, et extremos obitus illustrat Apollo.
Ille etiam clipeum, galeamque incendit honoro
Sidere : nec tarde fratri, Gradive, dedisti,
Ne qua manus vatem, ne quid mortalia bello
Lædere tela queant : sanctum, et venerabile Diti
Funus erat : talis medios infertur in hostes
Certus et ipse necis : vires fiducia leti
Suggerit; inde viro majoraque membra, diesque
Lætior, et nunquam tanta experientia cæli,
Si vacet : avertit morti contermina Virtus.

690. *Formidantibus arva.* Fatalia, scilicet, in quibus perituri erant.

691. *Equis.* Ideoque per metum truculentioribus. Vet. Schol. De descensu autem ad Inferos Amphiarai, et sobole atque successione ejus, non sunt nihili, quæ ante aliquot secula commentatus est Joh. Boccatius Geneal. Deor. lib. XIII, cap. 45, et seqq. Barth.

692. *C. ind. famulo decus addit inane.* Put. *abdidit omen.* — Reg. B, *addidit omne* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Campum indignantem.* Amphiarao.

693. *Mœstus.* Ob proximum obitum Amphiarai, quem diligebat.

694. *Incendit.* Illuminat. Lact.

695. *Fratri.* Apollini.

697. *Sanctum, et venerabile.* Id est, inviolatum manibus hominum; res enim sacras tangere vetitum est.

698. *Funus erat : talis medios infertur in hostes. Funus eat* Put. *Funus erit* nonnulli Bernartiani; *Munus erat* unus Behot. *aufertur in hostes* Put. — Reg. B, *Funus eat : talis medios aufertur in hostes* præbet; Reg. C nostram lectionem. Ed.

699. *Certus et ipse necis.* Præviderat enim suam mortem Amphiaraus augurio. Theb. III, 515—565.

700. *Inde viro majoraque membra, diesque Lætior.* Sic Livius de Decio immittente se in medios hostes lib. VIII, cap. 9 : « Conspectus, ait, ab utraque acie aliquanto augustior humano visu. » Ubi vide notata, nost. edit. tom. II, pag. 450. Ed.

701. *Lætior.* Reg. B, *Latior* habet; Reg. C, *Letior.* Ed. — *Experientia cæli.* Doctrina et scientia auguriorum. Lactant.

702. *Si vacet.* Si liceat. Virgil. Æneid. X, 625 : « Hactenus indulsisse vacat. » — *Contermina.* Vicina morti.

Ardet inexpleto sævi Mavortis amore,
Et fruitur dextra, atque anima flagrante superbit.
Hic hominum casus lenire, et demere fatis
Jura frequens, quantum subito diversus ab illo,
Qui tripodas, laurusque sequi, qui doctus in omni
Nube salutato volucrem cognoscere Phœbo.
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus
Aut jubar adversi grave sideris, immolat umbris
Ipse suis : jaculo Phlegyam, jaculoque superbum
Phylea, falcato Chromin, et Cremetaona curru,
Cominus hunc stantem metit, hunc a poplite sectum,

703. *Ardet inexpleto*, etc. Id est, flagrat insatiabili cupidine crudelis Martis « il est enflammé d'une ardeur insatiable de carnage. »

704. *Et fruitur dextra.* Id est, cæde se satiat.

705. *Hic hominum casus, lenire.* Reg. B, *Hic ne hominum* habet; Reg. C nostram. lect. Ed. — *Casus lenire.* Prædictionibus et consiliis. — *Et demere fatis Jura frequens.* Mala enim prævisa prædictaque facile caventur et evitantur.

706. *Diversus.* Dissimilis. Virgil. Æn. II, 274 : « quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit etc. » Ed.

707. *Tripodas, laurusque sequi.* Quia Amphiaraus erat augur et minister Apollinis, cui tripodes, laurique dicatæ.

710. *Aut jubar adversi. Aut juvat* unus Lindenbrogii. — *Aut jubar adversi grave sideris.* Sirium seu caniculam intelligit. — *Immolat umbris.* Quasi victima, ut ipse in sacris consueverat; nam hoc verbo Poeta ad sacerdotis nomen allusit : aptum est enim occidenti sacerdotale verbum. Virgil. de occiso sacerdote dixit Æneid. X, 540 : « lapsuque superstans. » (Ubi vide Var. Lect. Nost. tom. IV, pag. 153. Ed.) Hic de occidente sacerdote ita dixit. Lactant.

711. *Jaculo Phlegyam. Phlegeam* Behot. 1, *Phlegiam* Behot. 2.

712. *Phylea, f. Chromin, et Cremetaona. Pilea* Behot. 1, *Cremeteona* in eodem Behot. codice. — *P. f. Clonin et Chremetaona* habet; Reg. C, *Phillea f. Clonin* exhibet. Ed. — *Falcato curru.* Bellicum hoc vehiculum vocabatur Currodrepanus voce hybrida. Ejus pars postica cultris in ordinem extantibus armabatur, videlicet ne cuiquam facilis a tergo esset adscensus, falces vero duæ acutissimæ totidem axis extremitatibus aptabantur, ansulas habentes, quibus innexi funes, pro arbitrio aurigantis equitis, laxati quidem remittebant, repressi erigebant falces. Auctor tractatus de rebus bellicis, et Stewechius ad Vegetium.

713. *Hunc stantem metit.* Idem Theb. IX, 223 et seq. « nec opinaque ferro Colla metens. » Eam-

Cuspide demissa Chromin, Iphinoumque, Sagenque,
Intonsumque Gyan, sacrumque Lycorea Phœbo
Invitus: jam fraxineum dimiserat hastæ
Robur, et excussis apparuit infula cristis:
Alcathoum saxo, cui circum stagna Carysti
Et domus, et conjux, et amantes litora nati.
Vixerat ille diu pauper scrutator aquarum:
Decepit tellus: moriens hiemesque Notosque
Laudat, et experti meliora pericula ponti.
  Adspicit has longe jamdudum Asopius Hypseus
Palantum strages, ardetque avertere pugnam:
Quanquam haud ipse minus curru Tirynthia fundit
Robora, sed viso præsens minor augure sanguis.

dem quoque significationem habet τὸ θερίζειν apud Græcos. Sic Anthologiæ lib. III, in Epigrammate Agathiæ in perdicem a fele interfectam: σὴν κεφαλὴν αἴλουρος ἀπέθρισε.

714. *Cuspide demissa Chromin, Iphinoumque, Sagenque. Cuspide non missa* codd. Lindenbrogii, *et Phinoemque Segunque* Dan. Put. Petav. *Iphinoemque Sagunque* Behott. 1, 2. — *Chromin Iphinoumque Sagenque*. Quod *Chromin* priore correpta poni ubique meminisset Lindenbrogius, fecit: *Chromin et Phinoëmque Segumque*. Sed rectius optimi; *Chromin Iphinoumque Sagenque*. Habet hanc quoque personam ab Homero Iliad. H, ubi Glaucus Ἰφίνοον βάλε δουρί. Gaon. — Reg. B, *Cuspide non missa Ch. Iphidnoumque, Sagenque* habet; Reg. C *nost. lect.* Ed.

716. *Invitus: jam fraxineum dimiserat hastæ Robur*, etc. Laur. Buslid. Lips. Dan. Petav. et edd. vett. *demiserat*; Behott. 1, 2, *dimiserat*. — *Invitus*. Quia nesciebat hunc Apollinis esse sacerdotem.

717. *Infula*. Insigne sacerdotii.

718. *Cui circum stagna Carysti*. Gevartius edidit: *stagna Caystri*. — *Carysti*. Carystos urbs Eubœæ insulæ, nunc *Castel-Rosso*, gallice *Château-Roux*. Ed.

722. *Meliora pericula*. Ut quibus non perierat.

723. *Asopius Hypseus. Asopeus* unus Behot. — *Asopius Hypseus*. Hunc enim Asopi filium supra dixit Poëta, 315.

724. *Ardetque avertere pugnam*. « A pereuntibus, in se, qui resistere poterat. » Vet. Schol. Eadem mens Lactantii.

725. *Quanquam h. i. m. c. T. fundit*. Unus Behot. *fundat*; Put. *fundens*. — Reg. B, *Fundens* præbet; Reg. C, *fundat*. Ed. — *Haud ipse minus*. Non minus Amphiarao Hypseus. — *Tirynthia robora*. Agmina, id est, Nemeæos juvenes, et Græcam vastabat aciem. Lact.

726. *Augure sanguis*. Id est, cupiens pugnare cum Amphiarao,

Illum armis, animisque cupit: prohibebat iniquo
Agmine consertum cunei latus: inde superbus
Exseruit patriis electum missile ripis.
Ac prius: « Aonidum dives largitor aquarum,
Clare Giganteis etiamnum, Asope, favillis,
Da numen dextræ: rogat hoc natusque, tuique
Quercus alumna vadi: fas et me spernere Phœbum,
Si tibi collatus Divum sator: omnia mergam
Fontibus arma tuis, tristesque sine augure vittas. »
  Audierat genitor: vetat indulgere volentem
Phœbus, et aurigam jaculum detorquet in Hersen.

cæteros quasi ignavos dedignabatur occidere.

727. *Prohibebat iniquo.* Id est, Hypseum, multitudo quæ stipaverat Amphiaraum. LACTANT.

728. *Inde.* De ipso cuneo. LACT.

729. *Exseruit patriis electum missile.* Put. *ejectum missile.* — *Patriis.* Asopi scilicet. Vide supra.

730. *Aonidum.* Thebanarum, seu Bœotiarum.

731. *Clare Giganteis*, ete. Alludit ad id quod supra retulerat de fulminato Asopo. Notum etiam Gigantes bellum Diis intulisse. — *Asope, favillis.* Fluvium invocat, quem dudum a Jove diximus fulminatum, qui indignatione ereptæ filiæ, Jovi intulit bellum: quo facto igni divino percussus est, et ut infamia ejus excepti fulminis in æternum maneret, dicitur hodieque, illo tempore qno ictus est, prunis ardentibus fluere. LACT.

733. *Fas et me spernere Phœbum.* Nonuulli eodd. ut Laur. Buslid. Lipsian. Tanriu. et edd. vett. *fas et mihi*; alii: *fas est mihi*; Behot. 1, *fas et me sternere*; Behot. 2, *fas et mihi sternere*; ubi suprascriptum *spernere*, lineari dictioni subjectis punctis. Exc. Cantab. habet: *fas et m* (i suprascr.) *spernere*, i. e. *mi*, vel *mihi*; Petreus. vero ut in textu. — Reg. B, *Fas et mihi spernere* habet; Reg. C, *mi* exhibet. ED. — *Fas et me spernere*, etc. Notat fabulam, qua Juppiter Æginam Asopi filiam rapuisse fingitur, Asopus se Jovi opposuisse. Statius supra, 320 et seqq. « furit amnis, et astris Infensus bellare parat (nondum ista licebant Nec superis), stetit audaces effusus in iras, Conseruitque manus, nec quem imploraret habebat, Donee vi tonitrus submotus et igne trisulco Cessit. » Hipseus itaque Asopi filius: Liceat mihi (inquit), o pater, resistere Apollini, quum tu non fueris veritus ipsum Jovem repellere.

734. *Collatus.* Bello comparatus.

736. *Indulgere volentem.* Concedere cupientem. LACTANT.

737. *Et aurigam jaculum detorquet in Hersen.* Dan. Put. Petav. *jactu detorquet*; Behott. 1, 2, *jaculo detorquet*. Dan. et Behot. 1, *incr-*

Ille ruit. Deus ipse vagis succedit habenis,
Lernæum falso simulans Aliagmona vultu.
Tunc vero ardenti non ulla obsistere tentant
Signa; ruunt solo terrore; et vulnera citra
Mors trepidis ignava venit: dubiumque tuenti
Presserit infestos onus, impuleritne jugales.
Sic ubi nubiferum montis latus, aut nova ventis
Solvit hiems, aut victa situ non pertulit ætas;
Desilit horrendus campo timor, arma, virosque
Limite non uno, longævaque robora secum

tem; Behot. 2, *in hostem;* et pro v. l. *ertem*, ut fieret *inertem*. In duobus Barthianis: *in Harphen;* in optimo: *in Arsen*, vel *Assen*. — Reg. B, *Et aurigam jactus detorquet inersen* exhibet; Reg. C, *Et aurigam jaculo detorquet inertem*. Ed.

738. *Deus ipse vagis succedit habenis*. Fluitantibus, laxis habenis. Apollo aurigatur Amphiarao. Sic Diomedi Minerva aurigatur; Homer. Iliad. V, 835 et seqq. Ed.

740. *Ardenti*, ob occisum aurigam valde indignanti. Ed.

741. *Ruunt solo terrore, et vul. citra*. Sine vulneribus solo terrore Amphiarai moriuntur, caduntque.

742, 743. *Ignava*. Sine ferro. — *Dubiumque tuenti Presserit infestos onus, impuleritne jugales*. Dubium erat videntibus, utrum Apollinis pondere tardatus esset currus, an velocior factus. — *Infestos onus*. Omnino scribendum cum Nostris, Lindenbrogii, Behotii libris, *insessos*. Sententia est: Dubitares intuens, utrum gravaret pondere, an incitaret Numinis concitatione Equos Amphiarai, Apollo. Errant etiam ii libri, qui *sonus* reponere student. De pondere enim et vi Apollinei Numinis solis loquitur. In Luctat. addenda vox « Amphiarai currus. » Barth.

744. *Sic ubi nubiferum montis*, etc. *Sic ubi nubiferi* legit Markland. ad Silv. III, 4, 103. — *Sic ubi nubiferum montis latus*, etc. Sic Pleurium oppidum Rhætorum obrutum fuisse casu montis dicitur. — *Sic ubi nubiferum*, etc. Ex Virgil. proficit Noster, Æneid. XII, 684 et seqq. « Ac veluti, montis saxum de vertice præceps Quum ruit, avulsum vento, seu turbidus imber Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas, Fertur in abruptum magno mons improbus actu, Exsultatque solo; silvas, armenta, virosque involvens secum: » ad quem locum confer Heynium, nost. edit. tom. IV, pag. 359 et 360. Ed.

746. *Desilit horr. campo timor, arma, virosque*. Behott. 1, 2, Busl. et Venett. *arva virosque;* et ita scribendum putat Barthius. — *Campo timor*. Montis ruina, quæ de altis saltibus cadit.

747. *Limite non uno*. « Non directo, aut junctim; sed in varias partes concidens, et proruens omnia obvia. Vet. Schol.

Præcipitans, tandemque exhaustus turbine fesso,
Aut vallem cavat, aut medios intercipit amnes.
Non secus ingentique viro magnoque gravatus
Temo Deo, nunc hoc, nunc illo in sanguine fervet.
Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis
Delius : ipse docet jactus, adversaque flectit
Spicula, fortunamque hastis venientibus aufert.
Sternuntur terræ Menalas pedes, Antiphus alto
Nil defensus equo, genitusque Heliconide Nympha
Æthion, cæsoque infamis fratre Polites,
Conatusque toris vittatam attingere Manto
Lampus : in hunc sacras Phœbus dedit ipse sagittas.

748. *Exhaustus turbine fesso.* Optimus Barthianus : *exhausto turbine fessus;* et ita vetus Interpres.

749. *Aut vallem cavat. Aut vallem vacuat* in eodem Barth. codice; unde ille : *Aut vallem vacuam.*

750. *Non secus ingentique viro magnoque gravatus. Non secus ingentique Deo, magnoque gravatur* in eodem Barth. codice.

751. *Nunc illo in sanguine fervet.* Unus Behot. *illo sanguine*, omissa præpositione.

752. *Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis.* Id est, armigeri et aurigæ vicem supplet. — Sic Propert. lib. III, Eleg. 16, v. 15 : « Luna ministrat equis. » Virg. Æn. X, 218 : « Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat. » Ad quem locum conf. not. nost. edit. tom. IV, pag. 120 et 121. Ed.

753. *Adversaque flectit.* Behott. 1, 2, *aversaque.*

754. *Fortunam.* Casum felicem, sive eventum feriendi, hastis contra Amphiaraum venientibus detorquebat. Barth.

755. *Ster. terræ Menalas pedes.* In quibusdam codd. et edd. vett. *terra.* Dan. Petav. unus Behot. omnesque Barthiani, *Menaleus;* Behot. 2, *Menales;* Lang. Aldd. nonnulli et edd. recentt. *Menalas;* Lindenbr. et Cruc. *Menalus.* — Reg. B et C, *Stern. terra Menaleus* exhib. — Optimi quique : *Melaneus.* Hoc nomine utitur Ovid. Met. V, 128 : « Sternitur et Melaneus Perseia castra secutus. » Et Met. XII, 306 : « Et Pholus et Melaneus. » Sic et is vocatus, a quo in Eubœa Μελανηίς Eretria. Gronov.

758. *Vittatam attingere Manto.* Secutus sum libros veteres : omnino enim legendum *vittatam*, non ut vulgati *vitatam.* Nam vates hæc Manto. Vide quæ de vittis notata ad extremum lib. V. Bernart.

759. *Lampus. Lamphus* optimus Barthianus. — *In hunc sacras Phœbus dedit ipse sagittas.* Rationem affert superiori versu, quia Lampus vim inferre Manto tentaverat.

760. *Phœbus dedit.* Immisit, direxit.

Et jam cornipedes trepida ac moribunda reflantes
Corpora, rimantur terras, omnisque per artus
Sulcus, et incisis altum rubet orbita membris.
Hos jam ignorantes terit impius axis; at illi
Vulnere semineces, nec devitare facultas,
Venturum super ora vident: jam lubrica tabo
Frena, nec insisti madidus dat temo, rotæque
Sanguine difficiles, et tardior ungula fossis
Visceribus: tunc ipse furens in morte relicta
Spicula, et e mediis exstantes ossibus hastas
Avellit: strident animæ, currumque sequuntur.

761. *Rimantur terras.* Unus Behot. *mirantur terras.* — *Rimantur terras.* Per quas scilicet incedant, toto campo mortuorum corporibus repleto.

762. *Altum rubet orbita membris.* Rota sulcum faciens per cadavera.

763. *At illi.* Dan. *at illos.*

764. *Nec devitare facultas.* « In uno libro est: *nec enim vitare*: in altero: *nec jam vitare.* Eligat lector, nihil enim interest. Nos vulgatam lectionem retinemus. » Barth.

766. *Nec insisti madidus dat temo.* Ergo per temonem incedebant. Noster, Silv. I, 2, 143 et seq. Epith. Stellæ: « Jungit amor, lætamque vehens per nubila matrem Gemmato temone sedet. » — *Nec insisti madidus.* Abundantia sanguinis majorem Amphiarao currendi lapsum faciebat. Lactant.

767. *Difficiles.* Graves nimietate sanguinis equorum gressus. Lact.

768. *Tunc ipse furens.* Reg. B, *Tunc ipse ferens* habet; Reg. C nost. lect. Ed.

769. *Et e mediis exstantes ossib. hastas.* Unus Behot. *et in mediis.*

770. *Strident animæ.* In eodem Behot. codice: *strident animæ.* — Hanc lectionem Reg. B exhibet; Reg. C nostram. Ed. — *Stridunt animæ, currumque sequuntur.* Veteres credebant gemere et indignari animas, quod invitæ de hac luce discedant, hancque indignationem gemitumque quasi stridore quodam testari, ac exprimere. Homer. Iliad. XVI, 857: *Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἄϊδόσδε βεβήκει, Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἥβην.* « Tunc anima ad manes de membris mœsta volavit, Interitumque suum lugens, et robur, et annos. » Petron. Bell. Civ. Poet. Lat. Min. tom. II, pag. 103; nost. ed.: « Ecce inter tumulos atque ossa carentia bustis Umbrarum facies diro stridore minatur. » Noster Theb. II, 51, de Tænaro: « Stridor ibi, et gemitus pœnarum, atroque tumultu Fervet ager. » Et Thebaid. IX, vs. 299: « nuda, aut flebilis umbra Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes. » Non enim animæ vocem distinctam proferre possunt, quum careant organo corporeo. — Ti-

Tandem se famulo summum confessus Apollo,
« Utere luce tua, longamque, ait, indue famam,
Dum tibi me junctum mors irrevocata veretur.
Vincimur: immites scis nulla revolvere Parcas
Stamina: vade diu populis promissa voluptas
Elysiis, certe non perpessure Creontis
Imperia, aut vetito nudus jaciture sepulcro. »
Ille refert contra, et paullum respirat ab armis:
« Olim te, Cyrrhæe pater, peritura sedentem
Ad juga, (quis tantus miseris honor?) axe trementi

bullus, lib. I, Eleg. 2, 49: « Jam ciet infernas magico stridore catervas. » Ad quem locum quæ notavit Bronckh. vid. n. ed. p. 24. Ed.

771. *Tandem se famulo. Tandem se famulum* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. — *Summum*. Ego Deum interpretor: ignorare enim poterat Amphiaraus Apollinem in locum occisi aurigæ successisse. Quidam explicant, ad ultimum.

772. *Indue famam*. Omnia quæ paullatim assumuntur, *indui* dicuntur. Virgil. Georg. I, 188: « quum se nux plurima silvis Induet in florem. » Idem, Georg. IV, 142 et seq. « Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos Induerat. »

773. *Irrevocata*. Quæ revocari non potest: futurorum epitheton diligenter servavit Poeta. Barth.

774. *Immites scis nulla revolvere Parcas Stamina*. Seneca Herc. Fur. act. I, vs. 181 et seq. « Duræ peragunt pensa sorores, Nec sua retro fila revolvunt. » Silius Punic. II, 181, de Penelope: « Fallacis toties revoluto stamine telæ. » Noster Thebaid. VIII, 59, « iterata pensa sororum. » Lucanus Pharsal. VI, 703: « repetitaque fila sorores » *Retexere* dixit Ovidius Metamorph. X, 31: « Eurydices, oro, properata retexite fila. » Ubi videnda sunt notata, nost. edit. tom. IV, pag. 155. Conf. etiam quæ de voce *revolvere* enarrantur ad Sil. Ital. Punic. I, 115; nost. edit. tom. I, p. 20. Ed.

775. *Vade diu populis promissa voluptas*. « Ita editi omnes, et scripti plerique; sed vetus codex ex collegio Emmanuelis clare ibi exhibet, et recte opinor: *campis promissa voluptas*. » Bentl. ad Hor. I, Epist. 6, 59.

776. *Certe non perpessure*, etc. Reg. B, *Non perpessure certe Creontis* habet, male; Reg. C nostram lect. Ed. — *Non perpessure Creontis Imperia*. Creon enim, qui Eteocli successit, edictis vetuit, ne corpora Argivorum in acie occisorum sepultura afficerentur.

777. *Aut vetito nudus*, etc. Lang. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. et edd. vett. *haud vetito*.

779. *Cyrrhæe pater*. Apollo, qui Cyrrhæ oraculum habebat.

780. *Quis tantus miseris honor*. Parenthesis. Humiliter enim dixit, se non fuisse dignum tanto honore numinis. Barth.

Sensimus : instantes quonam usque morabere manes?
Audio jam rapidæ cursum Stygis, atraque Ditis
Flumina, tergeminosque mali custodis hiatus.
Accipe commissum capiti decus, accipe laurus
Quas Erebo deferre nefas : nunc voce suprema,
Si qua recessuro debetur gratia vati,
Deceptum tibi, Phœbe, larem, pœnasque nefandæ
Conjugis, et pulchrum nati commendo furorem. »
Desiluit mœrens, lacrimasque avertit Apollo.

782. *Audio jam rapidæ*, etc. Pul. *jam trepide.* — *Stygis.* Fluvii Inferorum.

783. *Tergeminos mali custodis hiatus.* Id est, Cerberi, qui tria habebat capita, triaque ora.

784. *Acc. c. c. d. accipe laurus.* Dan. *accipe laurum.* — *Commissum capiti decus.* Infulam vittasque, insignia sacerdotii. — *Laurus Quas Erebo deferre nefas.* Quia sacræ Apollini, et sicut Diis fas non erat ingredi Inferos, ita nefas illuc portare res ipsis consecratas.

785. *Deferre nefas.* Scelus est infularum ornamenta, et sacras laurus secum ad Inferos ferre.

787. *Nefandæ Conjugis.* Ut quæ maritum latitantem prodiderat spe accipiendi monilis Argiæ. Vid. Thebaid. II, 249—319.

788. *Et pulchrum nati commendo furorem.* Supra diximus Theb. II, Alcmæonem jussu patris Amphiarai matrem occidisse; qua de causa Furiis correptus fugiens Argis, commigravit Psophidem, sperans mutatione loci solatium suo malo inventurum. Sed quum illi melius non esset e morbo, consuluit oraculum, quo monitus fuit, ut terram peteret, quæ non existeret eo tempore, quo manus materno sanguine polluisset : neque enim eo maternas umbras eum insecuturas. Nactus itaque terram natam Acheloi illuvione, ibi consedit, duxitque uxorem Callirhoen, quæ, audita fama Eriphylæi monilis, coegit Alcmæonem etiam invitum redire Psophidem ad recuperandum illud monile, quod Alphesibœæ priori uxori dederat. Verum Temenus et Axion fratres ejus, cognita profectionis Alcmæonis causa, eum structis in via insidiis occiderunt, illudque monile Delphico Apollini dedicarunt. — *Pulchrum furorem.* In laude enim positum injuriam patri illatam ulcisci. Odyss. III, 203, Telemachus loquens de Oreste, qui ultus erat necem patris : *Καί οἱ Ἀχαιοὶ Οἴσουσι κλέος εὐρὺ καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδήν.* « Achæi deferent ei magnam gloriam, et posteris præconium. » Orestes enim matrem occiderat; cujus nomine absolutus fuit in Areopago, Palladis judicio, ut videre est apud Demosthenem in Aristocratem.

789. *Desiluit mœrens. Dissiluit* unus Behot. — *Desiluit mœrens, lacrimasque avertit Apollo.* Virgil. Æneid. XII, 151 : « Non pugnam

Tunc vero ingemuit currusque, orbique jugales.
Non aliter cæco nocturni turbine Cori
Scit peritura ratis, quum jam damnata sororis
Igne Therapnæi fugerunt carbasa fratres.
Jamque recessuræ paullatim horrescere terræ,
Summaque terga quati; graviorque effervere pulvis
Cœperat: inferno mugit jam murmure campus.
Bella putant trepidi, bellique hunc esse fragorem,

adspicere hanc oculis, non fœdera possum.» Quoniam, inquit Servius, numina, quoties morituros viderent eos, quibus favent, ab iis secedunt; et adducit Nostri locum. Ed.

791. *Cori*. Corus nomen venti, *Argestes* Græcis dictus, flat ob occasu solstitiali.

792, 793. *Scit peritura ratis, quum jam d. s. Igne Therapnæi f.* etc. *Stat peritura* Lang. Basl. Lips. et edd. vett. *Scit peritura* Dan. Petav. Lindenbrog. et edd. recentt. et ita legit Nic. Heinsius in Adv. lib. II, cap. 7, p. 259. *Therampnei* Behot. 1, *Tereupnei* Behot. 2, *Theramnæi* edd. vett. — *Scit peritura ratis*, Hellenismus, pro scit se perituram. Virgilius, Æneid. II, 377: «sensit medios delapsus in hostes.» — *Quum jam damnata sororis Igne, Therapnæi fugerunt carbasa fratres.* Jactatis gravissima tempestate navibus, si una stella in velis appareat, funestissimum signum est, et prænuntium imminentis naufragii, ut nautæ referunt, illaque Veteribus Helena appellabatur: si vero duæ appareant, signum est quam proximæ serenitatis, tempestatemque mox sedandam; hæque dicebantur esse Castor et Pollux, fratres ipsius Helenæ, qui *Therapnæi* dicuntur a Therapnis oppido Laconiæ, in quo colebantur. De iis Plinius ita scribit, Hist. Nat. II, 37: «Geminæ salutares, et prosperi cursus prænuntiæ, quarum adventu fugari illam diram ac minacem appellatamque Helenam ferunt, et ob id Polluci et Castori id nomen assignant, eosque in mari Deos invocant.» Noster Silv. III, 2, 8 et seqq. in Propemptico Metio Celeri: «proferte benigno Sidera, et antennæ gemino considite cornu, Œbalii fratres: vobis pontusque polusque Luceat: Iliacæ longe nimbosa sororis Astra fugate, precor, totoque excludite cælo.»

794. *Horrescere.* Ut mare solet, mox concutiendum ventis. Petronius: «Dum hæc taliaque jactamus, inhorruit mare, nubesque undique adductæ obruere tenebris diem.» Idem: «At velut ex alto quum magnus inhorruit auster, et pulsas evertit aquas.»

795. *Summaque terga quati.* Summitas, superficies. Virg. Georg. lib. I, 97: proscisso quæ suscitat æquore terga, Rursus in obliquum verso perrumpit aratro.»

796. *Mugit.* Sonitus qui sub terra fiunt, ea tremente, mugitus imitantur. Id ab inclusis exhalationibus percussis vel percutientibus

Hortanturque gradus : alius tremor arma, virosque,
Mirantesque inclinat equos : jam frondea nutant
Culmina, jam muri, ripisque Ismenos apertis
Effugit : exciderunt iræ, nutantia figunt
Tela solo, dubiasque vagi nituntur in hastas
Cominus, inque vicem viso pallore recedunt.
Sic ubi navales miscet super æquora pugnas
Contemto Bellona mari, si forte benigna
Tempestas; sibi quisque cavent, ensesque recondit
Mors alia, et socii pacem fecere timores.
Talis erat campo belli fluitantis imago.

fieri scribit Aristoteles, Meteor. lib. II, cap. 8.

798. *Hortanturque gradus : alius tremor arma.* « In optimo libro fuit: *Obfirmant pedem*; sed erasum apparet. » Barth. *altus tremor* edd. vett. *alius* tremor Lang. Pet. Lindenbrog. Barth. plerique et Delph. et ita Nic. Heinsius in Advers. lib. III, cap. 17, p. 550. — *Alius tremor.* Id est, secundus.

799. *Frondea Culmina.* Vertices montium silvis et arboribus amicti.

800. *Ripisque Ismenos apertis.* « Melius legatur *opertis*; sed et illud suum sensum habet. » Barth. — *Ismenos.* Ismenus fluvius Bœotiæ. — *Ripis apertis.* Dehiscente enim terra, fiebant hiatus in alveo Ismeni, quo confluentes aquæ ripas apertas seu detectas aquis relinquebant.

801. *Exciderunt iræ.* Laug. Buslid. Dan. Petav. Aldd. nonnulli et Plant. *exciderant iræ.* « Omnino legendum, ut optimæ membranæ referunt, *exciderunt*; et ita conjectura voluit Joannes Levineius, in minime spernendis Notis, licet ultimam manum non receperint, ad Propertium lib. III, Eleg. 10. »

802. *Dubiasque vagi nituntur in hastas.* Vacillantes gradu nituntur in hastas trementes. Vet. Schol.

803. *Cominus.* Prope suum quisque hostem.

805. *Contemto Bellona mari.* Bellona præses bellorum. — *Contemto mari.* Hinc exclamat Tibullus, lib. II, Eleg. 3, 41 : « Quis furor immiti geminare pericula ponto! » — De quo loco confer nost. ed. pag. 143 et seq. Ed. — *Benigna Tempestas.* Benignam tempestatem dicit, quia navalia certamina prohibentur.

806. *Sibi quisque cavent, ensesque recondit.* Behott. 1, 2, et edd. vett. *cavet.* Behot. 1, *ensemque.* Vide Gronov. ad Theb. II, 158.

807. *Mors alia.* Per undas scilicet recipienda, non per ferrum, ut antea.

808. *Belli fluitantis imago.* Unus Behot. *fluctantis imago.* — *Belli fluitantis.* Navalis certaminis faciem titubantibus militibus fecerat terræ motus. Lactant.

Sive laborantes concepto flamine terræ
Ventorum rabiem, et clausum ejecere furorem;
Exedit seu putre solum, carpsitque terendo
Unda latens; sive hac volventis machina cæli
Incubuit; sive omne fretum Neptunia movit
Cuspis, et extremas gravis mare torsit in oras;
Seu vati datus ille fragor, seu terra minata est
Fratribus; ecce alte præceps humus ore profundo
Dissilit, inque vicem tremuerunt sidera, et umbræ.

809. *Sive laborantes*, etc. Quærit Poeta causas hujusce terræ motus, innuitque causam hujus assignandam, vel ventis in ea inclusis et exitum quærentibus, vel aquis latentibus quæ continentur terræ visceribus, sensimque erodentibus interiores ejus partes, quo fit ut superiores, nihil habentes amplius, quo sustineantur, sidere cogantur, vel impactæ in hanc partem mundi machinæ, vel violentæ impulsioni a Neptuno factæ: denique tandem dicit hoc forte Deos fecisse ad augurem honorandum, vel ipsam terram tremuisse ad omen imminens fratribus perituris, Eteocli scilicet et Polynici.

810. *Et clausum ejecere furorem*. Regg. B et C, *et clusum ejecere furorem* exhibent. Ed.

811. *Carpsitque terendo*. Dan. Petav. et unus Behot. *carpsitque ferendo*. — Reg. B hanc habet lectionem, Reg. C nostram. Ed.

812. *Unda latens*. Dicunt enim quidam, terram aqua fulciri, vel ferri. Lactant.

813. *Neptunia Cuspis*. Tridens. — *Movit*. Hinc Neptunus σεισίχθων et ἐννοσίγαιος, id est, *succutiens terram*, dictus.

814. *Torsit in oras*. Dan. *torsit in aras*.

815. *Seu vati datus ille f.* Lang. Buslid. Dan. Petav. et edd. vett. *datur*. — *Vati*. Amphiarao.

816. *Fratribus*. Eteocli et Polynici. — *Ore profundo*. Ex terræ enim tremore vasti fiunt hiatus et χάσματα.

817. *Inque vicem tremuerunt*. Male edidit Lindenbrogius *timuerunt*, quum libri omnes meliores Editi et Manuscripti *tremuerunt* referant. Quod verbum est tantæ rei aptius. Miram lectionem in Virg. profert Lactant. « Adversitate, inquit, sua terrentur. Sidera timuerunt, ne erumperent manes; umbræ, ne admissa luce proderentur. » Ut Virg. Æneid. VIII, 246: « trepident immisso lumine manes. » Verba sunt Maronis Æneid. VIII, 243: « Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes, et regna recludat Pallida, Dis invisa. etc. » Barth. — *Inque vicem tremuerunt sidera, et Umbræ*. Discedente enim terra, aperti sunt Inferi: unde vicissim sidera horruerunt visis umbris, et umbræ visis sideribus: utraque enim sibi invicem quam maxime odiosa.

Illum ingens haurit specus, et transire parantes
Mergit equos : non arma manu, non frena remisit :
Sicut erat, rectos defert in Tartara currus,
Respexitque cadens cælum, campumque coire
Ingemuit, donec levior distantia rursus
Miscuit arva tremor, lucemque exclusit Averno.

818. *Illum ingens haurit specus, et transire parantes.* Unus Behot. *parantis.* — *Illum ingens*, etc. Pausanias tamen Atticis, et Philostratus Vitæ Apollonii lib. II, tradunt Amphiaraum non fuisse absorptum terræ hiatu in acie, sed quum reverteretur Thebis in via. — Ovidius, Art. Amat. lib. III, 13 et seq. « Si scelere Oeclides Talaionidæ Eriphyles Vivus, et in vivis ad Styga venit equis. » Ubi conf. not. nostr. edit. tom. II, pag. 336. Ed.

821. *Respexitque cadens cælum.* Præ desiderio scilicet lucis. Berald. — *Respexitque cadens.* Vel dolore mortis, vel ut Apollinem quæreret, utpote vates. Lactant.

823. *Lucemque exclusit Averno.* Reg. B, *lucemque excusit Averno* habet; Reg. C, *lucemque excussit Averno.* Ed.

EXCURSUS

VEL

NOTÆ AMPLIORES

AD LIBRUM SEPTIMUM

THEBAIDOS.

VERS. 8. OCEANO *vetitum qua Parrhasis ignem*, etc. Parrhasis Arcas a gente dicta, unde fuit Calysto Lycaonis Arcadiæ regis filia, quæ in ursam est mutata. Lucan. Pharsal. II, 237: « Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes. » Calysto ergo ipsa est, quæ Arctophylax dicitur ursa; quæ nunquam Oceano tingitur. LACTANT.

44. *Ferratis incumbunt tecta columnis*, etc. Ad descriptionem cruentæ domus adjecit, omnia ferro fuisse constructa, ut, ubicumque adspiceres, mortalem domum ex ipsius ædificii fabricatione cognosceres: cujus terroris speciem ut Virgilius explicaret, ait, Æneid. VI, 552: « Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ. » — Vide præsertim, quæ idem Virgilius de *ferratis Belli postibus* canit, Æneid. VII, 609 sqq.

Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora.

ED.

51. *Innumeris strepit aula Minis; tristissima Virtus Stat medio.* Mire infinitum numerum finxit, quippe pro peccatorum genere jam minatur supplicia diversorum. — *Tristissima virtus.* Non religionis aut pietatis causa commota: sed ideo in hoc bello tristem dixit esse virtutem, quia parricidiis militavit. LACTANT.

62. *Nondum radiis monstratus adulter.* Quæstionem quæ potest commoveri, quare adultero Marti Vulcanus habitaculum fundasset, argutissime divinus hoc loco poeta dissolvit: dicit enim ante domum Marti Vulcanum ædificasse, quam injuriam pateretur: quia sol radiis suis magnifici flagitii detector fuisse narratur. LACTANT. — De isto Vulcani astu, confer, si libet, lepidissimum Nostri VOLTAIRE carmen, cui titulus, *le Dimanche, ou les Filles de Minée*. ED.

86. *Ut si quando ruit, debellatasque reliquit Eurus aquas*, etc. Hanc comparationem sumsit Noster ex Seneca lib. de Tranq. cap. 2: « Est quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, quum ex tempestate requievit. » Et lib. de Brevit. Vitæ cap. 2: « Velut in profundo mari,

in quo post ventum ququqe volutatio est. » Quod et imitatus Lucanus Phars. V, 217:

.... ut tumidus Boreæ post flamina pontus
Rauca gemit.

Et Claudianus in Rufinum, lib. I, 70 et seqq. nost. edit. tom. I, p. 143:

..... ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, quum flamine fracto
Durat adhuc, sævitque tumor, dubiumque per æstum
Lassa recedentis fluitant vestigia venti.

164. *Scilicet e cunctis ego neglectissima natis Progenies.* Se dicit Liber a multis mortalibus sæpe fuisse neglectum, ut Lycurgo atque Pentheo. Nam Ovid. Met. III, 531 et seqq. verba Penthei injuriantis Liberum ita descripsit:

Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras
Attonuit mentes? Pentheus ait: ærane tantum
Ære repulsa valent? et adunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes? ut, quos non belliger ensis,
Non tuba terruerint, non strictis agmina telis;
Femineæ voces, et mota insania vino,
Obscœnique greges, et inania tympana vincant?
Vosne, senes, mirer? qui, longa per æquora vecti,
Hac Tyron, hac profugos posuistis sede penates;
Nunc sinitis sine Marte capi?

222. *Mentemque animumque recepit.* Ferri potest: sed an germanum? negant scripti qui præferunt: *mentemque habitumque recepit.* Scriptis vero libris subscribit ipse orationis nexus: probe itaque nunc dictum *habitum* ipsum recepisse: *habitum* siquidem pro *cultu* Papinius solet usurpare, Theb. XI, 459 et seq.

Non habitu quo nota prius, non ore sereno,
Sed vitiis exuta comam.

Ut etiam Suetonius frequenter, signate Caligula cap. 9, « Quia manipulario habitu inter milites educabatur. » Aliter Isidorus, qui lib. IX, c. 22, discernit habitum a cultu, « habitus enim ad naturam pertinet, » inquit, et hac notione usurpat Livius lib. IX, « visus illi habitus, » id est, qualitas: atque adeo etiam Sallustius, Bello Jugurthino, cap. XXVIII: « Cujus de natura et habitu diximus. » (Ubi vide notata, nost. Sallust. pag. 190. Ed.) Alii Scriptores fere semper *habitum*, pro *forma rei cujusque* accipiunt. Exempla cuivis obvia. Apuleius *habitum* ad cultum, *habitudinem* ad qualitatem refert, lib. I, « Vir, ut habitus et habitudo demonstrant, ornatissimus. » Plautus etiam pro cultu agnoscit interdum, qui et diversa, sed eleganti notione dixit Pœnulo Act. I, sc. 2 et 29: « Modus omnibus in rebus, soror, optimus est habitu, » id est, optimus qui habeatur. Bern.

237. *Tessera.* Hinc olim tessera data videtur sine voce. Silius, Punic XV, 475: « tacitum dat tessera signum. » Erat breve lignum, cui nota inscripta erat, vel insculpta; unde Polybius πλατεῖον *tesseram* vocat. In

bello autem frequenter usi tesseris maxime ad colligendum militem, ad excubias, ad pugnam. De tessera ad colligendum militem accipiendus Papinius hic, et Virgilius Æn. VII, 637: « Classica jamque sonant: it bello tessera signum. » De ea quæ ad excubias idem Papinius Theb. X, 17 et seq. « dat tessera signum, Excubiis positæque vices. » De ea quæ ad pugnam, exempla sunt obvia apud scriptores, ut Mario ad pugnam contra Cimbros, *Mars;* Syllæ contra Marianus *Delphicus Apollo;* Cæsari contra Pompeianos, *Venus genitrix;* Philippensi acie Octavio, et Antonio *Apollo,* sed ea vocalis erat. Dabant plerumque nomina Deorum aut Heroum, ut proxime patet; quod usitatum etiam apud Græcos, ut colligitur ex Pausania in Phocicis: ubi *Itonia Minerva* data Thessalis tessera, Phocensibus autem *Phocus,* a quo nomen trahebant. Etiam apud Persas, si Xenophonti fides Cyropæd. VII, ubi a Cyro data tessera *Ζεὺς σύμμαχος, καὶ ἡγεμών,* aut *Ζεὺς σωτήρ.* Gallice, *le mot du guet.* Erat et *tessera hospitalis.* De qua vid. notata ad hunc versum, supra pag. 28. Ed.

248. *Hæc vexilla pater?* Hoc est, Thebanorum militum manus poterit tam immensum Argivorum exercitum superare; et parva multitudo hæc contra hostium copias valebit. De auxiliaribus quærit catervis, nam suos cives agnoscit. Lactant.

255. *Tridentem.* Causa cur tridentem in clipeo gesserit Dryas, erat quod Orionis genus jactabat; quod sidus fundo solet maria excitare, non aliter, quam cum Tridente suo Neptunus, sic tempestatem infert, apud Virgilium. Vet. Scholiast. Versus Virgilii sunt Æn. I, 535 et seqq.

> ... quum subito assurgens fluctu, nimbosus Orion
> In vada cæca tulit, penitusque procacibus Austris
> Perque undas, superante salo, perque invia saxa
> Dispulit;

classem nempe. Potest ut vera sit hæc interpretatio; potest etiam ut tridens Orioni adscribatur propter tres stellas, quæ manum ejus præcedentes alibi pro gladio a poetis habentur. Barth.

271. *Neptunia plebes.* Neptuni enim filius Onchestus conditor ejus civitatis. Vet. Schol. et Lactant.

330. *Ithoneos.* Ex urbe in qua Ithonus, Herculis filius, regnavit. Hæc civitas Bœotiæ est. Hinc Bacchilides Minervam Ithoniam dixit, et Alcmeonem ipsam significat: quem imitatus est Horatius in illa ode, in qua Proteus Trojæ futurum narrat excidium. Lactant.

334. *Qua noster abit, teque ultima tractu. Quaque ultima tractu.* Locum deformatissimum e scriptis, a quibus recedere in manifesta bonitate religio sit, restituisse sic præfatur Bernartius, et pollicetur jusjurandum verbis conceptissimis, ita scripsisse Papinium. At ego injurato mihi credi velim, nullum mihi visum codicem, in quo non fuerit, *teque ultima tractu Anthedon,* quod ille tollit. Sic et inter cæteros Buslidianus, quem ab humanissimis possessoribus impetraverat mihi utendum

Janus Vlitius. Intelligendum autem ex præcedentibus *domant sulco:* quod non minus potest affirmari de Anthedone, quam de Aulide, Græa, Platæis seri. *Quique sulco domant te ultima tractu Anthedon*, integrum est. Expressit illa Homeri, 'Ανθηδόνα τ' ἐσχατόωσαν. Gronov.

353, 354. *Vel quas Hic Deus innumeras laxavit cæde pharetras.* Niobe uxor Amphionis quum quatuordecim peperisset filios, septem virilis sexus, septem feminei, fœcunditatem partuum suorum Latonæ præposuit: qua re commota illa filios suos, Apollinem et Dianam, in ultionem suæ instigavit injuriæ; cujus Niobes filias quatuordecim uterque Deus interfecit sagittis, Apollo pueros, puellas Diana. Lactant.

397. *Succiduas.* Tardantes, a succidendo. Sive ut fœturæ succedentem sobolem demonstraret, *succiduas* dixit, id est, vicarias. Lactant. — *Succiduas.* Quæ succidunt ambulando, adeo adhuc sunt teneræ. Vet. Schol. Non recte Luctatius posteriori explicatione, quasi *succiduæ* sint vicariæ, quam vocem illustrat Ludov. Cælius Antiquar. Lection. lib. XXV, c. 23. Sic Avien. Arat. Phæn. V, 194: « Poplite succidui qua sideris ampla patescunt Terga dehinc. » Claudian. XXXVI, de Raptu Proserp. lib. III, 153: « Succidui titubant gressus. » Ovid. Metam. X, 458: « Poplite succiduo genua intremuere. » Lucret. de Rer. Nat. III, 157: « Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus. » Barth.

407. *Clausæque Deorum.* In Cyrrha tantum prospera deorum dabantur oracula; nam cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur. Lactant.

421. *Gemini maris incola narrat Thebanum toto planxisse Palæmona ponto.* Palæmon Deus marinus, qui portubus præest; cujus nota est fabula. Athamas post furorem a Junone immissum quum occiso Learcho Melicertam alterum filium suum cum uxore sua Ino prosequeretur, et se illi in mare præcipitassent, voluntate numinum in Deos versi sunt: Melicerta in Portunum, qui græce Palæmon dicitur, Ino in matrem Matutam, quæ græce dicitur Leucothea. Idem.

479. *Hinc atque hinc natæ, melior jam sexus*, etc. Intelligit sorores Ismenem et Antigonam, Jocastæ filias, meliores quam parricidæ filii. Vide Apollod. Hygin. 67. Œdipus regnum paternum et Jocastam matrem inscius accepit uxorem, ex qua procreavit Eteoclen et Polynicen, Ismenem et Antigonam. Vid. et Diodor. Sicul. lib. IV. Barth.

552. *Ante hæc excusso frondescet lancea ferro.* Comparatio ab impossibili; ante, inquit, potest fieri, ut hæc hasta quam gero, excusso ferro frondescat, quam Eteocles sit germano mitis. Sic Virgilius in Bucol. Eclog. I, 60:

> Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
> Et freta destituent nudos in littore pisces, etc.

641. *Menœceus.* Iste Thebanus fuit quem in catalogo Phorbas euntem inter duces monstravit; dixit enim: « quæ noster signa Menœceus. »

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM

CARMINIBUS DESCRIPTUM. *

Tunc graviter superos objurgat rector Averni,
Ipsumque Amphiaraum terret : cui pauca furenti,
Jam tenui voce, et pavidus, supplexque profatur
Conjugis infandæ indicium, subitamque ruinam.
Amissi Inachidas vatis dolor anxius angit.
Sidonii exsultant, memorantque insignia gentis,
At Graium proceres similem, pietatis honore,
Theodamanta legunt, vatis qui munera servet.
Hic Thebanâ phalanx, illic ruit Inacha pubes.
Vulnera vulneribus geminant, funduntque vicissim
Corpora magna virum : tunc multa in cæde furentem
Tydea dejectum telis Tritonia flevit.

* Argumentum hujus libri præbent nonnulli codd. et edd. antiq. — Hoc in Reg. B desideratur; Reg. C habet. Eo.

2. *Cui pauca furenti*. Membranæ clarius : *qui pauca*.

3. *Supplexque profatur*. Behott. 1, 2, *supplexque revolvit*.

5. *Anxius Inachidas vatis dolor angit amissi*. Sic in aliis Corruptum transpositione, ita restitui : *Amissi Inachidas vatis dolor anxius angit*. Eo. *Inachias* unus Behot. *anget* in eodem Behot.

7. *Graium proceres similem*. *Simile* in eodem Behot.

8. *Theodamanta l. v. q. munera servet*. *Theiodamanta* Behot. 1, *Theodomanta* Behot. 2, « Membranæ melius, *munia*. » Barth.

9. *Hic Thebana*. Behott. 1, 2, *Hinc Thebana*.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Amphiaraus cum armis curruque vectus in Inferos delabitur; 1—13. Turbantur umbræ hoc novo spectaculo, et Pluto ira exardescit, quod leges Inferorum vivo hospite immisso violatæ fuerant; 14—126. Argivi autem rati terram ipsos etiam absorpturam, fugam capiunt, quos Thebani acriter urgent; sed nox prælium dirimit; 127—161. Non eadem fuit utrisque: nam fracti animo Argivi lugendo Amphiarao et sua sorte deploranda illam transmittunt: at contra Thebani belli successu exsultantes, hanc in conviviis consumunt, et cantandis hymnis in honorem Deorum et præcipue Herculis et Bacchi suorum civium, Tiresiamque vatem laudibus iu cælum extollunt; 162—258. Exorta die Adrastus concilium convocat ad substituendum aliquem in locum Amphiarai; 259—288. Thiodamas omnium suffragiis electus, sacerdotii insignia, quæ recusabat, sumere cogitur; 289—293. Ille facto sacrificio Tellurem placat; 294—341. Quum hæc apud Argivos geruntur, Thebani portis effusi aciem instruunt; 342—362. Tardius prodeunt tristes Argivi, tandemque utroque exercitu mixto, atrox committitur certamen; 363—456. Hæmon inter Thebanos eminet, cui favebat Hercules, inter Argivos Tydeus, quem Minerva animabat; 457—497. Hercules Minervæ reverentia præliò cedit ac Hæmonem deserit; 498—519. Itaque eum Tydeus

fugat, illumque occidisset hasta quam emiserat, nisi Pallas ipsa ictum detorsisset; 520—536. Plurimos interfecit, inter quos Atys Ismenes sponsus; 537—655. Tandem Eteoclem agnitum in certamen provocat; 656—680. Eteocles in eum hastam emittit, qua vitata Tydeus telum in hostem intorquet, quo finis belli, nisi obstitisset Tisiphone, ac Eteoclem fratri Polynici reservasset; 681—688. Hic gravis pugna, Thebanis suum regem fortiter defendentibus; 689—695. Tydeus innumeris adhuc hostibus occisis et funeribus circumdatus, a Menalippo Astaci filio letaliter vulneratur, quem cadens telo misso perimit; 696—728. Extractus acie amicos rogat, sibi Menalippi caput apportent; 729—745. Currit Capaneus, ferroque sibi via per medios hostes aperta, Menalippum adhuc palpitantem ad Tydeum affert; 746—751. Caput illius abscidi jubet Tydeus, sibique porrigi; traditum immaniter dentibus dilacerat; 752—762. Minerva vero illi honores immortalitatis a Jove ob ingentia merita concessos afferebat, sed ut eum vidit humano sanguine os conscelerantem, fugit morientem aversata, nec prius ingressa est cælum, quam oculos tæda mystica et Ilissi amnis aqua lustravisset; 763—767.

Ut subitus vates pallentibus incidit Umbris,
Letiferasque domos, orbisque arcana sepulti
Rupit, et armato turbavit funere Manes.
Horror habet cunctos; Stygiis mirantur in oris
Tela et equos, corpusque novum: neque enim ignibus artus

1. *Ut subitus vates.* In duobus libris longe diversa lectio est: ut *subitus augur.* Sed videtur glossa esse vulgatæ vocis, quum sæpius supra *augurium Amphiarai* commendaverat. Barth.

2. *Orbisque arcana sepulti.* Reg. B, *regisque arcana sepulti* exhibet; Reg. C nost. lectionem. Ed. — *Orbis sepulti.* Inferi.

3. *Et armato funere.* Inciderat enim armatus, et sicut erat in acie Amphiaraus.

5. *Tela et equos, corpusque no-*

Conditus, aut mœsta niger adventabat ab urna;
Sed belli sudore calens, clipeumque cruentis
Roribus, et scissi respersus pulvere campi.
Necdum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat
Cœtibus assumtum functis : quin cominus ipsa
Fatorum deprensa colus : visoque paventes
Augure, tunc demum rumpebant stamina Parcæ.
Illum et securi circumspexere fragorem

vum : neque enim ignibus artus. Laag. Aldd. plerique et Delpb. *neque enim ignibu. atris;* Put. *neque enim ignibus astris;* Behot. 1, *nec ignibus artus;* Behot. 2, *nec enim ignibus atris;* Amstel. Gron. Barth. et Veen. *neque enim ignibus artus.* — Reg. B, *nec enim ignibus artus habet;* Reg. C, *nec enim ignibus atris.* Eo. — *Novum.* Id est, insolitum, seu vivum. — *Neque enim ignibus artus Conditus*, etc. Cremabantur enim corpora mortaorum, collectaque ossa et cineres recondebantur ac servabantur in vasis, quæ dicebaatur *urnæ*.

7. *Cruentis Roribus.* Sanguine.

9, 10. *Trunca lustraverat obvia taxo Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat.* Lactantius : « Aserunt poetæ mortuornm capita Furiarum lampade lustrari, et eorum aomina a Proserpina *in* poste Inferorum conscribi. » — *Taxo.* Faces enim Furiarum erant ex hac arbore, qaia noxia et letifera. Vide Theb. VI, 102. — *Proserpina.* Regiaa Inferorum. — *Furvo poste.* Sic « furvæ Leti plagæ, » Statio Silv. V, 1, 155, Pietate Abascaatii: sic « furva Proserpina » Horatio II, Od. 13, 21; poetisque aliis, quum de Inferis loquuntar. — Imitatione expressit Noster illud Virgilianum; Æacid. IV, 693 et seqq. ubi Iris a Junoae mittitar, ad expediendam miseræ Didonis animam. Not. in hnac locum legere operæ pretium est apud nost. Virg. tom. II, pag. 556, ubi male *furvis* pro *functis* cœtibus Heyaius dedit.

12. *Fatorum deprensa colus.* De fato et ratioae contra id ageadi aut patiendi Gell. lib. XIII, c. 1. Et Serv. tom. VI, p. 282, nost. Æneid. Etiam Cicero Fragmento pecaliaris libri, quod Commentario non indocto illnstravit Salomon Gesnerus. Dicit autem, nondum discisso filo vitæ suæ, adhuc id ducentibus Parcis supervenisse Amphiaraum.

13. *Tunc demum rumpebant*, etc. Unus Bebot. *tunc primum.* — *Tunc demum rumpebant stamina Parcæ.* Tres erant Parcæ, ut jam diximus, quarum prima colum ferebat; secunda nendo hamanæ vitæ designabat finem; tertia filum secabat, hoc est, vitam tempore statuto abrumpebat: his varia nomina dahautur, at liquet ex Pausania pluribus in locis.

14. *Securi.* Quieti, quia nihil potest camporum Elysiorum quie-

Elysii, et si quos procul inferiore barathro
Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris.
Tunc regemunt pigrique lacus, ustæque paludes,
Umbriferæque fremit sulcator pallidus undæ,
Dissiluisse novo penitus telluris hiatu
Tartara, et admissos non per sua flumina Manes.
 Forte sedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.
Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,
Sævaque multisonas exercet Pœna catenas.

tem turbare, ibique perpetua pax regnabat.

15. *Elysii, et si q. procul inferiore barathro.* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *ulteriore barathro;* et sic cum scriptis suis præstantioribus legit Nic. Heinsius in Advers. lib. III, cap. 17, pag. 545. — Hanc lectionem Reg. B habet; Reg. C nostram. Ed. — *Elysii.* Id est, incolæ Elysiorum. — *Barathro.* Diversa enim variaque receptacula erant apud Inferos, noxque ac caligo nigrior; et hoc pro pœnarum diversitate.

17. *Tunc. reg. pig. lacus, ustæque paludes.* Lang. Buslid. unus Behot. et edd. vett. *ustæque paludes;* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *vastæque paludes.* Pro *istæque* in ed. Barth. lege *ustæque.*

18. *Umbriferæque fremit sulcator pallidus undæ.* Lang. Buslid. Aldd. nonnulli et Plaut. *premit sulcator;* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Lindenbrog. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *fremit sulcator.* — Reg. B, *umbriferæque gemit sulcator pallidus umbræ* præbet, cum literis *fr* supra *gemit* scriptis; Reg. C nostram lectionem habet. Ed. — *Sulcator pallidus.* Charon, qui subvectando corpora Stygem consuevit cymba sulcare. Lactant. — Ovid. ex Ponto II, 10, 33: « Seu rate cæruleas picta sulcavimus undas; » Noster Thebaid. XI, 588: « exosus pigri manes sulcator Averni. » Conf. etiam Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. III, pag. 323, Votum ad Oceanum vs. 24, ad quod illustrandum hi versus adducti sunt. Ed.

20. *Et admissos non per sua flumina Manes.* Ipsi enim vivi qui Inferos ingressi fuerant, ut Orpheus, Hercules, Pirithous, et Theseus, cymba Charontis transvecti fuerant.

22. *Dux Erebi.* Pluto.

24. *Variæque ex ordine Mortes.* Una quidem communisque omnibus est mors, sed dissimilis varietate pœnarum.

25. *Sævaque multisonas exercet,* etc. Reg. B, *sævaque multisonans exertat* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Sævaque mult. ex. Pœna cat.* Conf. Sil. Ital. Punic. II, 551 et ad

Fata ferunt animas, et eodem pollice damnant.
Vincit opus: juxta Minos cum fratre verendo
Jura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat: adsistunt lacrimis atque igne tumentes

hunc locum vid. not. nost. edit. tom. I, pag. 136. Ed.

26. *Fata ferunt animas. Fata serunt* Lang. Buslid. Lipsian. unus Behot. omnes Barthiani, nonnulli, et sic legit Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Proserp. I, 59. *Fata ferunt* Dan. Petav. alter Behot. Lindenbrog. Gronov. Barth. et Delph. Vide vs. 93. — *Fata.* Parcæ. — *Et eodem pollice damnant.* Pollex Veteribus et favoris et alieni animi index: si faverent, pollicem premebant, ut Plinius ait, Natur. Hist. XXVIII, cap. 5: « Pollices, quum faveamus, premere etiam proverbio jubemur; » et ex hoc Horatii versu colligi potest lib. I, Epist. 18, 66: « Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum. » Itaque *pollicem vertere* damnantis erat, quod a Politiano optime explicatum est; et in muneribus gladiatoriis, qui volebat eum, qui succubuerat, adversario occidi jugularique, *pollicem vertebat*, ut munerarius. Juvenalis Sat. III, 36, et seq. « et verso pollice vulgi Quem libet occidunt populariter. » Et Prudentius Contra Symmach. Orat. lib. II, 1097 et seq. de Vestalibus, quæ gladiatores in podio spectabant, qui honor virginitati habitus: « pectusque jacentis Virgo modesta jubet converso pollice rumpi. » — *Eodem.* Id est, eodem quo neverunt eorum vitam.

27. *Vincit opus.* Sensus: Parcarum stamina morientium multitudine superari. Ita Lactantius: ut Lucanus Phars. III, 19: « lassant rumpentes stamina Parcas. » Parcarum *opus*, seu stamina *vincunt*: plures enim nasci, quam mori necesse est, alioqui deficerent homines: et *opus* de morte minus proprie dici putest. Peyrarедus. Et vero sic explicandum censeo. Videtur hic Poeta inducere Parcas munere fungentes sistendi mortuos ad tribunal Plutonis, ut mercedem recipiant anteactæ vitæ, dicitque tot judicandos adhuc restare, ut iis sistendis lassentur Parcæ, *opusque vincere*, quia licet immensi jam judicati sint, plures tamen adhuc judicandi supersint. Potest et intelligi *Fervet opus* ex Virgilio. — *Minos cum fratre verendo.* Rhadamantho. Minos enim et Rhadamanthus fratres erant, Jovis ex Europa filii, et judices Inferorum crediti: assessorem habebant Æacon filium etiam Jovis. Qui honor illis redditus post mortem, quod juste regnaverint. Claud. V, in Ruf. lib. II, 475 et seq. « Quæsitor in alto.... prætentat Crimina Minos.... quos nolle fateri Viderit ad rigidi transmittit verbera fratris. » Ed.

28. *Jura bonus meliora monet.* « Libri nonnulli *movet*; sed illud Papinianum est. » Barth. — *Regemque cruentum.* Plutonem.

29. *Lacrimis atque igne*, etc. His fluere et constare inferorum fluvios auctor poetarum chorus. Vide eos in rebus inferorum. Claudianus,

Cocytos Phlegethonque; et Styx perjuria Divum
Arguit. Ille autem supera compage soluta,
Nec solitus sentire metus, expavit oborta
Sidera, jucundaque offensus luce profatur:
« Quæ Superum labes inimicum impegit Averno
Æthera? quis rumpit tenebras? vitæque silentes
Admovet? unde minæ? uter hæc mihi prælia fratrum?
Congredior: pereant agedum discrimina rerum.
Nam cui dulce magis? magno me tertia victum

V, in Ruf. lib. II, 466 et seqq. « Est locus infaustis quo conciliantur in unum Cocytos Phlegethonque vadis; inamœnus uterque Alveus: hic volvit lacrimas, hic igne redundat. » Barth.

30. *Cocytos Phlegethonque : et Styx perjuria Divum Arguit.* Jortinus conj. *et quæ perjuria Divum.* — Cocytos, Phlegeton, et Styx fluvii Inferorum. — *Perjuria Divum Arguit.* An perjuria in Divos commissa, an ipsa Deorum perjuria, quod sane verius est: sanctissimum enim erat Diis jurameutum per Stygem. Qua pœna autem afficiebatur is, qui per aquam Stygiam pejerasset, vide apud Hesiodum in Theogonia. Adi Excursum ad calcem hujusce libri. Ed.

32. *Nec solitus sentire metus*, etc. Reg. B, *Nec solitos sentire metus*, etc. habet, Reg. C nost. lect. Ed.

33. *Sidera, jucundaque offensus*, etc. Behott. I, 2, *jocundaque.* — *Hanc lectionem* Regg. B et C exhibent. Ed.

35. *Quis rumpit tenebras? vitæque silentes.* Dan. et Petav. *silentis.* — Regg. B et C *quis rupit tenebras* habent. Ed.

36. *Admovet? unde minæ? Admonet* unus Behot. et Put. *Amovet* Dan. *unde hæc.* Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. — *Unde hæc mihi prælia.* Quidam, *utinam hæc*; sed haud dubie plures et optimi: *uter hæc.* Juppiterne, an Neptunus? nam et ille eum tremenda cæsarie sua sæpe terram, mare, sidera movit, et hic σεισίχθων atque ἐννοσίγαιος. Ex terræ autem tremoribus hiatus vasti et chasmata. Quum itaque numinis utriusque fingatur ea potestas, merito dubitat, uter sibi hoc bellum velut indicat. Gruterus annotaverat labare hunc versum; quem quomodo fulciret, ignorare: sed illud scire, aliquid excidisse, aut subesse vitium. Possemus equidem non modo facile, sed et eleganter : *unde minas?* Verum quum alterum sit in omnibus libris; et soleant sic interdum Virgilius Ovidiusque, notaverimusque jam Theb. IV, 319 : « teneroque unde improba pectore virtus : » nihil mutamus. (Vide tom. præcedent. pag. 407. Ed.) Lib. IX, 305 : « cum fluctivagu Ergino. » Gronov.

37. *Congredior.* « Male nonnulli codd. *Congrediar.* » Barth. Ita unus Behot.

38. *Nam cui dulce magis* Dete-

Dejecit fortuna polo, mundumque nocentem
Servo : nec iste meus, dirisque en pervius astris
Inspicitur. Tumidusne meas regnator Olympi
Explorat vires? habeo jam quassa Gigantum
Vincula, et æthereum cupidos exire sub axem
Titanas, miserumque patrem : quid me otia mœsta
Sævus, et implacidam prohibet perferre quietem?
Amissumque odisse diem? pandam omnia regna,

rior enim pars, in divisione orbis facta inter fratres Jovem, Neptunum, et Plutonem, obtigerat Plutoni; et propter hoc mox se *victum* queritur : unde sibi spes, si omnia miscerentur, meliorem partem quandoque habiturum.

39. *Mundumque nocentem.* Inferos, nocentium receptaculum.

40. *Nec iste meus, dirisque en pervius astris.* Aldd. Colin. Basil. et Plant. *diris en*, omisso τῷ *que*. — *Nec iste meus.* Quia in illum jus sibi vindicant alii Dii.

41. *Inspicitur.* Reg. B, *inspicimus* cum syllaba *tur* alia manu suprascripta exhibet. Ed.

42. *Habeo jam quassa Gigantum Vincula.* Nota fabula de Gigantibus victis fulminatisque a Diis, conjectisque in vincula, et in Tartarum detrusis.

43. *Et æthereum cupidos.* Regg. B et C, *et ætherium* habent. Ed.

44. *Titanas, miserumque patrem: quid me otia mœsta.* « In optimo libro melius legitur: *otia mæstum*. » Barth. — *Titanas.* Titanes erant filii Titanis, qui Cœli et Vestæ filius, frater Saturni : hic Titan, quamvis major natu esset, cessit regnum Saturno, ea lege, ut nullam sobolem masculam tolleret, ut post mortem ejus imperium ad suos liberos rediret : verum quum animadvertisset Jovem, Neptunumque, ac Plutonem, Saturno natos, nec tamen sublatos, arma fratri intulit recuperaturus imperium, victumque Saturnum in vinculis habuit. Juppiter autem grandior factus, collecto exercitu, patrem liberavit, et superatos Titanas in Tartarum conjecit. — *Miserumque patrem.* Saturnum. Hunc enim a filio victum, catenisque oneratum, in Tartara præcipitatum fabulantur poetæ. Quod tamen aliqui sic interpretantur, quod quum Juppiter sibi fecisset cognominem stellam, fecerit et cognominem patri stellam ulteriorem in profundissimo æthere, et hanc segnissime progredientem; intelligentes, ut Lucanus, per *Tartarum* altitudinem aeris ingentem.

45. *Et implacidam prohibet perferre quietem.* « In nonnullis libris *implacitam* legitur, quod forte verius. » Nonnullæ Barthii membranæ et Behot. 1, *perferre*.

46. *Pandam omnia regna.* « Non est librariorum, sed omnino Papinii ipsius scriptio, quæ servatur a nostris optimis membranis : *pandam intimo regna.* » Barth. « Quænam hæc *omnia regna?* ex sensu manifestum est Plutona de Tartaro

Si placet, et Stygio prætextum Hyperiona cælo.
Arcada nec Superis (quid enim mihi nuntius ambas
Itque reditque domos?) emittam, et utrumque tenebo
Tyndariden. Cur autem avidis Ixiona frango
Vorticibus? cur non exspectant Tantalon undæ?

hic loqui; lege igitur *orrida*, i. e. *horrida regna*: « pallida regna » vocat Virgil. VIII, 245, « regna opaca » Noster Theb. I, 294, « horrifera regna » Seneca Hippol. vs. 932, vel saltem *invia regna*. » Ita scribit Markl. ad Silv. IV, 1, 14.

47. *Et Stygio prætextum Hyperiona cælo*. Behott. I, 2, Dan. Petav. Lindenbr. et Cruc. *prætexam*. — *Hyperiona*. Solem. — *Stygio cælo*. Pluto dicit se immissis tenebris solem et numina turbaturum. — *Cælo*. Id est, tenebris, quibus apud Inferos cælum prætexitur. Nam et Inferi suum cælum habebant. Posset et legi *cœno*. — *Hyperiona cælo*. Hyperiona pro Sole dixit, ut poetæ solent. Prisci varia de eo fabulantur. Diodorus Saturni fratrem fuisse, qui Solis ac Lunæ cursum primus observavit, et mortalibus tradidit. Luctatius Solis equum dicit, aliter quam Ovidius, qui Metam. II, 153, inquit: « Interea volucres Pyroeis, Eous, et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon. » BERNART.

48. *Arcada nec Superis*. *Arcada nunc* Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Arcada Superis* habet Behot. 1, voce nec vel *nunc* erasa; in altero vero Behot. vox *nec* scripta erat in alterius vestigiis. — *Arcada*. Id est, Mercurium natum in Arcadia, qui nunc apud Superos est, nune apud Inferos; unde natum proverbium κοινὸς Ἑρμῆς, communis *Mercurius*. Et nunc atra, nunc aurea facie depictus.

49. *Itque reditque domos*. Reg. B. *Itque reditque domus* habet, Reg. C, *Itque reditque vias* exhibet. En. — *Itque reditque domos*. Hinc Mercurius Apuleio dicitur: « Ille Superum commeator et Inferum. » — *Utrumque tenebo Tyndariden*. Id est, Pollucem et Castorem, Tyndari filios, qui tanto amore se invicem dilexerunt, ut Pollux, qui immortalis natus erat, partem suæ immortalitatis cum fratre communicaverit Castore, qui erat mortalis; quo facto alternis mori traduntur et reviviscere. Virgilius Æneid. VI, 121 et seq. « Si fratrem Pollux alterna morte redemit, Itque reditque viam toties. » Cui fabulæ locum dedit Geminorum natura, quorum altero oriente, ut vulgo creditur, alter occidit, et e contrario. Sed Empiricus mavult, id quod de Dioscuris traditum est, intelligere de duobus Hemisphæriis, eum ipsis geminis non competat in parvo spatio, quod occupant, ut uno oriente alius occidat, occidente oriatur.

50. *Ixiona*. Tangit fabulam Ixionis, rotæ quæ semper convertitur, alligati. Vide Theb. IV, 539, ibique notata nostr. tom. præc. p. 431. En.

51. *Vorticibus*. *Verticibus* in uno Behot. — Reg. B hanc lectionem præbet, Reg. C, *vulturibus*. En. — *Cur non exspectant Tantalon undæ*.

Anne profanatum toties Chaos hospite vivo
Perpetiar? me Pirithoi temerarius ardor
Tentat, et audaci Theseus juratus amico:
Me ferus Alcides, tunc quum custode remoto
Ferrea Cerbereæ tacuerunt limina portæ.
Odrysiis etiam pudet heu! patuisse querelis
Tartara: vidi egomet blanda inter carmina turpes
Eumenidum lacrimas, iterataque pensa sororum.

Confer Thebaid. I, 710 et ibi notata, tom. præcedent. pag. 118 et seq. Ed.

52. *Anne prof. toties*, etc. Regg. B et C, *totiens* exhibent. Ed. — *Hospite vivo*. Hercule, Orpheo, Pirithoo, et Theseo, qui vivi Inferos ingressi sunt.

53. *Perpetiar? me Pirithoi*. Conqueritur Inferos his patuisse, qui infanda cupiebant, ut ad se aut amator aut raptor intraret. Hæc Pirithoi fabula talis est. Pirithous quum Proserpinam rapere suo matrimonio induxisset in animum, hujus tam scelerati consilii Theseum participem fecit, quem quum amicitiarum intuitu Theseus ad Inferos, Proserpinam pariter rapturus, secutus fuisset, gravi sunt utrique damnati supplicio. Unde Virgilius Æneid. VI, 617 et seq.: « sedet, æternumque sedebit, Infelix Theseus. » Ad quem locum notata videnda sunt; nost. edit. tom. III, pag. 170. Ed.

54. *Juratus amico*. Amicitia enim intra æquitatis limites coerceri debet, nihilque amicis promitti debet, in quo jus fasque violetur. Quod non fecit hic Theseus, sed amico etiam uxorem alterius rapturo operam pollicitus est. Unde *juratus* dicitur.

55. *Alcides*. Hercules dictus *Alcides*, ab avo materno Alceo. Tangit hic fabulam, qua dicitur Hercules descendisse in Inferos, et abduxisse Cerberum.

56. *Ferrea Cerbereæ tacuerunt limina portæ*. *Cerbereæ patuerunt* Lang. Buslid. Dan. Petav. Behott. I, 2, Aldd. Colin. Lindenbrog. plerique et Gevart. *tacuerunt* Lipsian. optimæ Barthii membranæ, Amstel. Gronov. Barth.—*Patuerunt limina portæ*. Longe melior in Lips. scripto libro concepta lectio: *tacuerunt limina portæ*. Quum Cerberus abductus videlicet inibi non amplius latraret: τὸ *patuerunt* probum alias, hic spurium, nam, ut Maro cecinit, Æneid. VI, 127: « Noctes atque dies patet atri janua Ditis. » Non igitur signate propter absentiam Cerberi. Bernart. — *Tacuerunt*. Id est, latratibus non sonuerunt, abducto Cerbero.

57. *Odrysiis*. Thraciis. Tangit fabulam Orphei Thracis, qui dicitur descendisse in Inferos ad repetendam uxorem Eurydicem, ac Plutonem Furiasque dulcedine cantus sui flexisse, atque ab iis obtinuisse reditum uxoris.

59. *Iterataque pensa sororum*. Ut novum stamen ducerent pro Eurydice.

Me quoque: sed duræ melior violentia legis.
Ast ego vix unum, nec celsa ad sidera, furto
Ausus iter, Siculo rapui connubia campo:
Nec licuisse ferunt; injustæque ab Jove leges
Protinus, et sectum genitrix mihi computat annum.

60. *Me quoque*. Flexum scilicet cantu Orphei. *Sed duræ melior violentia legis*. *Legem* hic interpretatur Lactantius conditionem impositam Orpheo, ne respiceret uxorem, antequam ad Superos perveniret. Mentem igitur esse: Melior fuit lex, quam ego ipse Pluto; nam dulcedine cantus victus sum, ut Orpheo conjugem redderem; ut concessam perderet, inclementia legis obtinuit. Ego vero credo per *duram legem* intelligi legem, qua omnibus hominibus, ut semel mortui sunt, interdictum est ad vitam redire. Mentem igitur esse: Licet Orpheus a me obtinuerit reditum uxoris, fortior tamen fuit lex communis, effectumque est ea, ut quod ego injuste permiseram, non contingeret, Eurydicem scilicet ad vitam redire.

61, 62. *Ast ego vix unum, nec celsa ad sidera, furto Ausus iter, Siculo rapui connubia campo*. Alludit ad fabulam, qua Pluto dicitur rapuisse Proserpinam in Sicilia, quum flores legeret. Hanc fabulam fuse describit Cicero in Verrem VII. Ovidius, Metam. V, et Claudianus tribus libris. Id cur confictum, discimus ex Firmico lib. de Mysteriis et Erroribus Profanarum Religionum cap. 7. Plures procos habuisse Proserpinam, et inter eos divitem quemdam rusticum, nomine Plutonem; qui quum amoris impatiens moram non ferret, inventam vesperi, in Ennæ finibus prope Pergum lacum amœnissimum, vehiculo super impositum avexit: raptorem cum armatorum turmis Ceres persequitur; qui vitæ suæ timens, et prædæ retinendæ spem abjiciens, equos per medium lacum impulit, cujus profundis voraginibus uterque demersus interiit. Postea solatio matris, Ennenses ab Inferorum Plutone raptam finxerunt. — *Nec celsa ad sidera*. Nihil ausus contra sidera. — *Siculo campo*. Pausanias tamen in Atticis scribit, locum quemdam esse juxta Cephisum amnem in Bœotia, « *Caprificum* nominatum, qua fama erat, Plutonem cum rapta Proserpina in Inferos descendisse.

64. *Et sectum genitrix mihi computat annum*. Ceres, ubi comperit Plutonem filiam rapuisse, questa est apud Jovem de injuria sibi facta, et rogavit illum ut sibi filia redderetur: ille respondit justum esse, ut illi filia redderetur, si nihil degustasset in Inferis; sic enim fatis decretum esse: quum autem testimonio Ascalaphi cognitum fuisset, hanc aliquot mali punici grana comedisse, spes ejus reditus matri interclusa videbatur: sed Juppiter æqua sententia statuit, ut Proserpina quotannis sex menses cum Plutone, sexque cum matre esset. Ovidius Met. V, 564 et sqq. « At medius fratrisque sui mœstæque sororis Juppiter, ex æquo volven-

Sec quid ego hæc? I, Tartareas ulciscere sedes,
Tisiphone, et, si quando novis asperrima monstris,
Triste, insuetum, ingens, quod nondum viderit æther,
Ede nefas, quod mirer ego, invideantque sorores.
Atque adeo fratres, nostrisquè hæc omina sunto
Prima odiis; fratres alterna in vulnera læto

tem dividit annum: Nunc Dea, regnorum numen commune duorum, Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses. » Unde *injustæ ab Jove leges.*

65. *Sed quid ego hæc? i, Tartareas*, etc. *Sed quid ego hæc ita* Lang. Buslid. Dan. Petav. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Basil. Lindenbr. Cruc. et Gevart. « Inepta nec Papiniana scriptura, quam tamen libri plerique defendunt. Vera est, quam jam olim doctissimus Gul. Canterus Novar. Lect. lib. II, cap. 8, vidit: *Sed quid ego hæc? I, Tartareas*, etc. Nisi quis malit optimi nostri libri: *Sed quid ego hæc? tu Tartareas.* Magis tamen illud Papinianum spirat. » Barth. — *Sed quid ego hæc.* Supple, Queror. Frequens aposiopesis poetis. Noster Theb. XI, 82 et sqq. « quod innumero Lethæa examine gaudet Ripa, meæ vires, mea læta insignia: sed quid Hæc ego? » Idem, Theb. IV, 774: « Sed quid ego hæc? fessosque optatis demoror undis? » Ovid. Heroid. Ep. XIII, 135: « Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto. » Ausonius Præfatione Septem Sapientum: « Sed ego quid isthæc? non hac causa huc prodii. »

66. *Tisiphone, et, si quando....* « Vocula et in nullo nostrorum exemplarium visitur. Placet omitti. » Barth. Deest etiam in utroque Behot. et in Regg. B et C. Ed. — *Asperrima.* Supple fuisti. — *Novis monstris.* Novis et insolitis flagitiis.

68. *Invideant.* Quod exeogitasti novum scelus, quod ipsis non venerit in mentem, unde causa invidiæ.

69. *Atque adeo fratres, nostrisque hæc omina sunto.* Dan. Petav. Lindenbr. et Cruc. *nostrique.* Aldd. Colin. et Basil. *hæc omnia sunto.* — Reg. B, *hæc omnia sunto* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Nostrisque hæc omina sunto Prima odiis.* Emendatio hæc a libris scriptis est: vulgata, *hæc omnia sunto:* nec sana est, nec sani quidquam ex ea elicias. Duellum (inquit Pluto) Polynicis et Eteoclis omen erit belli, quod ego fratribus Jovi et Neptuno inferam, hac injuria merito commotus. Bern. — *Fratres.* Eteocles et Polynices.

70. *Prima odiis.* Reg. B, *Prima odii*, etc. habet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Odiis.* Inter me et Jovem. — *Læto Marte ruant.* Id est, gaudeant hoc duello. Sive *læto Marte*, id est, cum gaudio spectante utroque exercitu Argivo et Thebano. Dicit enim Theb. XI, utrumque exercitum primo motum misericordia erga fratres, ac eos pugnantes voluisse dirimere, sed mox arma placuisse, et mutata sententia voluisse spectare. — De hoc loco vide

Marte ruant : sit, qui rabidarum more ferarum
Mandat atrox hostile caput, quique igne supremo
Arceat exanimes, et manibus æthera nudis
Commaculet : juvet ista ferum spectare Tonantem.
Præterea ne sola furor mea regna lacessat,
Quære Deis qui bella ferat, qui fulminis ignes,
Infestumque Jovem clipeo fumante repellat.
Faxo haud sit cunctis levior metus, atra movere
Tartara, frondenti quam jungere Pelion Ossæ. »
Dixerat : atque illi jamdudum regia tristis

not. ad illud Ovidian. Metam. IX, 405; ibuntque pares in vulnera fratres. » Nost. edit. tom. IV, pag. 116 et 117. Manilius, Astron. IV. 84; « Mutua armati coeunt in vulnera fratres. » En.

71. *Qui rabidarum more ferarum.* Unus Behot. *rapidarum.*

72. *Mandat atrox hostile caput.* Designat Tydeum, qui moriens caput Menalippi qui illum letaliter vulneraverat, mandit, ut videbimus sub finem hujusce libri. — *Quique igne supremo Arceat exanimes.* Intelligit Creontem, qui, ut sæpius diximus, vetuerat, ne Argivi in acie occisi sepulturæ mandarentur. Vide Theb. XI.

74. *Commaculet.* Ut tabe solvantur corpora, non flamma pyrarum : nec interpositis urantur ignibus, sed in solo terræ intemperie aeris membra depereant. Fit mortuis denegata sepultura supplicium. LACTANT. — *Juvet ista ferum spectare Tonantem.* Dicit Pluto se voluptatem capturum, si Juppiter etiam videret aliqua, quæ ipsi displicerent.

75. *Lacessat.* In eodem Behot. codice, *lacesset.*

76. *Qui bella ferat.* Capaneum innuit, qui impietatis pœnas solvit, fulmine percussus a Jove, ut videre est sub finem Theb. X.

77. *Clipeo fumante.* Jam recepto in clipeum suum fulmine.

78. *Levior metus.* Bello enim Gigantum metuisse extrema omnia Deos autumabant Idolatræ. Manilius, Astron. I, 414 et seqq. « vastos quum terra gigantes In cælum furibunda tulit, tum di quoque magnos Quæsivere Deos : dubitavit Juppiter ipse, Quod poterat non posse timens; quum surgere terram Cerneret, et verti naturam crederet omnem, Montibus atque aliis aggestos crescere montes, Et jam vicinas fugientia sidera moles. »

79. *Frondenti quam jungere Pelion Ossæ.* Memorat bellum Gigantum. Gigantes enim, quum vellent adscendere in cælum, bellum Diis illaturi, Pelion, montem Thessaliæ, Ossæ, ejusdem Thessaliæ monti, imposuerunt. Tanto autem pavore perculsi sunt Dii in hoc Gigantum bello, ut omnes se in varias animalium figuras converterent. Notissima fabula.

80. *Jamdudum regia Attremit.* Ut Jovis sermoni cælum attremere

Attremit oranti, suaque, et quæ desuper urget,
Nutabat tellus : non fortius æthera vultu
Torquet, et astriferos inclinat Juppiter axes.
« At tibi quos (inquit) Manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis? » Subit ille minantem
Jam tenuis visu, jam vanescentibus armis,
Jam pedes ; exstincto tamen interceptus in ore
Augurii perdurat honos, obscuraque fronti
Vitta manet, ramumque tenet morientis olivæ.
« Si licet, et sanctis hic ora resolvere fas est
Manibus, o cunctis finitor maxime rerum,

fingunt alii poetæ. Imitatus est Claudianus iu suo Dite, XXXIII de Raptu Pros. lib. I, 82 et seq. « tunc talia celso Ore tonat; tremefacta silent, dicente tyranno, Atria. » — *Attremit.* Nutat ad voeum pondus et elamoris amplitudinem. Ita Thebaid. III, 308 et seq. « terras cælumque fretumque Attremere oranti. » — Sil. Ital. Punic. V, 617: « atque umbras late stygias immensa vorago Faueibus osteodit patulis, manesque profundi Aotiquum expavere diem. » Quem locum adi, nost. edit. t. I, p. 338. Ed.

82. *Nutabat tellus.* « Codex optimus, *Adnutat ;* quod Papinianum omnino existimo ; nec deterrere debet voeulæ *ad* repetitio. » Barth.

83. *Juppiter axes.* Hoc est, oratione Plutonis tremefaeti sunt poli.

84. *Tibi.* Convertit Pluto sermonem ad Amphiaraum. — *Manes.* Hie pro pœnis, ut Virgilius Æneid. VI, 743 : « Quisque suos patimur manes. » Ad quem locum not. legere operæ pretium est; vid. nost. edit. tom. III, pag. 188 et 189. Ed. — *Limite præceps Non licito.* Vivus enim in Ioferos deseenderat.

86. *Tenuis visu.* Simulacra enim mortuorum vix in visum cadunt. Theb. IV, 535 : « et angustam eenteni Ægæonis umbram. » Ad quem locum illustraodum adductus est hie versus. Vide tom. præcedent. pag. 431. Ed. — *Vanescentibus.* In umbram desinentibus. Lact.

87. *Jam pedes : exstincto tamen interceptus in ore.* « Quomodo *interceptus*, si *perdurat?* Vitiata leetio, eui ex parte suceurrunt libri nostri, præferentes, *indeceptus.* Vera lectio est, *indecerptus.* » Barth.

88. *Obscuraque fronti Vitta manet.* Non vitta, sed vestigium vittæ. Superiori enim libro, v. 784, eas Apollini reddidisse Amphiaraus dicitur : « Aeeipe commissum capiti deeus. »

89. *Ramumque tenet morientis olivæ.* Ramos olivæ insigne supplieum. Vide lib. superiori vs. 476.

91. *Cunetis finitor.* Ovid. Met. X, 32 et seqq. « Omnia debentur morti, paullumque morati, Serius aut citius, sedem properamus ad unam : Tendimus huc omnes, hæc

At mihi, qui quondam causas, elementaque noram,
Et sator! oro, minas, stimulataque corda remulce,
Neve ira dignare hominem, et tua jura timentem.
Nam nec ad Herculeos (unde hæc mihi pectora?) raptus,
Nec Venerem illicitam, crede his insignibus, ausi
Intramus Lethen: fugiat nec tristis in antrum
Cerberus, aut nostros timeat Proserpina currus.
Augur Apollineis modo dilectissimus aris,
Testor inane Chaos, (quid enim hic jurandus Apollo?)
Crimine non ullo subeo nova fata: nec alma
Sic merui de luce rapi: scit judicis urna

est domus ultima cunctis.» Ordo ergo talis est: Cunctis finitor rerum, scilicet putatis: mihi vero etiam sator. Nam quum constet Plutoni terram esse consecratam, dicit omnia membra resolvi, et de terra cuncta procreari: juste ergo creator dicitur, a quo universa gignuntur. LACTANT.

92. *At mihi.* Lactantius legit *Ast ego.* Varietas illa suspectum mihi facit versum, qui alioquin inutilis videtur, sed ἐπέχω. GUYETUS.

93. *Et sator.* Supra facit Plutonem cunctis *finitorem*, nunc *satorem.* Nam per Plutonem terram intelligebant Veteres, in quam omnia resolvuntur, et ex qua procreantur. Varro de Lingua Latina lib. IV: «Diespiter, infimus aer qui est conjunctus terræ, ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur, quorum finis orcus dictus.» Diespiter enim idem erat ac Pluto, ut omnes sciunt. Vel *sator* ob Parcas, quæ vitas hominum nent. GUYETUS.

94. *Neve ira dignare hominem, et tua jura timentem.* Non decet enim Deum homini irasci, et multo minus pio.

95. *Nam nec ad Herculeos raptus.* Tangit quod supra dixerat Pluto de Cerbero ab Hercule abducto vs. 55. — *Pectora.* Alii codices *prælia.* Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. ED.

96. *Nec Venerem illicitam.* Ut Pirithous supra vs. 54.

97. *Lethen.* Lethe fluvius Inferorum, per quem Inferos designat. — *Fugiat nec tristis in antrum Cerberus.* Vide supra.

98. *Aut nostros timeat Proserpina currus.* Alludit ad Pirithoum, qui Proserpinam rapere aggressus fuerat. Vide supra.

99. *Modo.* Hoc ipso momento. Arguit humanam caducitatem.

100. *Inane Chaos.* Inferos designat. Supra lib. IV, 420: «Panditur Elysium Chaos.» Et ibid. 478: «inane severæ Persephones.»

101. *Nova fata.* Quod vivus, non mortuus, ut cæteri homines, in Inferos venerat.

102. *Judicis urna Dictæi.* Judex Dictæus, Minos, sic dictus a Dicte monte Cretæ: Minos enim Cretensis erat. — *Urna.* Vide quæ diximus ad Theb. IV, 530: «Arbiter

Dictæi, verumque potest deprendere Minos.
Conjugis insidiis, et iniquo venditus auro,
Argolicas acies, unde hæc tibi turba recentum
Umbrarum, et nostræ veniunt quoque funera dextræ,
Non ignarus ini: subito me turbine mundi,
Horret adhuc animus, mediis e millibus hausit
Nox tua: quæ mihi mens, dum per cava viscera terræ
Vado diu pendens, et in aere volvor operto?
Hei mihi! nil ex me sociis, patriæque relictum,
Vel captum Thebis: non jam Lernæa videbo
Tecta, nec attonito saltem cinis ibo parenti.
Non tumulo, non igne miser, lacrimisque meorum

hos dura versat Gortynius urna; » tom. præc. pag. 430. Confer etiam Excursus ad calcem ejusdem libri, tom. præced. pag. 478, et ad calc. huj. lib. ubi aliqua addimus. Ed.

103. *Deprendere*. Qui potest me convincere, si falsa dicerem.

104. *Iniquo venditus auro*. Eriphyle enim, ut jam vidimus, prodiderat maritum latitantem, spe habendi monile Argiæ.

106. *Nostræ veniunt quoque funera dextræ*. Amphiaraus enim ingentem hostium numerum occiderat, ut videre est lib. sup. — Propter sui misericordiam dicit, se pugnando multas inferis animas addidisse: pro quo beneficio petit sibi esse parcendum. Lact.

107. *Non ignarus iui*. Præviderat enim se in hoc bello periturum. Theb. VI, 383: « Scis miser, et nostræ pridem cecinere volucres. » Vide Theb. III.

109 *Nox tua*. Mors et tenebræ perpetuæ.

110. *In aere volvor operto*. Lang. Busl. unus Behot. optimi Barthiani, Aldd. Colin. Basil. et Plant. *aperto*; Dan. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *operto*; ita quoque legit Nic. Heinsius in Advers. lib. IV, cap. 3, pag. 583; Dan. Heinsius item ad Claudian. Rapt. Proserp. I, 171. — Reg. B, *aperto* præbet; Reg. C nostram lectionem. Ed.

111. *Hei m. nil ex me s. patriæque relictum*. Behot. 2, *relinquo*, et pro v. l. *relictum*; Lang. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. et edd. vett. *relictum est*.

112. *Vel captum Thebis*. *Non captas Thebas* unus Behot. et pro v. l. *Non captum Thebis*. — *Vel captum Thebis*. Optabilius mihi enim fuisset capi a Thebanis. — *Lernæa*. Argiva.

113. *Parenti*. OEcleo.

114. *Non tumulo, non igne miser*. Put. *non ipse miser*. — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. Ed. — *Lacrimisque meorum*. Lacrimæ enim propinquorum et amicorum Manibus gratissimæ erant, ut quibus dolorem, quem ex morte propinqui aut amici habe-

Productus, toto pariter tibi funere veni,
Nil istis ausurus equis : nec deprecor umbram
Accipere, et tripodum jam non meminisse meorum.
Nam tibi præsagi quisnam super auguris usus,
Quum Parcæ tua jussa trahant? sed pectora flectas,
Et melior sis, quæso, Deis : si quando nefanda
Huc aderit conjux, illi funesta reserva
Supplicia : illa tua, rector bone, dignior ira. »
Accipit ille preces, indignaturque moveri.
Ut leo Massyli quum lux stetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat : si decidat hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.

bant, significarent. Et Veteres putabant mortuo dedecori esse, si a suis superstitibus non ploraretur.

115. *Productus. Producere* verbum ad funera pertinens. Turn. lib. XIX, cap. 17. *Producere* interpretatur προτιθέναι, quod est mortuos ante ædes ad exsequias proponere. Papinius tamen Epicedio in Glauciam videtur hoc verbum sumere pro, procedentem funus comitari, quæ verior significatio est.

116. *Ausurus.* Ut alii, nimirum Hercules et Pirithous. — *Nec deprecor umbram accipere.* Id est, nec refuto umbram esse : *deprecor* autem est refuto. Virgil. Æneid. XII, 931 : « Equidem merui, nec deprecor unquam. » (Ubi vid. Var. Lect. nost. edit. tom. IV, pag. 383. Ed.) Lucan. Phars. IX, 213 : « non deprecor hosti Servari, dum me servet cervice recisa. » Lactant.

117. *Umbram accipere.* Mortem obire et in umbram totus converti.

118. *Nam tibi præsagi quisnam super auguris usus.* « Rectissime optimi libri et emendatores, *quis jam;* quod non attendit correctio Gevartiana, etsi jactatrix illa plurimorum librorum. » Barth. Ita Dan. Petav. Behott. 1, 2, Lipsian. Lindenbrog. et Cruc.

119. *Trahant.* Tanquam pensum.

120. *Et melior sis, quæso, Deis.* Supra enim Pluto Diis, seu Superis, atrocia minatus fuerat.

121. *Funesta reserva.* Hoc est, conjugi meæ, quæ mihi minaris, reserva supplicia, quæ salutem viri prodidit monili corrupta. Lact.

123. *Indignaturque moveri.* Irascitur se in misericordiam flecti.

124. *Massyli.* Massyli Mauritaniæ populi, quorum regio leonibus abundat.

125. *Tunc iras, t. ar. citat : si decidat hostis.* Put. cum uno Behot. si *decidit.* — Hanc lectionem Regg. B et C exhibent. — *Citat.* Incitat. De hoc verbo vid. not. ad Theb. VI, 834; ad quem locum illustrandum adduximus hunc versum. Ed. — *Arma.* Dentes et ungues, quibus se tuetur et vindicat.

126. *Ire super satis est, vitam-*

Interea vittis, lauruque insignis opima
Currus, et egregiis modo formidatus in armis,
Luce palam fusus nulli, nullique fugatus
Quæritur : absistunt turmæ, suspectaque tellus
Omnibus : infidi miles vestigia campi
Circumit, atque avidæ tristis locus ille ruinæ
Cessat, et inferni vitatur honore sepulcri.
Nuntius hortanti diversa in parte maniplos

que relinquere victo. Noster adspexit, aut transcripsit ista Ovidii Tris. III, Eleg. 5, 33 et seq. « Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni: Pugna suum finem, quum jacet hostis, habet. » Claudian. XXXIX, Epistol. I, v. 27 et seq. « Emollit rabiem prædæ mortisque facultas.... torvique leones Quæ stravisse calent, eadem prostrata relinquunt. » Prostratis enim parcit leo, ait Plinius Hist. Nat. VIII, cap. 16. « Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: et ubi sævit, in viros prius, quam in feminas fremit, infantes nonnisi magna fame. Eum vero, qui telum miserit, sed tamen non vulneraverit, correptum raptatumque sternit, nec vulnerat. »

127. *Interea vittis, lauruque insignis. Interea victis* Behott. 1, 2, sed in utroque correctum *vittis.* Unus Behot. Petav. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *lauroque.*

128. *Egreg. modo formidatus in armis.* Unus Behot. *arvis*, et pro v. l. *armis.* — *Egregiis modo formidatus in armis.* Ob magnam hostium stragem, quam fecerat.

129. *Luce palam fusus nulli, nullique fugatus.* Put. *fusus media, nullique fugatus.* — Hanc lectionem Reg. B præbet, Reg. C nostram. Ed.

131. *Infidi vestigia campi.* Extremitates, qua ruina erat notabilis infidi campi, id est, qui corruerat, et fidem sic non servaverat.

132. *Circumit. Circuit* Petrens. et Exc. Cantab. Vide Broukhus. ad Propert. II, 4, 26, et Ciofan. ad Ovid. Metam. VIII, 748.

133. *Inferni vitatur honore sepulcri.* Non discrepant scripti, in Lugdunensi editione tamen invenio: *Vittatur honore.* Erit forte qui nos id reposuisse vellet ex more veteri, quo vittæ in sepulcris. Cæcilius Androgyno : « Sepulcrum plenum tæniarum ita, uti assolet. » Varr. de Lingua Latina lib. VII, « Quum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas, sed velatas frondenteis comas. » Ego ritum hunc non ignoro, retineo tamen vulgatam, quam requirit ipse orationis ductus. Bernart.

134. *Diversa in parte.* Remota longius. Est et hoc ex Virgil. Æn. IX, 691 : « Ductori Turno, diversa in parte furenti, Turbantique viros, perfertur nuntius, etc. » Æneid. XI, 203 : « Nec minus et miseri diversa in parte Latini Innumeras struxere pyras, etc. »

Adrasto, vix ipse ratus vidisse, Palæmon
Advolat, et trepidans, steterat nam forte cadenti
Proximus, inspectoque miser pallebat hiatu.
« Verte gradum : fuge, rector ait; si Dorica saltem
Terra loco, patriæque manent, ubi liquimus, arces.
Non armis, non sanguine opus : quid inutile ferrum
Stringimus in Thebas? currus humus impia sorbet,
Armaque, bellantesque viros : fugere ecce videtur
Hic etiam, quo stamus, ager : vidi ipse profundæ
Noctis iter, ruptaque soli compage ruentem,
Illum heu, præsagis quo nullus amicior astris,
ŒEcliden, frustraque manus cum voce tetendi.
Mira loquor, sulcos etiamnum rector equorum,

135. *Vix ipse ratus.* Vix ipse apud se constituens et certus. Virg. Æn. X, 629 : « atque hæc Turno rata vita maneret ! »

137. *Inspectoque miser pallebat hiatu.* Pallorem illi faciebat propinquitas mortis, ut apud Virgilium de Cleopatra, Æneid. VIII, 709 : « illam inter cædes pallentem morte futura ; » de Didone, Æneid. IV, 644 : « Maculisque trementes Interfusa genas, et pallida morte futura. »

138. *Verte gradum.* Reg. B, *Verte fugam* habet ; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Dorica.* Peloponnesiaca, a Doribus, qui postea Peloponnesum occuparunt cum Heraclidis.

141. *Currus humus impia sorbet.* Sil. Ital. Punic. V, 43, « Fluit impia rivis sanguineis vallis, etc. » Ad quem illustrandum adductus Papinii locus ; vid. not. nost. Sil. tom. I, pag. 325. Ed.

143. *Profundæ Noctis iter.* Quo rapiebatur ad Inferos Amphiaraus. *Nox*, Chaos, Erebus. Claudian. XXXIII, de Raptu Proserp. lib. I, 55 et seq. « O maxime noctis Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant Stamina. »

145. *Heu.* Interpositio est dolentis. — *Præsagis astris.* Futura denunciantibus stellis. LACTANT.

146. *OEcliden, f. m. cum voce tetendi.* Lang. Buslid. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Plant. Lindenbr. plerique et Gevart. *tetendit.* — Hanc lectionem Regg. B et C exhibent. EDIT. — *OEcliden.* Amphiaraum, OEcli filium. — *Cum voce.* Petentium auxilia affectum expressit Poeta, qui jactatione vel extentione manuum sibi supplicant subveniri : hoc Virgilius, Æneid. II, 405 et seq. ut raptæ Cassandræ negatum fuisse monstraret, ait : « Ad cælum tendens ardentia lumina frustra : Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas. » LACTANT.

147. *Sulcos etiamnum rector equorum.* Unus Behot. *etiam* nunc *rector.* — *Rector.* Adraste.

Fumantemque locum, et spumis madida arva reliqui.
Nec commune malum est : tellus agnoscit alumnos,
Stat Thebana acies. » Stupet hæc, et credere Adrastus
Cunctatur; sed Mopsus idem, trepidusque ferebat
Actor idem; nam fama novis terroribus audax
Non unum cecidisse refert : sponte agmina retro
Non exspectato revocantum more tubarum
Præcipitant : sed torpet iter, falluntque ruentes
Genua viros, ipsique, putes sensisse, repugnant
Cornipedes, nulloque truces hortamine parent,
Nec celerare gradum, nec tollere lumina terra.
Fortius incursant Tyrii : sed Vesper opacus

148. *Fumantemque l. et spumis m. arv. reliqui.* In quibusdam codd. *reliquit.* — Hanc lectionem Reg. B præbet, Reg. C nostram. Ed. — *Fumantemque locum.* Fortasse, *lacum*, id est, hiatum. Sic Noster, Silv. I, 1, 66, Equo Max. de Lacu Curtio: « cujus sacrata vorago, Famosique lacus. » Iterum, v. 72 : « terque ardua mersit Colla lacu. » Sic et legerim infra vs. 338 : « Quo ruis, ille adytis melior lacus. » Gr.

149. *Tellus agnoscit.* Laur. Buslid. Lips. et edd. vett. *cognoscit.*

151. *Trepidusque ferebat actor idem.* Manifestissimum mendum, quod ex scriptis libris sine ulla hæsitatione emaculavi : *trepidusque ferebat Actorides.* Non firmo; quum neminem tam ineptum futurum autumem, qui vulgatam spuriam, nostram germanam non credat. Bern.

152. *Actor idem. Actorides* codd. Lindenbrog. et Crue. *Autor idem* Aldd. Colin. et Gryph. *Actor idem* optimæ Barthii membranæ, ut olim correxerat Gul. Canterus Novar. Lect. lib. II, cap. 8. — *Fama novis terroribus audax.* Noster Thebaid. IV, 369 : « Accumulat crebros turbatrix fama pavores. »

153. *Non unum cecidisse refert.* Rumor spargebatur multos terram absorbuisse.

154. *Non exspectato revocantum more tubarum.* Put. *revocatum more ferarum.* — *Non exspectato revocantum more tubarum.* Flagitium enim erat acie excedere, priusquam dux receptui cani jussisset. Unde refertur de quodam duce, qui quum fugientes suos videret, receptui cani jussit, ut fugam eorum tegeret.

156. *Gen. v. ips. p. s. repugnant.* Behott. 1, 2, *ruuntque*, sed in Behot. 2, expunctum, adscriptumque *repugnant.* — *Genua viros.* Solutione pedum nimio timore genua languebant et negabant cursum, ut Virgil. Æn. V, 431 et seq. « tarda trementi genua labant. »

158. *Nec tollere lumina terra.* Id est, tanto erant inclinati terrore, ut oculos a terra levare non possent. Lact.

159. *Fortius incursant Tyrii.* For-

Lunares jam ducit equos : data fœdere parvo
Mœsta viris requies, et nox auctura timores.
 Quæ tibi tunc facies, postquam permissa gemendi
Copia? qui fletus galeis cecidere solutis?
Nil solitum fessos juvat : abjecere madentes,
Sicut erant, clipeos : nec quisquam spicula tersit,
Nec laudavit equum, nitidæ nec cassidis altam
Comsit adornavitque jubam : vix magna levare
Vulnera, et efflantes libet internectere plagas.

tius incumbunt Tyrii Petrens. *incursant* cæteri omnes libri, et scripti et impressi. — *Tyrii*. Thebani, ut jam sæpins dictum est. — *Opacus*. Ob tenebras noctis.

160. *Data fœdere parvo*. Unus Behot. *fœdere parvo*. — *Fœdere parvo*. Interpositione pacis modicæ.

161. *Et nox auctura timores*. Solemus enim per noctem res majores ac graviores nobis fingere ac repræsentare.

162. *Quæ tibi tunc facies, postquam permissa gemendi*. *Quæ tibi nunc* Put. *remissa gemendi* Dan. Petav. Lindenbr. et Cruc. — *Quæ tibi tunc facies*. Non est quem alloquatur hoc loco Papinius. Consentiunt in manifestum mendum omnes scripti editique libri. Solus ille optimus hoc etiam loco veritatem amissam restituit. Clare enim in eo scriptum legitur : *Tunc ibi quæ facies, postquam permissa gemendi Copia?* Mulieres autem, non viros, paganos aliquos, non milites hæc animi fractio deceat. Et valde etiam in hoc requirimus considerantiam hujus optimi scriptoris. Barth. — *Quæ tibi tunc facies*. Admirative ex persona Poetæ. *Tibi* ibi παρέλκει, ut *ecce tibi* dictum est.

163. *Qui fletus galeis cecidere solutis?* Claud. V, in Rufinum, lib. II, 258 et seq. « galeasque solutas humectat lacrimis. » Ad quem locum vid. not. nost. edit. tom. I, p. 201. Lacrimis galeas humectare non raro occurrit, ut apud nostrum Thebaid. IX, 41, « madet ardua fletu Jam galea. » Ed.

164. *Nil solitum fessos juvat*. Id est, nihil eorum quæ juvare solebant. Guyetus. — *Nil solitum*. Id est, fieri post pugnam et per noctem. Peyraredus.

165. *Nec quisquam spicula tersit*. Unus Behot. *spicula torsit*.

166. *Nitidæ nec cassidis altam*. In eodem Behot. codice : *nec cassidis unquam;* sed pro v. l. *altam*.

167. *Vix magna levare*. Petrens. Burm. Lanr. Petav. omnes Barth. Lindenbrog. cæteri et Amstel. *vix magna lavare;* soli Gronov. Barth. Delph. et Bip. *levare*. — Regg. B et C, *lavare* habent. Ed.

168. *Vulnera, et efflantes libet*, etc. Reg. B, *vulnera efflantes libet*, etc. Reg. C nost. lect. præbet. Ed. — *Et efflantes*. Exspirantes animam. — *Internectere*. Metaphoram traxit a medicis, qui solent vulnerum labra suere.

Tantus ubique dolor! mensas alimentaque bello
Debita nec pugnæ suasit timor : omnia laudes,
Amphiarae, tuas, fœcundaque pectora veri
Commemorant lacrimis, et per tentoria sermo
Unus; « Abisse Deos, delapsaque numina castris. »
« Heu! ubi laurigeri currus? sollemniaque arma?
Et galeæ vittatus apex? hoc antra, lacusque
Castalii? tripodumque fides? sic gratus Apollo?
Quis mihi sidereos lapsus, mentemque sinistri
Fulguris, aut cæsis saliat quod numen in extis,
Quando iter, unde moræ, quæ sævis utilis armis,
Quæ pacem magis hora velit, quis jam omne futurum
Proferet? aut cum quo volucres mea fata loquentur?

169. *Alimentaque bello.* Reficiendis viribus scilicet ad primam pugnam.

170. *Omnia.* Pro omnes. — Planctus hic, in laudes Amphiarai compositus, ingentem vim et ingenii et eloquentiæ in Papinio ostentat.

171. *Fœcundaque pectora veri.* Plena veri, id est, oraculorum veridicorum. Sic Virgil. Æneid. VII, 338, de pectore Furiæ, malis artibus pleno, « fœcundum concute pectus. »

172. *Et per tentoria sermo.* Barthius legit: *it per tentoria.*

173. *Delapsaque numina castris.* Edd. vett. et multi codd. *dilapsaque.* — Hanc lectionem Regg. B et C exhibent. Ed.

174. *Heu! ubi laurigeri currus? Heus ubi* in quibusdam codd. improbante Nic. Heins. ad Ovid. Metam. p. 31. Vide ad Thebaid. IX, 385. — Reg. B hanc lectionem habet, Reg. C nostram. Ed.

175. *Hoc antra, lacusque,* etc. Lang. Buslid. Dan. Petav. Plant. Lindenbr. plerique et Grasser. *hæc antra.* — *Antra.* Hæc vocat Theb. I: « Obscuros recessus. » Vide ib. 509, tom. præc. pag. 91. — *Lacusque Castalii.* Castalios enim fons erat fatidicus. Vide Theb. I, 565, et ibi notata, tom. præcedent. pag. 99. Ed.

176. *Sic gratus Apollo?* Erga famulos suos, supple.

177. *Quis mihi.* Hoc est, quis mihi proferet in ominibus; aut certe proferet voluntatem Deorum, augure interemto? LACTANT.

178. *Aut cæsis saliat,* etc. Optimæ Barthii membranæ, *aut cæcis.* — *Aut cæsis saliat quod numen in extis.* Vide quæ diximus ad Theb. V, 176: « et in nullis spirat Deus integer extis; » tom. præced. pag. 509. Ed.

179. *Quando iter, unde moræ,* etc. Hæc enim omnia non suscipiebant, nisi prius consultis Diis per auguria, et per exta pecudum, quorum interpretes erant vates, ut hic Amphiaraus.

Hos quoque bellorum casus nobisque, tibique,
Præscieras, et (quanta sacro sub pectore virtus!)
Venisti tamen, et miseris comes additus armis.
Et quum te tellus, fatalisque hora vocaret,
Tu Tyrias acies, adversaque signa, vacasti
Sternere : tunc etiam media de morte timendum
Hostibus, infestaque abeuntem vidimus hasta.
Et nunc te quis casus habet? poterisne reverti
Sedibus a Stygiis, altaque erumpere terra?
Anne sedes hilaris juxta tua numina Parcas?
Et vice concordi discis ventura, docesque?
An tibi felices lucos miseratus Averni
Rector et Elysias dedit inservare volucres?

183. *Præscieras, et (quanta sacro sub pectore virtus!)* « Melius membranæ: *Præscieras (pro quanta s. s. p. virtus!)* etc. » Barth.

184. *Et miseris comes additus armis.* Quæ talia sciebas, non pepercisti tamen tibi, quin eis accederes.

185. *Quum te tellus.* Quum jam hauriendus esses fatali voragine, non cavisti tibi, non exiisti, quum poteras, periculo; sed te mediis hostibus cædendis extrahi voluisti, immemor tui, communis emolumenti memoriam retinens.

186. *Vacasti.* Dan. Petav. et Cruc. *vocasti;* ita etiam Behott. 1, 2, sed Behot. 2, habet pro v. l. *vacasti.*

187. *Tunc etiam media de morte timendum.* « Præstat sequi optimi exemplaris scripturam: *nunc etiam media te morte,* etc. » Barth.

189. *Poterisne reverti.* Illinc unde negant redire quemquam.

190. *Altaque erumpere terra.* Optimæ Barthii membranæ: *aliaque evadere terra;* Laug. uterque Behott. Buslid. Aldd. Colin. nonnulli et Plant. *aliaque erumpere terra;* Dan. Petav. Lindenbrog. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *altaque erumpere terra.*

191. *Anne sedes hilaris juxta tua numina Parcas?* Pul. *hilares.* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *numina parcus;* Behott. 1, 2, Lang. Colin. Gevart. Gronov. Barth. et Delph. *numina Parcas.*[1]

192. *Et vice concordi.* Et hunc libenter fata susceperunt præceptorum. Lact.

193. *Miseratus Averni.* Miseratus quod dicit, non hoc ad indulgentiam ducas, sed ad maximum Amphiarai decus: nam ille nulli parcit, ut Horat. « Victima nil miserantis orci. » Lactant. — *Felices lucos.* In quos Veteres credebant mitti heroas, piosque, ut perpetua ibi quiete fruerentur.

194. *Inservare volucres? Servare* sollemne in auspiciis verbum. Cicero pro Domo sua cap. 15: « Negant fas esse agi cum populo, quum de cælo servatum sit. » No-

Quidquid es, æternus Phœbo dolor, et nova clades
Semper eris, mutisque diu plorabere Delphis.
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies, partuque ligatam
Delon, et intonsi cludet penetralia Branchi.
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.
Quin et cornigeri vatis nemus, atque Molossi

ster (uti vides) componit, quod et lib. VI, 935, fecit: « Fata patent homini: piget inservare. » Bern. — Et notandum hic poetas tribuere mortuis eadem studia quæ habebant, dum vivebant. Virg. Æn. VI, 655.

195. *Et nova clades Semper eris.* Recentes quippe et novæ clades acerbiores esse solent.

196. *Mutisque diu plorabere Delphis.* Unus codex Lindenbrogii: *multisque diu.* — *Delphis.* Oppido Phocidis, in quo erat illud notissimum Apollinis oraculum.

197. *Hic Tenedon, Cyrrhamque dies*, etc. *Hic Tenodon* Lindenbr. *Chrisenque dies* Put. — Reg. B, *Hic Tenodon Chrisenque dies*, etc. Reg. C nostram lectionem habet. Ed. — *Tenedon.* Tenedos insula adjacens Sigæo promontorio in Troade, in qua erat Apollinis oraculum. — *Cyrrhamque.* De Cyrrha pluribus locis diximus. — *Partuque ligatam Delon.* De Delo etiam pluribus in locis. Ideo vero *ligatam* et defixam Delum dicit, quod in ea Apollinem et Dianam Latona peperisset, et ob id stabilem fecisset.

198. *Branchi.* Vide Excursum ad calc. huj. lib. Ed.

199. *Nec Clarias fores.* Intelligit templum et oraculum Apollinis apud Claron Ioniæ oppidum, juxta Colophonem, quod oraculum Manto Tiresiæ filia dicitur condidisse: hinc *Apollo Clarius.* Responsa edebantur aqua prius epota, breviore tamen vita bibentium. Tacit. Ann. II, cap. 54: « Non femina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis, et ferme Mileto accitus, sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque literarum et carminum edit responsa, versibus compositis super rebus, quas quis mente concepit. » Est et Claros insula in mari Myrtoo, et ipsa Apollini sacra, de qua nonnulli intelligunt illud Ovidii Met. I, 516: « mihi Delphica tellus, Et Claros, et Tenedos, Pataræaque regia servit. » — *Didymæaque limina.* Erat et templum et oraculum Apollinis cognomento Didymæi apud Miletum, quod prius oraculum Branchidarum appellatum est Plinio. Vide Theb. III, 479, et Excurs. ad calc. huj. lib. Ed.

200. *Nec Lyciam supplex*, etc. Behott. 1, 2, *nec supplex Lyciam.* — *Nec Lyciam supplex consultor adibit.* Notat oraculum Apollinis apud Pataram Lyciæ urbem. Vide Theb. I, 696, 116; III, 477 et ibi notata. Ed.

201. *Quin et cornigeri v. n. atque Molossi.* *Molosso* Dan. Petav.

Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tacebit.
Ipsi amnes, ipsæque volent arescere laurus.
Ipse nihil certum sagis elangoribus æther
Præcinet, et nulla ferientur ab alite nubes.

Lindeobrug. et Cruc. Ita Bebott. 1, 2; sed corrupta postrema litera suppositum in utroque *Molossi*. — Regg. B et C, *Molosso* præbent. Ed. — *Quin et cornigeri vatis nemus*. Intelligit Jovis Hammonis oraculom, de quo vide Theb. III, 476; tom. præced. pag. 323. Ed. — *Cornigeri*. Quia Jovis Hammonis simulacrum arietina cornua habebat: unde Phæsto κερατηφόρος, sicut Luciano κριοπρόσωπος. Hoc oraculum Bacchus constituisse dicitur, ut habetur apud Hyginum, volumine secundo in Ariete, quum siti confectus peragrando Libyam, magnam aquæ copiam nactus fuisset, duce ariete, quem obvium habuerat. Et quum ille aries subito evanuisset, templum eodem loco, Jovis Hammonis cum arietinis cornibus simulacro facto, condidit, et arietem inter sidera figuravit. Eadem refert Germanicus ex Nigidio ad Arati arietem. Diodorus vero Siculus templum ejus ab Ægyptio Danao conditum scribit. Idem Hammonem Libyæ regem fuisse tradit, usumque in bello galea, cujus insigne fuit caput arietis, et quosdam affirmare natura in utroque tempore parvula habuisse cornua, ideoque filium ejus Dionysium pari fuisse adspectu: posterisque traditum, Deum hunc cornua gestasse. Exstantque hodie nummi, in quorum una parte caulis laserpitii impressus est, in altera corniger Hammon. Hinc Alexander Macedo, qui filius Hammonis existimari volebat, arietinis cornibus in capite depingi ac cudi voluit ad fidem generis: unde ab Arabibos *Zoulcarnaïn*, seu habens duo cornua vocatus est. Quod et cæteri Macedoniæ reges fecere, ut cornua gestarent in galea. — *Molossi Quercus anhela Jovis*. Innuit oraculum Jovis Dodonæi in Molossia Epiri provincia. Vide Thebaid. III, 475. Elegantissime autem *anhelam* dixit per similitudinem vatum, qui Deo pleni et anhelantes responsa dabant. Virg. Æneid. VI, 48 et seq. « sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument. »

202. *Trojanaque Thymbra tacebit*. Innuit oraculum Apollinis Thymbræi prope Trojam. Vide Thebaid. I, 698. Cæterum Guyetus hos sex versus præcedentes suspectos habet. Quare τὸ *Delphis* cum *ipsi amnes* ei annectendum videtur.

203. *Ipsi amnes, ipsæque volent arescere laurus*. Id est, fluvii Apollini sacri, quorum haustus faciunt poetas et vates. — *Laurus*. Quia Apollini sacræ sunt.

204. *Ipse nihil certum sagis clang. æther*. Reg. B, *sacris* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Ipse nihil certum*, etc. Mortuo scilicet Amphiarao interprete. — *Sagis*. Divinis: unde *præsagia* divinationes, ut Virgil. Æneid. X, 483: « præsaga mali mens. » Lactant.

205. *Et nulla ferientur ab alite nubes*. Dan. Petav. Lindeobrog. et Cru. *feriuntur*.

Jamque erit ille dies, quo te quoque conscia fati
Templa colant, reddatque tuus responsa sacerdos. »
Talia fatidico peragunt sollemnia regi,
Ceu flammas, ac dona rogo, tristesque rependant
Exsequias, mollique animam tellure reponant.
Fracta dehinc cunctis, aversaque pectora bello.
Sic fortes Minyas subito quum funere Tiphys

206. *Jamque erit ille dies, q. t. q. conscia fati*. Reg. B, *fatis* exhibet; Reg. Cuost. lect. Eu. — *Jamque erit ille dies, quo te quoque conscia fati Templa colant*, etc. Relatus enim fuit Amphiaraus inter Divos, eique templum erectum, eo loco quo absorptus fuit, qui ob id Harma, hoc est, currus, vocatus fuit. Cæterum oracula reddebat Amphiaraus per somnia: vaticinans enim immittebat somnia petentibus. Vide Philostratum in vita Apollonii lib. II, et Pausaniam in Atticis et Corinthiacis, ubi referunt ritus qui observari debebant, antequam somnia immitterentur. Vide et Plutarchum in opusculo de oraculis deficientibus, et Ciceron. de Divinatione lib. I, cap. 50, ubi hæc scribit: « Amphiaraum sic honoravit fama Græciæ, Deus ut haberetur, atque ab eo ejus solo, in quo est humatus, oracula peterentur. »

207. *Templa colant, reddatque tuus. Templa colent, reddetque* Dan. Petav. Aldd. Colin. nonnulli Lindenbrog. et Cruc. *Templa colant, reddatque* Lang. Buslid. Lipsian. Behott. 1, 2, Rom. et edd. recentt. — Reg. B, *reddantque* habet. Eo.

209. *Ceu flammas, ae dona rogo, tristesque rependant*. « In duobus libris male scriptum est, *reprendant*. » Barth.

210. *Mollique animam tellure reponant*. Veteres mortuorum cineres ac ossa terra tegebant, animamque eodem sepulcro una cum corpore condi credebant: unde nata fausta, et sollemnis bene precandi defunctis, quibus bene volebant, formula: « *Sit tibi terra levis*, tumulisque inscripta. S. T. T. L. et precabantur tenuem, et sine pondere terram, levem cespitem, aut cippum, et ut molliter ossa cubarent; putantes animam quæ eodem sepulcro cum corpore continebatur, sic facilius ultro citroque redituram ad sepulcrum in parentalibus. Quibus vero male volebant, terram gravem et tumulum onerosum imprecabantur, quo anima depressa tarde aut ægre devolaret.

212. *Minyas*. Argonautas. Vide Theb. V, 337 et ibi not. — *Subito quum funere Tiphys Destituit*. Valerius Flaccus testatur Argon. lib. V, Tiphyn clavum tenentem manu subito mortuum fuisse, dum Mariandynum in Bithynia, Acherusio antro celebrem, appelleret, ibidemque sepultus est. Non constat tamen, an id antequam Colchos pervenirent Argonautæ, an in reditu, quia Nymphis et Herodorus variant, ut docet Scholiastes Apollonii lib. II.

Destituit, non arma sequi, non ferre videtur
Remus aquas, ipsique minus jam ducere venti.
Jam fessis gemitu paullatim corda levabat
Exhaustus sermone dolor; noxque addita curas
Obruit, et facilis lacrimis irrepere somnus.
At non Sidoniam diversa in parte per urbem
Nox eadem : vario producunt sidera ludo
Ante domos, intraque; ipsæque ad mœnia marcent
Excubiæ : gemina æra sonant, Idæaque terga,

213. *Arma*. An nautica, vela, rudentes.

215. *Jam fessis gemitu paullatim corda levabat*. Put. *et corda levabat*. — Reg. B, *jam fessi gemitu paullatim* et *corda levavit* habet; Reg. C nostram lectionem. — *Levabat*. Per sermonis enim varietatem et luctus levatur, et labor decrescit. Virgilius, Æneid. VIII, 309 : « varioque viam sermone levabat. »

216. ***Exhaustus sermone dolor, noxque addita curas***. Reg. B, *nox addita curas* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Exhaustus sermone dolor*. Noster lib. V, 82 et seq. « sub nocte dieque Assiduis ægræ lacrimis solantia miscent Colloquia. » — Decrescit enim et exhauritur vocibus et apertis planctibus. Horat. lib. I, Epist. 1, v. 34 et seq. « Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem Possis et magnam morbi deponere partem. » Barth.

217. *Et facilis lacrimis irrepere somnus*. Seneca Octav. act. I, 117 : « Et fessa fletu lumina oppressit sopor. » Quintilianus in Declamationibus : « Gravior est quies quibus, ex lassitudine calamitatum, venit. » Longus Sophista : Ἐκ τῶν δακρύων καὶ τῆς λύπης ὕπνος βαθὺς καταλαμβάνει. « Ex lacrimis et mœrore profundus somnus venit. »

218. *Sidoniam urbem*. Thebas. — *Diversa*. Hostili. Lucan. Phars. III, 654 : « Diversæ rostris juvencm affixere carinæ; » id est, contrariæ. Lact. — Ad quem locum Pet. Burmanni not. vid. edit. in-4°, 1740, pag. 218. Ed.

219. *Vario producunt sidera ludo Ante domos*. Valer. Flacc. Argonaut. I, 251 : « Dulcibus alloquiis ludoque educite noctem. » Ad quem locum Papinii versum citat Burmannus. Avienus, in Descriptione orbis terræ, v. 253 : « Producit noctem ludus sacer. » Ubi vid. Schraderum, Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. V, pag. 247. Ed.

220. *Mœnia*. Pro muris posuit, ut Virgil. Æneid. III, 255 : « Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem. » — *Marcent*. Ebrietate, aut somno. Lactant.

221. *Gemina æra*. Cymbala. — *Idæaque terga*. Tympana, quorum etiam usus in sacris Cybeles; unde *Idæa*, quia hæc Dea maxime colebatur in Phrygia, cujus mons Ida. Vel Cretensia, ab Ida, Cretæ monte. Vid. Virg. Æn. IX, 617 sqq. Ed.

Et moderata sonum vario spiramine buxus.
Tunc dulces Superos, atque omne ex ordine alumnum
Numen, ubique sacri resonant Pæanes, ubique
Serta, coronatumque merum: nunc funera rident
Auguris ignari, contraque in pectore certant

222. *Vario spiramine.* Ob varia tibiæ foramina. Virgilius Æneid. IX, 618: « adsuetis biforem dat tibia cantum. »

223. *Atque ex ordine alumnum.* « Unum hoc verbum, *exordine*, uno tenore scriptum reperio in omnibus nostris libris. Pariter etiam in optimis et antiquissimis Virgilii membranis. » Barth. *omnem ex ordine* in quibusdam libris, improbante Nic. Heinsio ad Ovid. Met. p. 92. — Reg. B, *atque omni exordine alumnum* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Alumnum Numen.* Bacchum et Herculem, quorum Thebæ patria. *Alumnum* vero *numen*, sicut Horatio « Deus alumnus, » Arte Poet. 239 et Avienus Descript. Orbis: « Dant hi quoque maxima templa Amphitryoniadæ, numenque verentur alumnum. » De hac voce vide notata ad Theb. VI, 15; tom. præcedent. pag. 581. Ed.

224. *Pæanes.* Hymni in Deorum honorem compositi. — *Pæanes.* Pro laudibus posuit; nam *pæanes* versus sunt in Homero Apollini dicti, propter exstinctum Pythonem. Omnis laus Græce *pæan* dicitur, ab admiratione: ἐπαινεῖν etenim *laudare* Græce dicitur. Virgil. Æneid. VI, 657: « lætumque choro Pæana canentes » Lactant.

225. *Serta.* Vide Theb. II, 76. — *Coronatumque merum.* Notat morem Veterum, quo soliti erant poculis coronas imponere. Virgilius Æn. I, 724: « Crateras magnos statuunt, et vina coronant. » Et Æneid. III, 525: « Tum pater Anchises magnum cratera corona Induit. » Ad quem morem respexit et Tibullus lib. II, Eleg. 5, 98: « coronatus stabit et ante calix. Plectebant autem ex hedera vel apio coronas, ad significandam hanc, quæ conviviis inesse debet, hilaritatem ac jucunditatem.

226. *Contraque in pectore certant.* Exc. Cantab. in *pectore*, et supra *tempore*. — *Contraque in pectore (tempore) certant.* Quid hic certare, ait Gronovius, *in tempore?* tres habeo sub oculis scriptos codices, in quibus est *in pectore*, non *tempore*. Ex quibus optimus supra scriptum habet *divinatione*. Alter: *ratione scientiæ in pectore infixæ.* Eamdem lectionem reperi in Britannicarum membranarum unius contextu, duarum oris, eamque unam, quam elegans est, tam veram esse statuo. Scilicet hanc sedem faciunt poetæ numinis vim divinaudi subjicientis. Apud nostrum ipse Tiresias lib. IV, 541 et seq. « priusquam Obruit ora Deus, totamque in pectora lucem Detulit. » Virgil. Æneid. VI, 48 et seq. « sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument. » Ovidius Met. II, 641: « Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat. » Valerius Flaccus Argonaut. IV, 445: « mea quod

Tiresiam laudare suum : nunc facta revolvunt
Majorum, veteresque canunt ab origine Thebas.
Hi mare Sidonium, manibusque attrita Tonantis
Cornua, et ingenti sulcatum Nerea tauro :
Hi Cadmum, lassamque bovem, fœtosque cruenti
Martis agros : alii Tyriam reptantia saxa
Ad chelyn, et duras animantem Amphiona cautes :
Hi gravidam Semelen : illi Cythereia laudant
Connubia, et multa deductam lampade fratrum
Harmoniem : nullisque deest sua fabula mensis.

vates insedit Apollo Pectora. » Gronov. Mihi vero vulgata *in tempore* verior videtur, et supplendum *est* : *hoc*, « in hoc tempore, » seu illa occasione, ut interpretatur Guyetus.

227. *Nunc facta revolvunt*. Lang. Behott. 1, 2, plerique et Cruc. *nunc fata;* Buslid. Gevart. Amst. Gron. Barth. et Delph. *nunc facta*.

228. *Veteres*. Antiquitate cum quavis alia civitate certaturas.

229. *Hi mare Sidonium*, etc. Tangit fabulam raptæ Europæ a Jove, in taurum converso, quem cornibus tenebat, et usque in Cretam vectæ.

230. *Et ingenti sulcatum Nerea tauro*. In quibusdam codd. Lindenbrogii : *et immiti*. — *Nerea*. Mare a Nereo Deo marino.

231. *Hi Cadmum, l. b. fœtosque cruenti*. Reg. B, *flectosque cruenti* habet; Reg. C nostram lectionem. Edit. — *Cadmum*. Conditorem Thebarum. — *Lassamque bovem*. Oraculi enim jussu, Cadmus secutus est bovem eo usque consisteret, ibique Thebas condidit, et regionem a bove Bœotiam nominavit. — *Fœtosque cruenti Martis agros*. Hoc dicit propter eos qui e satis draconis dentibus nati sunt.

232. *Tyriam*. Thebanam. — *Reptantia saxa*, etc. Innuit fabulam murorum Thebanorum, ad lyræ Amphionis cantum constructorum.

233. *Ad chelyn, et duras animantem Amphiona cautes*, etc. *Ad chelyn et duras cantantem* Behot. 1, at suprascriptum *animantem ; Ad chelyn, et subitas* Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Proserp. III, 386.

234. *Hi gravidam Semelen*, etc. Reg. B, *Hic gravid. Sem.* habet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Gravidam Semelen*. A Jove. — *Cythereia laudant Connubia*. Respexit ad conjugium Cadmi et Hermiones filiæ Veneris, quæ Cytherea dicitur a Cythera insula, ad quam vecta concha appulit.

235. *Et multa lampade*. Facibus enim deducebantur novæ nuptæ domum maritorum. — *Fratrum*. Suorum nempe, id est, Amorum seu Cupidinum, qui dicuntur filii Veneris.

236. *Harmoniem : nullisque deest sua fabula mensis*. *Harmonien* Dan. Put. Petav. *Hermionam* Behot. 1, *Hermionen* Behot. 2, *nullis deest* Petrens. et Behot. 1, *nullisque deest*

Ceu modo gemmiferum thyrso populatus Hydaspen,
Eoasque domos, nigri vexilla triumphi
Liber, et ignotos populis ostenderet Indos.
Tum primum ad cœtus, sociæque ad fœdera mensæ,
Semper inadspectum, diraque in sede latentem,
OEdipoden exisse ferunt, vultuque sereno
Canitiem nigram squalore, et sordida fusis
Ora comis laxasse manu, sociûmque benignos
Affatus, et abacta prius solatia passum:

Dan. et Behot. 2, *nullis jam deest* Pnt. Petav. Cautab. Lang. plerique Lindenbrog. et Cruc. Vide Gronov. ad Theb. II, 551 et tom. præced. pag. 228; *nullis quin deest* pro v. l. in uno Behot. *nullis deerat* codex Burmanni, cum glossa *deficiebat*.

237. *Thyrso*. Thyrsus insigne Bacchi et Bacchantium. — *Hydaspen*. Hydaspes fluvius Indiæ influens in Indum. Optima autem in ejus alveo gemmarum ac lapidum genera reperiuntur, velnti Lychnites, Adamas, Beryllus, Achates, et alii innumerabiles; unde *gemmifer*.

238. *Nigri vexilla triumphi*. Indi enim debellati a Baccho, et in triumphum ducti: ideo dicit *nigri triumphi* ob Indos, qui nigriore sunt vultus colore. — Victoria et triumpho Bacchi Indico nihil apud poetas celebratius. Meminit Ovidius, Met. IV, 20; Fast. III, 465; Avienus, Descr. Orbis Terræ, v. 1383: « Ducit laurigeros post Indica bella triumphos.» Sed nemo luculentius, inquit Wernsdorfius ad hunc Avieni locum, et copiosius triumphum Bacchi descripsit, quam Sidonius Apoll. Carm. XXII, quod Burgus Pontii Leontii inscribitur. Ed.

239. *Et ignotos populis ostenderet Indos*. Dan. Put. et Pet. *ostenderit*.

240. *Tum primum ad cœtus*. Reg. B, *tunc primum*, etc. habet; Reg. C nost. lection. Ed. — *Sociæque ad fœdera mensæ*. Quia simul unaque epulabantur, et mensæ credebantur sacræ. Arnobius lib. II: « Sacras facitis mensas salinorum apposita, et simulacris Deorum. »

241. *Semper inadspectum*, etc. *Semper in aspectum* Aldd. Colin. et Basil. — *Semper in aspectum*. Veteris membranæ hæc scriptura est, et sine dubio Papinii Mens: OEdipum qui hactenus latuerat, et a nemine visus fuerat, in publicum prodiisse. Vulg. *semper in aspectum*. Bern. — *Semper inadspectum*, etc. Vide Theb. I, 46, et seq.

242. *OEdipoden exisse ferunt*, etc. Lindenbrog. *exisse ferum*.

243. *Fusis comis*. Facie undique crinibus obducta, propter tot annorum squalorem.

244. *Laxasse manu*. Submovisse tetros capillos, ut cerneretur ejus facies.

245. *Et abacta prius solatia*. Propulsata a se et interdicta sibi: Hor. Sat. II, 45, « necdum omnis abacta Pauperies epulis Regum. »

Quin hausisse dapes, insiccatumque cruorem
Dejecisse genis: cunctos auditque, refertque,
Qui Ditem, et Furias tantum, et si quando regentem
Antigonen, mœstis solitus pulsare querelis.
Causa latet: non hunc Tyrii fors prospera belli;
Tantum bella juvant: natum hortaturque, probatque,
Nec vicisse velit; sed primos cominus enses
Et scelerum tacito rimatur semina voto.
Inde epulæ dulces, ignotaque gaudia vultu.
Qualis post longæ Phineus jejunia pœnæ,

246. *Quin hausisse dapes*, etc. Hic versus et 24 sequentes Guyeto supposititii et adulterini videntur. Dixit enim « Tunc primum ad cœtus, etc. »

247. *Auditque, refertque.* Audit et alloquitur vicissim quemlibet. Mirus usus verbi *referre* pro responso dignari.

248. *Qui Ditem, et Furias.* Vide Theb. I, 56, et seq. — *Regentem.* Unde vocatur Antigone *regimen* patris, initio Thebaidis apud Senecam. Sic et apud Sophoclem in Œdipo Coloneo.

249. *Mœstis solitus pulsare querelis.* Reg. B, *solitis* cum litera *u* supra *is* scripta præbet; Reg. C nost. lection. Eo.

250. *Non hunc Tyrii fors prospera belli.* Multi codd. et edd. vett. *sors prospera.* — *Causa latet.* Latet causa lætitiæ, quia vult Poeta crudele esse quod gaudet: quare sit ergo commutatus ad gaudium Œdipus, ignorant Thebani. Erat autem illi causa lætitiæ, quod dimicat adversa inter se ferro germanitas. Lactant.

251. *Tantum bella juvant. Quantum bella juvant* Dan. Petav. Lindenbrog. plerique et Gevart. *Tantum bella juvant* Behot. 1, et Petreus. ut edidere Gronov. Barth. Veen. et Delph.

252. *Nec vicisse velit.* Ut quem potius una cum fratre perire velit. — *Sed primos cominus enses, etc.* Sperat eo rem adduci posse, ut fratres contra se invicem dimicent: inde materia lætitiæ Œdipo: nihil enim nisi atrox velle poterat.

253. *Et scelerum tacito rimatur semina voto.* Reg. B, *Et sceleris tacito rimatur pectora voto* exhibet; Reg. C nostram lectionem. Eo. — *Semina voto.* Id est, tacito voto, auribus menteque captabat hostium motus ex lætitia provenisse. Lact.

255. *Phineus.* Phineus rex Thraciæ, vel Arcadiæ, vel, ut alii volunt, Paphlagoniæ, quum filios excæcasset, vel, ut ipse ait apud Valerium Flaccum, Argonaut. IV, quum hominibus Deorum secreta prodidisset, a Diis in pœnam ipse oculis privatus fuit, immissæque Harpyiæ, quæ ejus cibos turpissime fœdarent: unde cibum sumere impediebatur: hinc dicit « post longæ jejunia pœnæ. » Tandem fugatæ fuerunt Harpyiæ a Calai et Zethe

Nil stridere domi volucres ut sensit abactas,
Necdum tota fides, hilaris, mensasque, torosque,
Nec turbata feris tractavit pocula pennis.
Cætera Graiorum curis armisque jacebat
Fessa cohors: alto castrorum ex aggere Adrastus
Lætificos tenui captabat corde tumultus,
Quanquam æger senio: sed agit miseranda potestas
Invigilare malis: illum æreus undique clamor
Thebanique urunt sonitus, et amara lacessit
Tibia, tum nimio voces marcore superbæ,
Incertæque faces, et jam male pervigil ignis.
Sic ubi per fluctus uno ratis obruta somno

filiis Boreæ, et abactæ in Strophadas insulas.

256. *Nil stridere domi volucres ut sensit abactas.* Lipsian. *volucresque ut sensit;* Behot. 1, *volucresque et sensit;* Behot. 2, *volucres* et *sensit.* — *Volucres.* Harpyias. Quæ monstra virgineo erant vultu, manusque uncas ac alas habebant: unde vocat *volucres.*

257. *Necdum tota fides.* Metuebat enim ex longa consuetudine reditnras. Vet. Schol. Pulchre de eodem Valerius Flaccus Argonant. IV, 531 et seq. «Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni Lætus, ad oblitæ Cereris suspirat honorem.» Somniare enim sibi, non rem certam videre, videbatur.

258. *Tractavit pocula pennis.* Codd. Lindenbrogii *pinnis.* — Reg. B hanc lectionem habet, Reg. C nostram. Eo.

259. *Graiorum.* Descriptis Thebanis rebus, redit ad eas in castris, a lætis ad tristes et miseras. Ubi laudat vigilantiam Adrasti. — *Curis armisque.* Propter pugnam præteritæ diei et horribile portentum. Vet. Schol.

260. *Alto castrorum ex aggere Adrastus.* Captabat sonitum ex urbe, ut conjectura mentem hostium assequeretur, ne incauto nocerent.

261. *Lætificos tumultus.* Scilicet quos Thebani edebant.

262. *Miseranda potestas.* Quo quis enim majori dignitate præditus est, eo pluribus curis agitatur.

263. *Illum æreus undique clamor.* Reg. B, *ille æreus undique clamor* habet; Reg. C nostram lectionem. Eo. — *Illum æreus,* etc. Ex superioribus repetita. — *Illum.* Adrastum.

264. *Thebanique urunt sonitus. Thebanique ruunt* Put.

266. *Male pervigil ignis.* Id est, non pervigilans, quia contemtu Argivorum Thebani vigilias non curabant.

267. *Sic ubi per fluctus uno ratis obruta somno.* Nonnulli codd. *imo ratis.* Vide Dan. Heinsium ad Claudian. in Eutrop. II, 285. Pro *obruta* Put. habet *obvia.*

Conticuit, tantique maris secura juventus
Mandavere animas; solus stat puppe magister
Pervigil, inscriptaque Deus qui navigat alno.
Tempus erat, junctos quum jam soror ignea Phœbi
Sentit equos, penitusque cavam sub luce parata
Oceani mugire domum, seseque vagantem
Colligit, et moto leviter fugat astra flagello.
Concilium rex triste vocat: quæruntque gementes,
Quis tripodas successor agat: quo prodita laurus

268. *Tantique maris secura juventus.* « In optimis membranis aperte scriptum est: *tacitique maris;* quod non ausim damnare, licet eadem vox præcedenti insit. » Barth.

269. *Mandavere. Mandare* hic nota significatione est, committere. Eleganter itaque mandare animas dicuntur navigantes, quum dormiant, siquidem committunt vitam nauclero vigilanti. — *Cruceus.* Forsan subintelligitur, quieti. Lucret. De Rerum Nat. IV, 846: « et fessum corpus mandare quieti. »

270. *Pervigil, inscriptaque Deus qui,* etc. Reg. B, *Pervigil, scriptaque Deus qui,* etc. habet; Reg. C nost. lectionem. Ed. — *Inscriptaque Deus qui navigat alno.* Intelligit Deos navibus inscriptos in quorum tutela erant, præsertim Dioscuros. Sic navis in qua erat Paulus Apostolus habebat παράσημον Dioscuros.

271. *Tempus erat*, etc. Descriptio orientis solis. — *Soror ignea Phœbi*, Luna.

272. *Sentit equos, penitusque cavam sub luce parata.* Lipsian. et Venett. *cava sub luce paratam.* — Reg. B, *sensit equos*, etc. habet; Reg. C nost. lection. Ed. — *Sentit equos.* Poetice dictum: hic Lunam pro nocte posuit. Cæterum non est ut Luna Solis inveniatur semper adventu. Lact. — *Penitusque cavam.* Sic optimus aliique libri etiam nostri. Nec assentimur mutantibus. *Oceani domus*, ut domus cæli, Olympi, et aliorum Deorum, in Marone cæterisque poetis. *Cavam* dicit ob devexitatem et convexitatem spatiumque hinc inde sphæricam figuram faciens. — *Lux parata*, jam processui imminens cum suis equis Sol, quem quum venire orientem sentit, lumen suum colligit Luna. Barth.

273. *Oceani mugire domum.* Ob strepitum, quem sol oriens edere existimabatur, emergendo ex Oceano, ut putabant Veteres.

274. *Colligit, et moto leviter fugat*, etc. Reg. B, *Colligit et leviter moto*, etc. exhibet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Flagello.* Quum poetæ dent currum Lunæ, dant etiam ipsi flagellum, quo equos acceleret.

275. *Triste.* Ob infelicem successum pugnæ, et amissum Amphiaraum.

276. *Quis tripodas successor agat: quo prodita laurus*, etc. Behot. 1,

Transeat, atque orbum vittæ decus. Haud mora, cuncti
Insignem fama, sanctoque Melampode cretum
Thiodamanta volunt; quicum ipse arcana Deorum
Partiri, et visas uni sociare solebat
Amphiaraus aves, tantæque haud invidus artis
Gaudebat dici similem, juxtaque secundum.
Illum ingens confundit honos, inopinaque turbat
Gloria, et oblatas frondes submissus adorat,
Seque oneri negat esse parem, cogique meretur.
  Sicut Achæmenius solium gentesque paternas

successus, et æquæva manu pro v. l. *successor*. Put. *prodigia laurus*; unus Behot. *tradita laurus*, et pro v. l. *prodita*. — Reg. B, *Q. t. s. a.* quo *prodigia laurus* præbet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Tripodas*. Vide Theb. I, 509. — *Laurus*. Insigne sacerdotii Phœbi, una cum infula.

277. *Transeat, atque orbum vittæ decus*. Lang. Laur. Buslid. Lips. et editiones veteres: *vitæ decus*. — *Orbum*. Mortuo Amphiarao.

278. *Sanctoque Melampode cretum*. *Melampade* in uno Behot. — *Sanctoque Melampode cretum*. De Melampode vide Theb. III, 453, et in hunc versum Excurs. tom. præced. pag. 321 et 357. Ed.

279. *Thiodamanta volunt; quicum ipse arcana Deorum*, etc. *Thiodemanta* in eodem Behot. codice, *quo cum ipse secreta* Behot. 2, *cum qua ipse arcana* Dan.

280. *Sociare*. Socium eum curarum dignari. Vet. Schol. —*Sociare*. Impertiri: novo usu. Valer. Flacc. Argonaut. V, 281 et seq. « At Juno, et summi virgo Jovis, intimo secum Consilia et varias sociabant pectore curas. » Vid. not. nost. edit. tom. I, pag. 349. Ed.

283. *Confundit honos*. Quia victus est verecundatur, id est, judicii ipsius gratia gravatur. Recte ergo, quod verecunde excusabat, dignus erat quod cogeretur. Lact.

284. *Oblatas frondes*. Lauros.

285. *Cogique meretur*. Eodem modo Cicero Philip. V: « Tantum ab ambitu sepositus sit (Magistratus), ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto indignus is est publica dignitate, nisi fuerit ordinatus invitus. » Lampridius in Alexandro Severo: « Invitos, non ambientes in republica collocandos esse referebat. »

286. *Sicut Achæmenius solium*, etc. *Achimenius* in uno Behot. *Achemeniis* Dan. Putean. Petav.—*Achæmenius*. Id est, Persarum rex, quia Persiæ reges originem trahebant ab antiquissimo rege Achæmene, ut videre est apud Herodotum. Vide Theb. I, 718; et ibi not. tom. præced. pag. 120.—*Sicut Achæmenius*. Achæmene Parthorum seu Medorum civitas est. Lucan. Phars. VIII, 224: « passus Achæmeniis late decurrere campis; » Propert. lib. II,

Excepit si forte puer, cui vivere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An fidi proceres, ne pugnet vulgus habenis;
Cui latus Euphratæ, cui Caspia limina mandet.
Sumere tunc arcus, ipsumque onerare veretur

Eleg. 13, 1: « Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis. » Ubi videnda sunt not. nost. edit. p. 184, Cf. etiam Ovid. Art. Amat. I, 226.

288. *Gaudia.* Tandem custode remoto; quia liberatus jam erat patris imperio.

289. *An fidi proceres, ne pugnet*, etc. *An fidi proceres, an pugnet* Dan. Putean. Lang. Aldd. Lindenbrog. plerique et Grasser. *ne pugnet* Behott. 1, 2, Amstel. Gronov. Barth. et Delph.

290. *Euphratæ.* Euphrates Mesopotamiæ fluvius, cujus fontes Strabo, collocat in Niphate Armeniæ monte, magnus, profundus, et citissimus, evolvitur in sinum Persicum, prius tamen Babyloniam per medium scindit, et Tigri conjunctus Mesopotamiam facit. Ptolemæus vero docet, ipsum dividi in eum alveum, qui per Babyloniam labitur, et eum qui per Seleuciam, quorum medius vocatur *βασίλειος ποταμὸς*, Polybio *ἡ βασιλικὴ διώρυξ*, Arabibus *Almelec*, seu regius, Chaldæis *neharmalca*, id est, fluvius regius: sic dictus, ut ait Ammianus Marcellinus, quia regia cura effossus fuit. — *Caspia limina*, Caspiæ portæ aliæ sunt a portis Caucasiis seu Ibericis; hæ enim sunt in Albaniæ confinio, ingens naturæ opus, montibus repente interruptis, ubi fores obditæ ferratis trabibus, subter medias amne Dynodori fluente, auctore Plinio Hist. Nat VI, cap, 11, et Strabone lib. XI: Caspiæ vero sunt ad Mare Caspium Caspiis gentibus junctæ, interruptis angusto transitu jugis, ita ut vix singula meent plaustra, longitudine octo millium passuum, toto opere manu facto, ut refert Plinius Hist. Nat. VI, cap. 14. Opus hoc autem dicitur Alexandri magni. Nam quum transitus foret per has fauces, angustiasve in Mediam et Persidem, scribit Gregorius Abulfaragius, Alexandrum, ut præcluderet iter Scythis, ne effunderentur in Asiam, mandasse construi aggerem, dictum aggerem Jajugi, cubitos duodecim longum, octo latum: Persarumque reges ei exstruendo animum applicuisse, et non perfecisse, nisi tempore Cosroæ Nuchiranvani, qui ipsum firmiter exstructum fastigiis adjunxit, deinde in mare per milliaris spatium produxit, portisque ferreis clausit, post annum et amplius ejus ædificationi impensum; adeo ut a centum hominibus custodiretur, quum antea ne centies mille virorum exercitus illi custodiendo sufficerent: permisitque præfecto ibi constituto, solio aureo insidere, unde partium istarum dux solii rex appellatur. Nunc vocantur Turcice *Demir capi*, id est, ferreæ portæ. Apud nos servavit nomen. Vide et Procopium lib. I.

291. *Sumere tunc arcus, ipsumque onerare veretur. Sumere tunc*

Patris equum, visusque sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.
Atque is ubi intorto signavit vellere crinem,
Convenitque Deis, hilari per castra tumultu
Vadit ovans : ac, prima sui documenta, sacerdos
Tellurem placare parat : nec futile mœstis
Id visum Danais : geminas ergo ilicet aras

artus edd. vett. Bernartius ex codd. correxit, *onerare videtur* Put. — *Sumere tunc arcus.* Respexit ad mores Persarum, apud quos arcus erat insigne regium. Dio lib. XLIX, de Phraate Persarum rege, ad quem Antonius legatos miserat : « Aurea sella sedens, » *καὶ τὴν νευρὰν τοῦ τόξου ψάλλων, ac nervum arcus pulsans.* Unde poetæ, quum de Xerxe ac regibus Persarum loquuntur, eos vocant « Pharetratos reges. — *Sumere tunc arcus*, etc. Claudian. VIII, de IV Cons. Honorii v. 520 : « jam patrias imples galeas ; jam cornus avita tentatur vibranda tibi. » Confer eumdem XXXVI, 218 et seq. Ed. — *Ipsumque onerare veretur Patris equum.* Id etiam videtur fuisse ex consuetudine orientali, ut successor insideret defuncti equo, ac se populis præberet videndum. Legimus enim Salomonem vectum paterna mula, quum declaratus est rex Israelis, et hujusce rei exempla quædam videntur in historia Arabum Elmacini.

292. *Visusque sibi nec*, etc. Reg. B, *visusque tibi* cum litera *s* suprascripta habet ; Reg. C nost. lect. Ed.

293. *Implere tiaram.* Id est, habere caput satis firmum sustinendis regni curis ac oneribus. — *Tiaram.* Tiara, ornamentum capitis Persicarum primum mulierum, quod postea sumserunt reges et sacerdotes. — *Tiara* dicitur pileum, quod in capite gerit sacerdos Martis. Unde Virg. Æn. VII, 247 : « sacerque tiaras. » Lact. — Ad quem loc. not. videnda sunt ; nost. Virg. tom. III, 282. Ed.

294. *Intorto signavit vellere crinem.* Hinc infulis tortis fuisse usos sacerdotes discimus.

295. *Convenitque Deis.* Placuit, sive, dignus hoc munere judicatus a numinibus fuit.

296. *Ac, prima...* Unus Beh. *tunc* pro *ac.* — *Prima doc.* Prudentiam suam ostendit placata primo sacrificio Tellure, quæ irata videbatur, quia Amphiaraum absorbuerat.

297. *Tellurem placare parat.* Ut quæ eis irata videbatur, absorpto Amphiarao. — *Futile mœstis. Futile* vas est quoddam lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Deæ Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ in terra non ponitur, quod si fiat, piaculum est ; ideo excogitatum est vas quod stare non posset, sed si positum statim funderetur : unde et homo commissa non retinens, *futilis* dicitur, contra *non futilis* bonus consiliis. Lact.

298. *Geminas ergo ilicet aras.* Ut duplici cultu terra gauderet. Vel propter viventes tunc et antea mortuos iteratur cultus terræ.

Arboribus vivis, et adulto cespite texi
Imperat, innumerosque Deæ sua munera flores,
Et cumulos frugum, et quidquid novat integer annus
Addit, et intacto spargens altaria lacte
Incipit : « O hominum Divumque æterna creatrix,
Quæ fluvios, silvasque, animarum et semina mundi
Cuncta, Prometheasque manus, Pyrrhæaque saxa
Gignis; et impastis quæ prima alimenta dedisti,
Mutastique vices; quæ pontum ambisque, vehisque,

299. *Arb. v. et ad. cespite texi.* Put. *cespite texti.* — *Arboribus vivis.* An semper virentibns, ut cnpresso, aut lauro : ant certe viridibus, id est, nuper abscissis.

300. *Deæ.* Terræ. Terra enim sen Tellus Veteribus Dea credita : cætera etiam elementa culta.

301. *Et cumulos frugum, et quidquid novat integer annus. Et tumulos frugum* edd. vett. correxit Bernartins: *impiger annus* Put. — Reg. B, *Et tumulos frugum et quidquid novat impiger annus* habet; Reg. C nost. leet. En.

303. *Hominum Divumque æterna creatrix.* Homerus, Hymno in Terram, eam voeat matrem Deorum. Orpheus etiam in suis Hymnis eam vocat Deorum Hominumque matrem, ut etiam facit Apollonins Argon. lib. III. Confundebatnr enim cnm Rhea, quæ mater Deorum appellabatur.

304. *Animarum et semina mundi.* Dan. et Put. *animarum semina mundo;* Behot. 1, *animarum et semina mundi;* Behot. 2, *animas et semina mundi;* Petav. Lang. Busl. Lipsian. et edd. vett. *animasque et semina mundi.* — Reg. B, *animarum et semina mundo* habet; Reg. C nost. lect. En. — *Et semina mundi Cuncta.* Id est, ex qnibns res omnes gignuntnr.

305. *Prometheasque manus, Pyrrhæaque saxa. Prometheæque manus* Gronov. Obss. III, 7. — *Prometheasque manus.* Id est, homines a Prometheo fictos : Prometheus enim ex limo terræ hominem formasse dicitur. — *Pyrrhæaque saxa.* Fabulantur poetæ Pyrrbam jactu lapidum, bnmannm genus diluvio exstinctum reparasse. Vide Ovidium Met. I.

306. *Impastis quæ prima alimenta dedisti. Impastis.* Quum condita ex te essent omnia, peperisti porro etiam alimenta, sine quibus fame erant perituri. — *Prima alimenta dedisti.* Sine opera nimirum eorum. *Prima alimenta* snnt glandes et quidqnid quo, ante Cereris munera, homines victitarunt.

307. *Mutastique vices. Mutastique viros* Lang. Buslid. Dan. Pet. Behott. 1, 2, et edd. ante Gronov. *Mutastique cibos* optimæ Barthii membranæ, qnod ille probat. — Reg. B, *Multatisque viris* exhibet; Reg. C, *Mutastique viros* habet. En. — *Mutastique vices* (*viros*). An ut ex feris mitiores fierent, mitiori

Te penes et pecudum gens mitis, et ira ferarum,
Et volucrum requies, firmum atque immobile mundi
Robur inoccidui! te velox machina cæli
Aere pendentem vacuo, te currus uterque
Circumit: o rerum media, indivisaque magnis
Fratribus! ergo simul tot gentibus alma, tot altis
Urbibus, ac populis, subterque ac desuper una
Sufficis; astriferumque domos Atlanta supernas

cibo pasti? Membranæ omnium optimæ: *Impastis quæ prima alimenta dedisti, Mutastique vices.* Quod sincerum judico. Vices sunt alimentorum, quum glandibus et cæteris nullo cogente creatis, mitiores cibos manu culta substituit, et succedere jussit. Virgil. Georg. I, 7 et seq. « vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista. » Ovid. Fast. IV, 401 et seq. « homini ad meliora alimenta vocato, Mutavit glandes utiliore cibo. » GRONOV. Homines enim primi, nondum inventis a Cerere frumentis, glandibus cæterisque sponte nascentibus vescebantur. — *Quæ pontum ambisque, vehisque.* Terra enim ambit et fert Oceanum, utet ab Oceano cingitur, ferturque.

308. *Te penes et pecudum gens mitis, et ira ferarum. Pecudum.* Quæ circa homines mansuetæ vivunt. — *Ira ferarum.* Quæ omnia crudeliter et secundum iram agunt.

309. *Firmum atque immobile mundi Robur inoccidui.* Terra enim non movetur, nec occidit secundom communiorem opinionem, sed cælum.

310, 311. *Machina cæli Aere pendentem.* Ad Veterum opinionem qui terram ab aere vehi credebant. Lactantius: « Mundum opinantur æternum: terram aiunt pendere aere succinctam; unde Lucanus, Phars. I, 89; « dum terra fretum terramque levabit Aer. » Manilius, I, 202 et seq. « Est igitur tellus mediam sortita cavernam, Aeris et toto pariter suspensa profundo. » Macrobius Satur. I, cap. 21: « Quæ natura cæli est, cujus ambitu aer continetur qui vehit terram. » BEN. — *Te currus uterque.* Solis scilicet et Lunæ, quibus currum dant poetæ.

312. *Cicumit. Circuit* Petreus. et Exc. Cantab. Vide ad vers. 132. — *O rerum media.* Res pro universo, quod et rerum universitas. PETR. — *Indivisaque magnis Fratribus.* Juppiter, Neptunus, et Pluto orbem intér se partiti, terram indivisam reliquisse dicuntur.

313. *Tot gentibus alma.* Tellus enim Dea depingebatur cum multis mammis.

314. *Subterque.* Intelligit Antipodas. — *Desuper.* Nos, qui sumus in hac parte terræ, quæ superior nobis videtur, ut ea, in qua sunt Antipodes, inferior.

315. *Astriferumque domos Atlanta supernas.* « Vox *astriferum* in optimo libro sic scripta est, ut aliam prius fuisse delineatam appareat. An scripsit Papinius, *astri*

Ferre laborantem, nullo vehis ipsa labore,
Nos tantum portare negas? nos, Diva, gravaris?
Quod, precor, ignari luimus scelus? an quia plebes
Externa Inachiis huc adventamus ab oris?
Omne homini natale solum: nec te, optima, sævo
Tanquam humiles populos deceat distinguere fine,
Undique ubique tuos: maneas communis, et arma
Hinc atque inde feras: liceat, precor, ordine belli
Pugnaces efflare animas, et reddere cælo.

gerum, aut *astriregum?* id est Deorum, qui regunt astra. » Barth. — Reg. B, *astrigerum* exhibet; Reg. C, *astriferum*. Eo. — *Atlanta supernas Ferre laborantem*. Atlas cælum humeris portare dicitur.

317. *Nos, Diva, gravaris? Gravari*, moleste ferre. Idem Silv. III, 1, 69, Surrentino: « assuetaque tecta gravati. » Et Achilleid. II, 143 et seqq. « sed longa sagaci Nox Ithaco, lucemque cupit, somnosque gravatur. » Male vulgo, « somnoque, » et contra sensum. Apud Lucanum Phars. V, 258: « regnorum injusta gravari. » Et lib. VII, 284: « Dominos gravari. » Silio Punic. II, 598: « Abrumpere vitam, ... lucemque gravantur. »

319. *Externa Inachiis huc adventamus ab oris? Externi Inachiis huc adventamus ab arvis* codex Dan. Heinsii, quem vide ad Claudian. Rapt. Proserp. II, Præf. 9. — *Inachiis*. Argivis.

320. *Homini natale solum*. Omnibus est habitabilis terra, et generaus homines, uti vult opinio sapientum: quamvis imperiti putent rotunditatem in omni circuitu habitari non posse, sive quia omne solum sapienti patria est. Lact.

321. *Tanquam humiles populos deceat distinguere fine*. Aldd. Colin. et Basil. *distinguere finem*; correxit Bernartius ex codd. — *Tanquam humiles populos*. Non enim tam viles et abjecti sumus, ut tam sævo fine ab aliis distingui debeamus. Hoc dixit propter hiatum terræ, quo Amphiaraus absorptus est.

322. *Undique ubique tuos. Undique ubique tuis* Lang. Buslid. Lindenbrog. Gevart. plerique et Amst. *ubique tuos* Dan. Put. Behott. 1, 2, Petrens. Cantab. Barth. et Delph. — *Undique ubique tuis maneas*. Et meliores et plures *tuos*. Recte, neque obscure, dummodo *maneas* interpretere, sustineas, exspectes, donec ordine fatorum soluti in te redeamus, et magnæ matri lege naturæ misceamur. Quibus dehiscit ac discedit, eos, scilicet, non manet. In eodem usu verbi corruptum fuerat, quod supra restituimus: *manet ille ruentes*. Gronov. — *Maneas communis*. Id est, neutrius populi partes foveas.

323. *Ordine belli*. Id est, ferro et armis, non hiatu terræ.

324. *Et reddere cælo*. Unde descendunt. Theb. II, 63.

Ne rape tam subitis spirantia corpora bustis,
Ne propera : veniemus enim, quo limite cuncti,
Qua licet ire via : tantum exorata Pelasgis
Siste levem campum; celeres neu præcipe Parcas.
At tu care Deis, quem non manus ulla, nec enses
Sidonii, sed magna sinu Natura soluto,
Ceu te Cyrrhæo meritum tumularet hiatu,
Sic amplexa coit, hilaris des, oro, precatus
Nosse tuos, cæloque, et vera monentibus aris
Concilies, et quæ populis proferre parabas,

325. *Spirantia corpora bustis.* Id est, mortibus properatis. Vet. Schol. Improprie, nullum enim hic bustum. Et quod flagitatur hic pro eo ponit quod habeatur. Non ergo satis consideratum et istud. Petunt enim *busta*, quæ tali iniquitate perdere cogantur. Notum quantum cadaverum combustioni miseri tribuerint. Possis *rape*, eripe, subtrahe, interpretari. Sed refragatur τὸ *spirantia*. Barth.

326. *Veniemus enim.* Pariter Silv. II, 1, 218 et seq. « Ibimus omnes, Ibimus. »

327. *Qua licet ire via.* « In optimo librorum claris literis scriptum est : *Qua decet.* » Barth. — Reg B, *qua libet ire via* præbet; Reg. C nost. lect. Ed.

328. *Siste levem campum.* Firma, ne iterum discedat. — *Levem.* Nimis levem ad sic dehiscendum.

329. *Tu.* Amphiarae scilicet.

330. *Sidonii.* Thebani.

331. *Cyrrhæo hiatu.* Id est, Cyrrhæo antro. Non enim decebat Amphiaraum, tam celebrem vatem, in alio sepulcro humari, quam in Cyrrhæo antro, seu Delphico, ubi Apollinis oraculum erat. — *Ceu te Cyrrhæo.* Monte Parnaso, quia in Cyrrha parte montis ipsius, hiatus est terræ, ubi Delphica responsa dabantur; ut Lucanus Phars. V, 95 et seq. « Totius pars magna Jovis Cyrrhæa per antra exit, Et æthereo trahitur connexa Tonanti. » Lactant.

332. *Sic amplexa coit, hilaris des, oro, precatus.* Petav. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *hilares des;* Dan. Behott. 1, 2, et omnes fere codd. Gronovii *hilaris des.* « Aliter hæc exhibet vetustissimus liber, et solus, puto, veritatem hoc nobis loco servavit, scribendo : *hilaris Deus*, oro, etc. » Barth. — *Hilares des, oro, precatus.* Omnes MSS. fere : *hilaris.* Ut apud Plautum in Amphitr. Prolog. 2, Mercurius : « me lætum lucris Afficere. » Verissime; namque id interpretatus Guilelmius ex eo, quod *læti* Dii propitii, *tristes* irati et adversi dicantur. Gronov. — *Des, oro, precatus Nosse tuos.* Id est, doce nos modum te precandi : certæ enim erant precum formulæ.

333. *Nosse tuos. Nosce tuos* margo editionis Barthian. ex codice manuscripto.

Me doceas : tibi sacra feram præsaga, tuique
Numinis interpres, te Phœbo absente vocabo.
Ille mihi Delo Cyrrhaque potentior omni
Quo ruis, ille adytis melior locus. » Hæc ubi dicta,
Nigrantes terra pecudes, obscuraque mergit
Armenta, ac vivis cumulos undantis arenæ
Aggerat, et vati mortis simulacra rependit.
  Talia apud Graios, quum jam Mavortia contra
Cornua; jam sævos fragor æreus excitat enses.
Addit acerba sonum Theumesi e vertice crinem
Incutiens, acuitque tubas et sibila miscet

335. *Me doceas. Me moneas* nonnulli codd. Barthiani. — *Præsaga.* Quibus divinare possis, id est, sacrificio denuntiare.

336. *Phœbo absente.* Etiamsi non adsit Phœbus, tu sufficies mihi pro Deo. Vet. Schol. Fuerunt tamen, ait Barthius, certa tempora, quibus in Græcia non esse perhibebatur Apollo.

337. *Delo Cyrrhaque.* Delos et Cyrrha, loca Apollinis oraculo notissima, ut jam sæpius diximus.

338. *Quo ruis.* Hoc enim loco templum Amphiarao erectum est, ut supra diximus. — *Ille adytis melior.* Ille locus responsis dandis est dignus, ubi hiatu terræ submersus est Amphiaraus. LACTANT.

339. *Nigrantes terra pecudes. Nigrantes terræ* unus Behot. — *Nigrantes terra pecudes, obscuraque mergit Armenta*, etc. Victimæ nigri velleris offerebantur Diis Inferis, ex quorum numero Tellus erat, et vivæ infodiebantur terræ, ut hic refert Poeta.

341. *Mortis simulacra.* Imaginarium funus. Virgilius, Æneid. VI, 505: « Tunc egomet tumulum Rhetæo in litore inanem Constitui. » Vocabatur et Cenotaphium, quo repræsentabantur busta, et tumuli, ubi ipsa cadavera non erant. — Nomen *Cénotaphe* servarunt Galli.

342. *Contra.* Ex contraria parte, nimirum apud Thebanos, hostes.

343. *C. jam sævos fragor æreus excitat enses.* In eodem Behot. codice : *fragor æneus.* Sed vide Marklandum ad Silv. I, 1, 51, et Bentl. ad Hor. II, Sat. 3, 183. In nonnullis codd. Barth. *incitat enses*, cum glossa; *exacuit, promovet.* — *Cornua.* Supple, sonant. — *Fragor æreus.* Sonitus tubarum ærearum. — *Fragor æreus.* Armorum concrepantium, telorum. Supra v. 263 : « illum æreus undique clamor Thebanique urunt sonitus. » — *Excitat.* In nonnullis libris est *incitat*, cum glossa, *exacuit, promovet.* Vide Strab.

344. *Add. a. s. Theumesi e verticecrinem. Theumesi a vertice* unus Behot. — *Theumesi.* Theumesus mons Bœotiæ. — Mōns non magnópere excelsus. Vide Strab.

Tisiphone : stupet insolito clangore Cithæron
Marcidus, et turres carmen non tale secutæ.
Jam trepidas Bellona fores, armataque pulsat
Limina ; jam multo laxantur cardine Thebæ.
Turbat eques pedites, currus properantibus obstant,
Ceu Danai post terga premant : sic omnibus alæ
Arctantur portis ; septemque excursibus hærent.
Ogygiis it sorte Creon ; Eteoclea mittunt
Neitæ ; celsas Homoloidas occupat Hæmon,
Hypsea Prœtides ; celsum fudere Dryanta
Electræ ; quatit Hypsistas manus Eurymedontis ;

346. *Tisiphone. Thesiphone* Behot. 1, *Tesiphone* Behot. 2. — *Cithæron Marcidus.* Cithæron mons Bœotiæ ; dicitur *Marcidus*, quia orgia Bacchi cujus proprium est epitheton *Marcidus*, in hoc monte celebrabantur. — *Cithæron.* Horruit tubarum sonitu mons, qui ante consneverat sacrorum voces audire : nt Virg. Æneid. IV, 303 : « nocturnusque vocat clamore Cithæron. » Lactant. — Et Georg. III, 43 : « vocat ingenti clamore Cithæron. » De quo loco notata videre operæ pretium est ; nost. ed. tom. I, pag. 434. Ed.

347. *Et turres carmen non tale secutæ.* Sed cantum lyræ Amphionis, ut supra diximus.

348. *Trepidas Bellona fores.* Bellona impellit portas jam aperiri cœptas labore hominum.

349. *Thebæ.* Id est, Thebarum portæ.

351. *Danai.* Argivi.

352. *Arctantur portis. Artantur portus* Behott. 1, 2. — *Septemque excursibus hærent.* Quia per septem portas egrediebantur, et præ multitudine comprimebantur ad portas, unde *hærent.* Nomina septem portarum sequentibus versibus comprehenduntur, Ogygiæ scilicet, Neitæ, Homoloides, Prœtides, Electræ, Hypsistæ, Dircææ.

353. *Ogygiis it sorte Creon.* In iisdem codd. Behott. *it forte.*

354. *Neitæ, celsas Homoloidas occupat Hæmon. Neistæ* Behot. 1, *Nehistæ* Behot. 2, *emoloidas* in eodem Behot. codice ; *celsas Homoloidas* Lang. Buslid. Lipsian. Lindenbrog. plerique et Grasser. *occupat Emon* Behot. 1, *occupat hemon* Behot. 2, *Æmon* in edd. vett. — Reg. B, *N. celsas Homoloidas occubat Hæmon* habet ; Reg. C, *Neiste, celsas Emoloidas occupat Hemon.* Ed.

355. *Hypsea Prœtides ; celsum fudere Dryanta. Prœtiæ* Behot. 1, *Propethie* Behot. 2, *fudere Drianta* Behot. 1, *fudere Arianta* Behot. 2. — Reg. B, *Hypsæa Prœtiæ celsum ;* Reg. C, *Ypsea Pretide c. f. Driantha.* Ed.

356. *Electræ, quatit Hypsistas,* etc. *Eleuctræ* unus Behot. *quatit*

Culmina magnanimus stipat Dircæa Menœceus.
Qualis ubi adversi secretus pabula cæli
Nilus, et Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, septemque patentibus arvis
In mare fert hiemes, penitus cessere fugatæ
Nereides, dulcique timent occurrere ponto.
Tristis at inde gradum tarde movet Inacha pubes,

hissatas Behot. 2, *quatit hipsistas* Behot. 1.

358. *Qualis ubi adversi secretus pabula cæli. Qualis ubi adversi* Gronovios ad Achill. 1, 539, et ad Senec. Tragœd. p. 444. — *Adversi.* Meridiani. — *Secretus.* Ob fontem tunc incognitum: footes enim Nili Veteribus incogniti. — *Vox secretus* de Nilo frequentatur. Claudian. XLVII, Eidyll. IV, vs. 10 *et* seqq. « Fluctibos ignotis oostrum procurrit in orbem, Secreto de fonte eadeos, qui semper inani Quærendus ratione latet. » Ad quem not. videre operæ pretium est, nost. ed. tom. II, pag. 340. Adi etiam a Schradero enarrata ad Avien. Descript. Orbis Terræ, vs. 336. Poet. Lat. Min. t. V, p. 165 et 166. Ed.

359. *Bibit.* Accipit, id est, Æthiopum nives colligit, quas præstat oriens, id *est*, *Ægyptus*; sive Eoas pruinas bibit secreto fonte, quo Ægypti regoant. LACTANT. — *Eoas pruinas.* Theb. IV, 706: « Eoæ liquentia pabula brumæ. » Vide ibi notata, tom. præc. pag. 449. Ed.

360. *Scindit fontis opes, septemque patentibus arvis.* Gruterus ex codice Palatino legit: *patentibus alveis*, improbante Dan. Heinsio od Claodian. Edyll. VI, 11. — Reg. B, *septemque latentibus arvis* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Scindit fontis opes.* Quia in plures alveos dividitur. — *Septemque patentibus arvis.* Nilus enim septem ostiis in mare Ægyptium effunditur, unde ἑπτάστομος a Græcis dicitur: quæ omnia ejos ostia his nominibus nuncupantor: primum vocatur *Pelusiacum*, quod est orientalius: secundom *Taniticum*, quod aliis *Saiticum*: tertium *Mendesium*: quartum *Phatmeticum*, et *Phatnicum* vel *Phatniticum*: quintum *Sebenniticum* vel *Sybenniticum*: sextum *Bolbitinum*, quod *Bucolicum* etiam vocatur: septimum et ultimom *Heraclium*, etiam *Canopicum* et *Naucraticum*. — *Arvis.* Legendom *Alveis.* Theb. V, 1, « populataque gorgitis alveom. » Lib. IX, 225: « solito tone plenior alveo, Signa mali, magna se mole Ismenos agebat. » Silv. IV, 3, 72 et seqq. Via Domitiana: « Qui me vallibos aviis refusom Et ripas habitare nescientem Recti legibus alvei ligasti. »

361. *Hiemes.* Aquas impetuosas satis insolenter pro aquis fluvialibos.

362. *Dulcique timent occurrere ponto.* Reg. B, *timens occurrere* habet; Reg. C nost. lectiooem. Ed. — *Dulci ponto.* Qood mare dolce factom est Nili aquis.

363. *Tristis at inde gradum t. m.*

Præcipue Elææ, Lacedæmoniæque cohortes,
Et Pylii: subitum nam Thiodamanta sequuntur
Augure fraudati, nec dum accessere regenti.
Nec tua te, princeps tripodum, sola agmina quærunt:
Cuncta phalanx sibi deesse putat: minor ille per alas
Septimus exstat apex; liquido velut æthere nubes
Invida Parrhasiis unum si detrahat astris
Truncus honor plaustri; nec idem nitet igne reciso
Axis, et incerti numerant sua sidera nautæ.
Sed jam bella vocant: alias nova suggere vires

Inacha pubes. Inacha plebes unus Behot. — Reg. B, *Tristis ad inde gradum* cum litera t super *d* alia manuscripta exhibet; Reg. B nost. leet. Ed. — *Inde*. Ex hoc tempore, scilicet. — *Inacha*. Argiva.

364. *Præcipue Elææ*. In catalogo horum meminit, qui ad auxilia venerant Amphiarai Theb. IV, 237 et seq. « auget resupina maniplos Elis. » Æoli et filiorum meminit eod. lib. vs. 224: « Quos Pylos et dubiis Malea vitata carinis. »

365. *Et Pylii: sub. n. Thiod. sequuntur*. « Turbat hanc omnium cæterorum exemplarium ille optimus noster liber, referendo *loquuntur*. » Barth. — *Subitum*. Inopinate electum: successerat enim Amphiarao una voce.

366. *Accessere regenti*. Animum commodaverunt; ut Lucan. Phars. III, 214: « Accedunt Syriæ populi. » Lactant.

368. *Cuncta phalanx*. Omnis exercitus. Virgil. Æneid. II, 254: « Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat. » Servius: Synecdoche a parte totum. — *Minor ille*. Thiodamas ex sex ducibus minor erat.

369. *Septimus*. Septem enim erant duces Argivi.

370. *Parrhasiis astris*. Intelligit utramque Ursam Majorem et Minorem: quia Callisto et ejus filius Arcas in hæc duo sidera conversi sunt, ut volunt Poetæ. — *Parrhasia* vero, a Parrhasiis urbe Arcadiæ: Callisto enim et Arcas erant Arcades.

371. *Truncus honor plaustri, nec idem nitet igne reciso*. *Truncus honos* unus Behot. *haud solitum nitet* in quibusdam, ex glossa. — Reg. B, *T. h. p. nec idem riget igne reciso;* Reg. C, *Truncus honos*, etc. exhibet. Ed. — *Plaustri*. Quia septem lucidiores Ursæ Majoris stellæ currus figuram referunt.

372. *Axis*. Seu potius polus, id est, extremitas axis mundi, quæ est prope Ursam Majorem. — *Et incerti numerant sua sidera nautæ*. Nautæ enim observabant Ursam in dirigenda sua navigatione. — *Incerti*. Quum sex tantum stellas videant, an sit septemtrio, dubitantes. In Septemtrionali enim Plaustro septem sunt stellæ.

373. *Alias nova suggère vires Calliope*. Poetarum mos, ut de no-

Calliope, majorque chelyn mihi tendat Apollo.
Fatalem populis ultro poscentibus horam
Admovet atra dies : Stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur cælo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu,
Nil vulgare legens : sed quæ dignissima vita
Funera, præcipuos annis animisque cruento
Angue notat; jamque in miseros pensum omne sororum
Scinditur, et Furiæ rapuerunt licia Parcis.
Stat medius campis etiamnum cuspide sicca

vo invocent Musas et Apollinem, quum quid grande et inexpectatum dicere aggrediuntur.

374. *Majorque.* Id est, non talis qualis solet in lyricis invocari carminibus : aut certe ut in aliis operibus, quæ ad res bellicas pertineant mos est : sed *major* furiosior, qui bellica tuba sit dignus; ut ipse superius : « Atque alio Capaneus horrore canendus. » LACT.

375. *Fatalem*, etc. Hunc versum et septem sequentes aliqui condemnant, ut adulterinos, et Statio prorsus indignos.

376. *Admovet atra dies. Admonet* uterque Behot.

377. *Mors fruitur cælo. Mors cælo fruitur* optimæ Barthii membranæ. — *Mors fruitur cælo.* Id est, toto orbe supero regnat.

378. *Nigroque viros invitat hiatu.* Edd. vett. et nonnulli codd. *invitat amictu;* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Lipsian. Venett. 3, 4, et recentt. *invitat hiatu;* et sic legit Joannes Boccatius Geneal. Deor. lib. I, cap. 32. — *Nigroque viros invitat hiatu* (*amictu*). Alludit forte Poeta ad morem ducum, qui, die quo pugnare decreverant, solebant mane erigere supra tentorium suum russam tunicam, ut signum futuræ pugnæ : sed mors nigrum erigit, quia hic color ipsi proprius est. Legit Gronovius *hiatu.*

379. *Nil vulgare legens : sed quæ dignissima vita Funera.* Consonat illud apud Ciceronem Phil. XIV, cap. 12 : « Mars fortissimum quemque in acie pignerari solet. » Item illud : Ἄρης οὐκ ἀγαθῶν φείδεται, ἀλλὰ κακῶν. « Mars non parcit fortibus, sed ignavis. »

381. *Angue notat. Ungue notat* optimæ Barthii membranæ, ut conjectabat Marklandus ad Silv. II, 1, 143. Vid. nost. edit. tom. I, pag. 183. ED. — *Angue notat.* Ut non fallatur, quum acies committentur.

382. *Scinditur.* Ita enim factum est, ut multorum vita pariter finiretur. LACTANT.

383. *Stat. m. c. etiamnum.* Unus Behot. *etiamnunc.* — Hanc lectionem Reg. B præbet; Reg. C, *etiam non cuspide sicca* habet. ED. — *Cuspide sicca.* Ut quæ sanguine neutrius partis nondum tincta fuerat. Ita Silio Punic. VIII, 18 et seq. « cæde sine ulla, Insolitum sibi, bella geri, siccasque cruore Inter

Bellipotens; jamque hos clipeum, jam vertit ad illos
Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos.
Pellitur et patriæ, et qui mente novissimus exit,
Lucis amor: tenet in capulis, hastisque paratas
Ira manus; animusque ultra thoracas anhelus
Conatur; galeæque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluisse viros? flammantur in hostem

tela sui Mavortis bebescere dextras. » Ita « sicca mors » Juvenali Sat. X, 112 et seq. Claudian. XXII, de Laud. Stilicb. lib. II, 15 et 16: « ut ferrum Marte cruentum, siccum pace, premas. » Ed.

384. *Bellipotens, jamque hos clipeum, jam vertit ad illos.* *Armipotens* Dan Petav. edd. vett. *Bellipotens* Lang. Busl. Put. Fabr. Behott. 1, 2, omnes Barthiani, Petrens. Exc. Cantab. Amstel. Gronov. Barth. et Delpb. *jamque ad hos* membranæ Collegii Emanuelis Oxon. metro obstante. — Reg. B, *Bellip. jamque hostilem clipeum*, etc. habet; Reg. C nost. lection. Ed. — *Bellipotens.* Mars.

385. *Abolet.* Delet memoriam suorum ac desiderium illis ex animo; et a toto transit ad partes, dicendo *connubia, natos.* Lactant.

386. *Pellitur et patriæ et qui mente.* Conjuuctio *et* post Penthemimerin non babetur in edd. vett. primus restituit Lindenbrogius. — *Qui mente novissimus exit, Lucis amor.* Præfero quod in scriptis est: *et qui mente.* Sensus: Amor liberorum, conjugum, patriæ, et, qui diutissime tamen adhæret, etiam vitæ amor pellitur. Bernart.

388. *Ira manus, animusque ultra thoracas anhelus.* Barth. conj. *animisque u. t. anhelis.* — *Animusque ultra thoracas anhelus Conatur.* Notavit e suo Lindenbrogius: *animoque ultro thoracas anhelo Conatur.* Sane a nobis comparati omnes, *Conatur*, non *Conantur*, ut aliæ editiones nullo sensu; nihil præterea mutant: tollunt solum post *anhelus* distinctionem. — Reg. B, *animosque ultra thoracas anhelos* habet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Animusque ultra thoracas anhelus Conatur.* Vult incitatis ad prælium tanto motu cor micare, ut ipsos thoracas impellere, ac quodammodo perrumpere velle videatur. Ovidius Metam. II, 753 et seqq. « Et tanto penitus traxit suspiria motu, Ut pariter pectus, positamque in pectore forti Ægida concuteret. » Noster Theb. XII, 434, « uterque minax globus et conatur uterque Longius. » Gronov. Guyetus vero hæc ut spuria delet, jungitque τὸ *ira manus* cum *Galeæque* sequentis versus. Peyraredus male corrigit: *Conique galeæque.*

389. *Conatur, galeæque tremunt horrore comarum.* *Conantur* Behott. 1, 2, Dan. Petav. Laur. Lipsian. et edd. vett. *Conatur* unus Lindenbr. et omnes Gronoviani, cum edd. Gronov. Barth. et Delpb. *honore comarum* Dan. Petav. et edd. vett. — *Galeæque tremunt.* Videntur cum cristis ipsæ galeæ hinc inde

Cornipedes, niveoque rigant sola putria nimbo,
Corpora ceu mixti dominis, irasque sedentum
Induerint : sic frena terunt, sic prælia poscunt
Hinnitu, tolluntque armos, equitemque supinant.
Jamque ruunt, primusque virum concurrere pulvis
Incipit, et spatiis utrimque æqualibus acti
Adventant, mediumque vident decrescere campum.
Jam clipeus clipeis, umbone repellitur umbo,
Ense minax ensis, pede pes, et cuspide cuspis.
Sic obnixa acies pariter suspiria firmant,
Admotæque nitent aliena in casside cristæ.

vacillare, adeo vehemens impetus irarum in pugnatoribus apparet.

391. *Niveo nimbo*. Spuma.

392. *Dominis*. Melior omnino scriptura optimarum membranarum, quæ versum decentiorem reddit : *Corpora ceu mixti dominorum, irasque sequentum Induerint*. Barth. — *Irasque sedentum Induerint*. Sil. Ital. I, 38 : « Deæ cunctas sibi belliger induit iras Hannibal ; » pro : iram mente concipit. Ad hunc loc. vid. not. nost. ed. t. I, p. 8. Ed.

394. *Equitemque supinant*. Buslid. *equitemque fatigant*. — Regg. B et C, *equitesque supinant*. Ed.

395. *Jamque ruunt, primusque virum concurrere pulvis*. Optimus Barth. *primusque utrimque concurrere*; unde ille : *primus quorum concurrere*. — *Jamque ruunt*. Exercitus scilicet.

397. *Adventant, mediumque vident*. *Advenitant* nonnulli Barth. et opt. — *Decrescere campum*. Accessione utriusque exercitus medium quod erat minuebat spatium : ita enim fuerant vicinitate densati, ut campus qui medius fuerat interiret.

398. *Clipeus clipeis*. Est Poetica verborum collocatio ad versum rotundandum, numeros rerum parum attendere solita. Estque Homericum Iliad. N. *Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ, κ. τ. λ.* Quod aliquatenus expressit Furius citante Macrobio lib. VI, c. 3 : « Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir. » Et Virg. Æn. X, 360 : « Trojanæ acies, aciesque Latinæ, Concurrunt, hæret pede pes, densusque viro vir. » Barth. Ennius jam ante Maronem : « Pes pede premitur, armis teruntur arma. » Vid. not. ad hunc locum Virgil. nost. edit. tom. IV, pag. 136. Ed.

400. *Sic obnixa acies pariter suspiria firmant*. « Vera scriptura : *suspiria fumant* : nihil certius. » Barth. Ita Dan. Petav. Lindenbr. et Cruc. *suspiria ducunt* unus Behot. *suspiria firmant* alter Behot. Lang. Gronov. Barth. plerique et Delph. — Reg. B, *suspiria fumant* habet ; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Firmant*. Ex ardore scilicet pugnantium.

401. *Admotæque nitent aliena in*

Pulcher adhuc belli vultus: stant vertice coni,
Plena armenta viris, nulli sine præside currus,
Arma loco, splendent clipei, pharetræque decoræ,
Cingulaque, et nondum deforme cruoribus aurum.
At postquam rabies, et vitæ prodiga Virtus
Emisere animos, non tanta cadentibus Hædis
Aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos,
Nec fragor Ausoniæ tantus, quum Juppiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Quum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.

casside cristæ. Id est, videntur infixæ esse, et insertæ alienæ cassidi, et in ea nitere, non in sua.

402. *Coni*. Cacumina galearum.

403. *P. a. v. nulli sine præside*. Reg. B, *nullo* habet; Reg. C nost. lectionem. Ed. — *Plena armenta viris*. Satis insolenter pro, equi rectores suos adhuc ferunt.

404. *Arma loco*. Barthius legit: *nulli sine præside currus Armato*.

406. *Vitæ prodiga*. Mortem non curans. Horat. lib. I, Od. 12, 38: « Animæ prodigum Paullum. »

407. *Emisere animos*. Metaphora a Circo. Virgilius, Æneid. I, 125: « Emissamque hiemem sensit. » — *Cadentibus Hædis*. Vide Theb. III, 25, et ibi notata, tom. præc. pag. 277. Confer etiam not. ad Virgil. Æneid. IX, 668, nost. edit. tom. IV, pag. 68. Ed.

408. *Aeriam Rhodopen solida nive*. Behott. 1, 2, *solita nive*. — *Rhodopen*. Rhodope Thraciæ mons, ut supra diximus, vel potius montana regio in media Thracia. Hodie *il monte Argentaro*, vocatur etiam *Dervent*, *Valiza* vel *Despote-Giula*, *Curiorovissa* et *Czarnanivertia*. Ed. — *Solida nive*. Grandine.

409. *Ausoniæ*. Italiæ. Italia enim *OEnotria*, *Hesperia*, et *Ausonia* vocata. Est regio totius Europæ nobilissima, cujus urbs primaria Roma caput orbis. Italia autem habet formam cruris, inter Adriaticum et Tuscum Mare, a jugis Alpium dorsoque Apennini porrecta usque ad fretum Siculum: in extrema sui parte scinditur in duo cornua, quorum alterum spectat Mare Ionium, alterum Siculum. — *Nec fragor Ausoniæ tantus, quum Juppiter omni Arce tonat*. Vide Excursum ad Cornelii Galli Elegiam vs. 35, Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. II, pag. 251, ubi adductus est Nostri locus. Ed.

410. *Syrtis*. Vide Theb. I, 687.

411. *Libyæ*. Vide Theb. V, 737 — *Boreas niger*. *Niger* ab affectu Virgil. Æneid. V, 2: « fluctusque atros aquilone secabat. » *Melanboreios* vocatur apud Joppen Palæstinæ oppidum. Josephus Belli Judaici lib. III. — *Libyæ Boreas*. Flante enim aquilone hic serenum est, pluit in Africa: unde Lucan. Phars. IX, 423: « et nostris reficit sua rura serenis. » Lactant. — De voce *imbres* vid. Excurs. II, ad Ru-

Exclusere diem telis; stant ferrea cælo
Nubila; nec jaculis arctatus sufficit aer.
Hi pereunt missis, illi redeuntibus hastis:
Concurrunt per inane sudes, et mutua perdunt
Vulnera, concurrunt hastæ, stridentia fundæ
Saxa pluunt, volucres imitantur fulgura glandes,
Et formidandæ non una morte sagittæ.
Nec locus ad terram telis: in corpora ferrum
Omne cadit: sæpe ignari perimuntque, caduntque;
Casus agit Virtutis opus: nunc turba recedit,

tilii Itinerarium, I, v. 148. Poet. Lat. Min. tom. IV, pag. 177. Ed.

412. *Ferrea nubila.* Ennius Annal. VIII; et Virg. Æn. XII, 284, *ferreus imber.* Ed.

413. *Nec jaculis arctatus sufficit aer.* In iisdem codd. *nec jaculis artatus.* — Reg. C hanc lect. habet; Reg. B, *hastatus* præbet eum syllaba *ar* suprascripta. Ed.

414. *Illi redeuntibus hastis.* Optimus liber Barthii in litura: *pereuntibus hastis.*

415. *Sudes.* Temere sumta et inartificiosa quælibet tela sudes vocat. Vet. Schol. Inter jacula habet et Maro Æneid. XI, 473: « aut saxa sudesque Subvectant. » Et fine ejusdem libri: « Tela manu trepidæ jaciunt, ac robore duro Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis. » — *Et mutua perdunt Vulnera.* Ob concursum scilicet telorum. Lucan. Phars. VI, 197: « levibusque sagittis Perditis hæsuros nunquam vitalibus ictus. » Et vid. not. ad Theb. V, 136, nost. edit. tom. II, pag. 505. Ed.

417. *Saxa pluunt.* Densitate pluvias imitantur excussi fundis lapides. Claudianus pariter, X, de Nuptiis Hon. et Mariæ, v. 297: « Nec miles pluviæ flores dispergere ritu Cessat. » Ubi vid. not. nost. edit. tom. I, pag. 366. Ed.

418. *Et formidandæ non una morte sagittæ.* In eodem Barth. codice: *non una in morte;* ita etiam in utroque Behot. — *Et formidandæ non una morte sagittæ.* Quia ferro et veneno occidunt. — Sil. Ital. I, 322: « bis noxia tela. » Ad quem vid. not. nost. ed. t. I, p. 43.

419. *Nec locus ad terram telis.* Exc. Cantab. *Nec locus ad terram jaculis.* — *In corpora ferrum Omne cadit.* Sil. Italic. Punic. IV, 191: « irrita nulli Spicula torquentur, statque omne in corpore ferrum. » Ad quem locum vid. not. nost. ed. tom. I, p. 237. Ed.

420. *Sæpe ignari.* Lang. Buslid. et edd. vett. *sese ignari;* Dan. Pet. Lipsian. Behott. 1, 2, Lind. Gevart. Gronov. Barth. nonnulli et Delph. *sæpe ignari.*

421. *Nunc turba recedit.* Reg. B, *nec* cum syllaba *un* alia manu suprascripta exhibet; Reg. C nostr. lect. Ed.—*Nunc turba recedit.* Modo pelluntur, modo resistentes occupant locum quem amiserant.

Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, et aufert.
Ut ventis nimbisque minax quum solvit habenas
Juppiter, affligitque alterno turbine mundum,
Stat cæli diversa acies, nunc fortior Austri,
Nunc Aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.
Principium pugnæ turmas Asopius Hypseus
OEbalias, namque hæ magnum et gentile tumentes
Euboicum duris rumpunt umbonibus agmen,
Reppulit erepto cunei ductore Menalca.
Hic et mente Lacon, crudi torrentis alumnus,
Nec turpavit avos, hastam intra pectus euntem,
Ne pudor in tergo, per et ossa et viscera retro

422. *Tellurem*. Spatium standi et procedendi: eampum.

423. *Habenas*. Juppiter euim imperium habere dicitur iu tempestates et aerem.

424. *Affligitque alterno turbine mundum*. Dau. Petav. et edd. vell. *alternoque affligit*. « In velustissimo libro: *alterno qui affligunt:* nihil muto. » BARTH. — Reg. B, *æternoque adfigit turbine mundum* habet; Reg. C uostram lectiouem præbet. Eo.

425. *Cæli diversa acies:* « Exereitus coutrarius veutorum et tempestatum. »

426. *Pugnante procella*. Procella est ictus et impetus veutorum. Servius ad Æneid. I: « Proeella est vis veutorum cum pluvia, dicta proeella, quod omuia pereellat, id est, muveat. »

427. *Nimiis aquis*. Auster euim multum humidus et pluviosus. — *Sereno*. Aquilo euim fugat uubes ae discutit.

428. *Principium pugnæ turmas Asopius Hypseus*. Unus Behot. *belli turbas Asopeus;* alter Behot. *belli turmas Asopeus*. — *Asopius*. Asopi filius. Vide lih. VII.

429. *OEbalias*. Laeedæmonias, ab OEbalu Lacuuiæ rege.

430. *Euboicum*. Ab Eubœa insula Bœotiæ vicina, eujus iucolas a Thebauorum partibus coutra Argivos militasse in Calalogo memoravit.

431. *Reppulit erepto cunei ductore*. Iu eodem Behot. codice: *erecto cunei;* optimus Barthianus pro v. l. habet: *erepto eonei*.

432. *Crudi torrentis*. Eurotæ fluvii, ad eujus ripas ludis gymuieis exereebantur Lacoues.

433. *Nec turpavit avos, hastam intra pectus euntem*. *Nec turbavit avos* conjectabat Barthius, *ultra pectus* Put. — Reg. B, *Nec turbavit avos* habet; Reg. C uostram lectionem. Eo.

434. *Ne pudor in tergo*. Iu tergo euim reeipere vulnera, pro flagitio habebalur, quia fugæ siguum. Me-

Extrahit, atque hosti dextra labente remittit
Sanguineam : dilecta genis morientis oberrant
Taygeta, et pugnæ, laudataque verbera matri.
Phædimon Iasiden arcu Dircæus Amyntas
Destinat : heu celeres Parcæ! jam palpitat arvis
Phædimus, et certi nondum tacet arcus Amyntæ.

nalcas igitur retraxit hastam, antequam in tergum penetraret.

436. *Dilecta genis morientis oberrant Taygeta.* Imitatur Virg. Æn. X, 782 : « et dulces moriens reminiscitur Argos. » Quidquid enim in vita carissimum habuimus, redire nobis solet in mentem, quum morimur. — *Genis.* Pro oculis Nostro, ut sæpe alibi. *Taygeta* autem, seu Taygetus ; de hoc monte videnda quæ enarrantur ad Thebaid. VI, 825, tom. præc. pag. 664. Ed.

437. *Laudataque verbera matri.* Unus Behot. *vulnera matris;* Put. *pectora matri.* — Hanc lectionem Reg. B exhibet, Reg. C nostram. Ed. — *Laudataque verbera matri.* Intelligit *διαμαστίγωσιν.* Nota enim Spartanorum animi fortitudo, ac patientia in tolerandis plagis : quibus a teneris etiam in ore seu conspectu parentum assuefacta, tantum non occaluerat juventus Lacedæmonia. Tertullianus ad Martyres cap. IV : « Nam quæ hodie apud Lacedæmonios solemnitas est maxima, *διαμαστίγωσις*, id est, flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles adolescentes affliguntur, adstantibus parentibus, et propinquis, et uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus. » Seneca, de Divina Providentia, cap. IV : « Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem, publice verberibus admotis? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, ac laceros et semianimes rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus. » Horat. I, Od. 7, v. 10 : « Me neque tam patiens Lacedæmon. » Martialis lib. VII, Epig. 80, v. 10 : « Vel non cæsus adhuc matre jubente Lacon. » Ubi conf. notata, nost. edit. tom. II, pag. 268. Ed. Vide Xenophontem in Politia Lacedæmoniorum, Plutarchum Lycurgo, Lucianum Icaromenippo, Arrianum Dissert. Epict. lib. I, cap. 2. Tullium Tusc. Quæst. II. Hujus moris originem causamque refert Philostratus lib. VI, cap. 10. Apollonii vitæ, quem vide, et Lactantium in hunc Papinii locum, et Pausaniam in Laconicis, ubi multa. — Memento quæ jam diximus ad Thebaid. IV, 230 ; tom. II, pag. 397. Ed.

438. *Phædimon Iasiden arcu Dircæus Amyntas* unus Behot. *Dircitus Amyntas* unus Behot. — *Phæd. Iasiden a. D. A. Destinat.* Cf. Saleii Bassi Carm. ad Pisonem, vs. 131, ubi adductus noster locus ; Poet. Lat. Min. tom. III, p. 251. Ed. — *Iasiden.* Argivum ab Iasio rege Argivorum. — *Dircæus.* Thebanus.

439, 440. *Jam palpitat arvis Phædimus, et certi nondum tacet*

Abstulit ex humero dextram Calydonius Agreus
Phegeos : illa suum terra tenet improba ferrum,
Et movet : extimuit sparsa inter tela jacentem
Progrediens, truncamque tamen percussit Acetes.
Iphin atrox Athamas, Argum ferus impulit Hypseus :
Stravit Abanta Pheres : diversaque vulnera flentes,
Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem,
Iphis eques, pedes Argus, Abas auriga jacebant.
Inachidæ gemini geminos ex sanguine Cadmi
Occultos galeis (sæva ignorantia belli!)
Perculerant ferro : sed dum spolia omnia cæsis
Eripiunt, videre nefas, et mœstus uterque
Respicit ad fratrem, pariterque errasse queruntur.
Cultor Ion Pisæ cultorem Daphnea Cyrrhæ

arcus Amyntæ. Sie Silius Italicus Puuie. II, 97 et seqq. « Ille procul campo linquentem retia eervum Vuluere sistebat, rueretque inopina sub ietu Ante fera iueauto, quam sibila poneret arcus. » Prudentius in Hamartigeuia 537 et seq. « nec stridor uuntiat ante Adventum leti, quam pectoris abdita rumpat. ?

441. *Calydonius Agreus*. In eodem Behot. codice *Calidoneas*. — *Calydonius*. Ætolus.

442. *Phegeos : illa suum terra tenet improba ferrum*. *Phlegios* in eodem Behot. « In alio libro est : *suum retinet tamen improba ferrum;* quod non recipimus. » Barth.

444. *Progrediens, truncamque tamen percussit Acetes.* « Omnes, optimusque libri *Prægrediens* habent : bene. » Barth. *truncumque* in eodem Barth. eodiee et edd. vett. — *Truncamque tamen percussit Acetes*. Hyperbole Poetica. Post hune versum iuseritur : *Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem*, sed diverso eharactere, in editioue Gronovii, quem omnino delere suadet : a Guillelmi Canteri codice provenit.

447. *Guttur Iphis*, ete. Hic versus nou extat in Petrens. Cantab. Burm. Behott. 1, 2, Barthianis et cæteris ; uee in edd. vett. Hune Regg. B et C non habent. Ed.

451. *Sed dum spolia omnia cæsis*. In pugna geminorum Virgilium et Lueauum snperare volnit Statius, qui duo geminorum paria commisit inter se, et πάθος certe miserabile finxit. Porro cæsos solebant spoliare.

453. *Pariterque errasse queruntur*. Quia et se geminos esse meminerunt.

454. *Pisæ*. Id est, Olympii Jovis, qui prope Pisas eolebatur. — *Cyrrhæ*. Id est, Apollinis, enjns oraculum apnd Cyrrham.

Turbatis prostravit equis : hunc laudat ab alto
Juppiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo.
Ingentes Fortuna viros illustrat utrimque
Sanguine in adverso. Danaos Cadmeius Hæmon
Sternit, agitque furens : sequitur Tyria agmina Tydeus.
Hunc Pallas præsens, illum Tirynthius implet.
Qualiter hyberni summis duo montibus amnes
Franguntur, geminaque cadunt in plana ruina.
Contendisse putes, uter arva, arbustaque tollat,
Altius aut superet pontes : ecce una receptas
Confudit jam vallis aquas : sibi quisque superbus

455. *Laudat ab alto*. Minoris Dei posuit sacerdotem, ne potioris meritis derogaret. Lact.

456. *Tardus frustra*. Non enim jam poterat eripere eum Apollo, tanta celeritate prostratus erat ab Ione.

457. *Illustrat utrimque*. Tydeum et Hæmonem dicit, quorum virtus in alternis belli partibus pro Deorum favore laudatur. Lactant.

458. *Danaos Cadmeius Hæmon Sternit*, *agitque furens*: etc. « Distinctio læsa sic est restituenda; *Danaos Cadmeius Æmon Sternit agitque : furens sequitur*, etc. » Barth. Unus Behot. *Cadmeius heros;* et sic etiam Dan. — *Danaos*. Argivos. — *Cadmeius*. A Cadmo originem ducens, vel Thebanus.

459. *Tyria*. Thebana.

460. *Hunc Pallas præsens*. Reg. B, *Pallas huic præsens* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Hunc*. Tydeum. Favebat enim Tydeo Pallas. — *Illum*. Hæmonem. — *Tirynthius*. Hercules.

461. *Qualiter hyberni summis duo*, etc. Reg. B, *Qualiter in hyberni summis*, etc. male habet; Reg. C nost. lect. Ed.

462. *Franguntur*, etc. Lucan. VIII, 374 : « Nec franget nando violenti vorticis amnem. » De hoc loco Lucan. vide a P. Burmanno notata, et de Papiniano adi Barthium. Ed.

463. *Uter arva*, *arbustaque tollat*. Put. *arbustaque tollant*. Edd. vett. comma ponunt post *ruina*, vs. 462, et colon post *Altius*, vs. 464. Correxit Bernartius. — Reg. B, *tollant* habet; Reg. C nost. lectionem. Ed.

464. *Ecce una receptas*. Post ambages emensas concurrunt in unum alveum. Vet. Schol. Utitur his Papinianis verbis ad Petronium male castigandum Joh. Bourdelotius, quem vide apud Barth.

465. *Confudit jam vallis aquas*, etc. Cantab. Burm. Laur. Lipsian. Behott. 1, 2, Rom. et plerique *Confundit;* Petrens. Amst. Gron. Barth. et Delph. *Confudit*. Optimus codex Barthii pro v. l. exhibet: *uterque superbus*. — Regg. B et C, *Confundit* exhibent. Ed.

Ire cupit, pontoque negant descendere mixti.
Ibat fumiferam quatiens Onchestius Idas
Lampada per medios, turbabatque agmina Graium,
Igne viam rumpens: magno quem cominus ictu
Tydeos hasta feri, discussa casside fixit.
Ille ingens in terga jacet, stat fronte superstes
Lancea, collapsæ veniunt in tempora flammæ.
Prosequitur Tydeus: « Sævos ne dixeris Argos:
Igne tuo, Thebane, rogum concedimus, arde. »
Inde velut primo tigris gavisa cruore
Per totum cupit ire pecus; sic Aona saxo,
Ense Pholum, Chromin ense, duos Helicaonas hasta
Transigit, Ægeæ Veneris quos Mæra sacerdos

466. *Mixti.* Ne alter in alterius nomen incurrat. Lactant.

467. *Quatiens Onchestius Idas. Conchestius* Behot. 1, *Cochestius* Behot. 2, sed in utroque c deleta. — *Onchestius.* Ex Onchesto Bœotiæ oppido.

468. *Lampada.* Facibus utebantur Veteres in præliis, ut ex scriptoribus discimus. Noster Theb. X, 528: « pars ad fastigia missas Exsultant hæsisse faces. » Sic Fidenates, quia pares non erant ferro ad terrorem movendum, facibus armati, et discoloribus serpentum in modum vittis, furiali more processerant contra Romanos, sed tamen victi, et suo igne cremati. Florus lib. I, cap. 12.

469. *Magno quem cominus ictu.* Duo codd. Bernartii: *cominus actu.* — *Magno quem cominus ictu.* Bernartius, et Buslidianus codex: *quem comminus actu.* Quod esset agitatione et impetu, Silius Italic. Punic. I, 641 et seq. « qua mole sonantes Exigit ille trabes? » Alibi pro eodem dicit *turbine.* Gronov.

470. *Discussa casside fixit.* Put. *dispulsa casside.*

471. *Stat fronte superstes.* Unus Behot. *fronte superstans.*

473. *Prosequitur Tydeus. Et sequitur Tydeus* Dan. — *Sævos ne dixeris Argos: Igne tuo, Thebane, rogum concedimus, arde.* Quia mortuorum corpora cremabantur, sævitiæque accusati, qui hostium corpora sepulturæ mandare prohibebant.

474. *Arde.* Tuo tibi telo concedimus sepulturam. Lactant.

476. *Sic Aona saxo.* Unus Behot. *sic Caona saxo.*

478. *Ægeæ Veneris. Egrea Veneris* Behot. 1. *Egee Veneris* Behot. 2. *Ageæ Veneris* Lindenbrog. — *Ægeæ Veneris.* Hujus Veneris mentionem nullam facit Pausanias: meminit solum Areæ et Ascreæ Veneris, quarum hæc in agro Trœzenio, illa vero prope Spartam colebatur: hæ autem urbes partes Argivorum sequebantur. Hic vero filii

Ediderat, prohibente Dea: vos præda cruenti
Tydeos: it sævas etiamnum mater ad aras.
Nec minus Herculeum contra vagus Hæmona ducit
Sanguis: inexpleto rapitur per millia ferro,
Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pylenes
Agmina, nunc mœstæ fundens Pleuronis alumnos:
Donec in Olenium fessa jam cuspide Buten
Incidit: hunc turmis obversum, et abire vetantem
Aggreditur: puer ille, puer, malasque comamque
Integer, ignaro cui tunc Thebana bipennis

Mæræ hujusce Ægeæ Veneris sacerdotis dicuntur a Tydeo occisi, unde a Thebanis stabant. Oppida hujus nominis plura recenset Stephanus, quorum aliquod fano Veneris insigne fuisse hinc apparet. Verior tamen videatur opinio Veteris Scholiastæ, qui Venerem Ægæo mari prognatam intelligit. De qua re vide Mythologos et Homeri, sive Homeridæ hymnnm in eam. Plura ejusdem fana et cognomina, quam aliis omnibus scriptoribus, memorantur a Pausania. Barth. — *Mæra sacerdos*. *Mæra* proprium nomen est sacerdotis. Lactant.

479. *Prohibente Dea*. Oportebat forsan, ut sacerdos hujusce Veneris virginitatem servaret.

480. *It sævas etiamnum mater ad aras*. Regg. B et C, *etiamnunc* præbent. Ed. — *Sævas aras*. Aras sævæ Veneris, quæ preces illius non exaudit, quia sacerdotis impudicitiam morte liberorum punire volebat. — *Mater*. Orans pro vestra salute.

481. *Herculeum*. Quia illum præsens Hercules implebat. Vide sup.

483. *Calydonis*. Ætoliæ oppidi. — *Pylenes*. Oppidi ejusdem Ætoliæ.

484. *Pleuronis*. Urbis Ætoliæ. Vide Thebaid. IV, 103, Catalogum copiarum Tydei. Dicitur *mœsta* ob rationem eodem libro allatam: « Fletaque fraternis avibus Meleagria Pleuron. » Vid. tom. præced. pag. 248 et 382; meminit Plinius Hist. Nat. IV, 3, 1. Ed.

485. *Olenium*. Ex Oleno Ætoliæ oppido.

486. *Hunc turmis obversum, et abire vetantem*. Dan. Petav. Colin. Plant. Lindenbr. et nonnulli *obsessum*; Behott. 1, 2, Petrens. Cantab. Taurin. Buslid. Gron. Barth. et Delph. *obversum*. — *Hunc turmis obversum*. Intelligit versum fuisse in suos, et laborasse retinendo illos, ut locum servarent, nec præ metu aut cederent, aut fugerent. Itaque aggressus illum a tergo Hæmon: eique ignaro incidit Thebana bipennis. Thebaid. IX, 111 et seq. « inque eadem sese vestigia semper Obversus cunctis profert. » — *Abire*. An *obire*, id est, oberrare, circumvagari: quia dicitur supra: « Nec minus Herculeum contra vagus Hæmona ducit Sanguis. »

487. *Malasque comamque*. Behott. 1, 2, *malasque comasque*.

In galeam librata venit: finduntur utrimque
Tempora, dividuique cadunt in brachia crines,
Et non hoc metuens inopino limite vita
Exsiluit: tunc flavum Hypanin, flavumque Politen,
(Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho:
Sævus uterque Deus;) victis Hyperenora jungit
Conversumque fuga Damasum: sed lapsa per armos
Hasta viri trans pectus abit, parmamque tenenti
Excutit, et summa fugiens in cuspide portat.

489. *Finduntur utrimque.* Edd. vett. *funduntur;* Dan. *strinduntur;* Put. Petav. Laur. Lipsian. Barth. plerique et Delph. *finduntur.* — Regg. B et C, *funduntur* habent. Ed. — *Utrimque tempora.* Ex utraque parte divisum est caput. Lact.

490. *Dividuique cadunt in brachia crines.* Ita Ovidius Amor. I, Eleg. 5, 10: « Candida dividua colla tegente coma. » Ad quem versum illustrandum Nostri a Burmanno adductus est locus; conf. nost. edit. tom. II, pag. 19. Ed.

491. *Et non hoc metuens inopino limite vita.* Reg. B, *Inopino limine* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Non hoc metuens.* Insperato et novo mortis genere periit. — *Inopino limite.* Quia vitæ limes semper est incertus. Lactant.

492. *Tunc flavum Hypanin, flavumque Politen.* Unus Behot. *flavum Hispanum;* optimos Barthianus: *flavum Hypanum flaucumque Polyten.* — *Flavumque Politen.* Supple, interficit.

493. *Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.* Tetigimus supra hunc morem, quo Veteres alebant crinem barbamque in honorem Dei alicujus. Conf. Horat. IV, Od. 10, v. 2; Martial. I, 32; Senec. in Herc. Furent. v. 853. Ed. — *Iaccho.* Baccho.

494. *Sævus uterque Deus; victi Hyperenora jungit. Hyperiona jungit* Dan. Petav. Lang. Buslid. Lips. et edd. vett. *Hiperenora* unus Behot.—*Victis Hyperiona jungit.* Non magis, opinor, hoc quam Phœbo aut Apolline aliquo milite uteretur: etsi fuerint tam ridiculi librarii, ut a Virgilio equum Mezentii Phœbum dictum putarent. Scripti, *Hyperenora.* In quo cur contarentur, editoribus causa nulla fuit. Gronov. — Reg. B, *Hyperentora* habet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Sævus uterque Deus.* Injurias enim sibi factas graviter ulciscebantor. — *Hyperenora.* Thebis fuit inter Spartos Hyperenor. Et Homero Πανθοΐδης Ὑπερήνωρ. Quare non et Ætolo nomen id esse potuerit.

496. *Hasta viri trans pectus.* Reformo in pulchriorem sententiæ habitum ex Lipsii scripto libro, in quo *per* pro *trans,* rectissime: vult enim hostam per armos et pectus transiliisse, et parmam secum abstulisse. Bernart.

497. *Et summa fugiens in cuspide portat.* Ut apud Sil. Ital. Punic.

Sterneret adversos etiamnum Ismenius Hæmon
Inachidas, (nam tela regit, viresque ministrat
Amphitryoniades,) sævum sed Tydea contra
Pallas agit: jamque adverso venere favore
Cominus, et placido prior hæc Tirynthius ore:
« Fida soror, quænam hunc belli caligine nobis
Congressum Fortuna tulit? num regia Juno
Hoc molita nefas? citius me fulmina contra,
Infandum, ruere, et magno bellare parenti
Adspiciat: genus huic: sed mitto agnoscere, quando
Tu diversa foves: nec si ipsum cominus Hyllum
Tydeos hasta tui, Stygioque ex orbe remissum
Amphitryona petat: teneo, æternumque tenebo

XV, 686 et seqq. « Tum quoque transfixum telo per membra, per arma.... magno clamore Sabellum Abspartabat ovans. » Ad quem l. vid. not. nost. edit. tom. II, pag. 272. Ed.

498. *Ismenius Hæmon. Ismenius heros* Dan. Heinsius ad Claudian. Epigr. XXVII, 10. *Ismenius hemon* unus Behot. *Ismenius Æmon* edd. vett. — Reg. B, *ismænius Hemo* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Ismenius.* Thebanus, ut sæpius diximus.

499. *Inachidas.* Argivos.

500. *Amphitryoniades.* Hercules ab Amphitryone patre. V. not. 506.

503. *Fida soror.* Noverca enim sorori vult Herculem repugnare. Lactant. — *Belli caligine. Caliginem belli* vocat hunc tumultum, quo quid agendum cuique sit omnis ignorat, nec amicum ab hoste dignoscere potest.

504. *Num regia Juno Hoc molita nefas.* Quia semper obstabat gloriæ ac consiliis Herculis. — *Regia.* Junonis epitheton.

505. *Citius me fulmina contra, Infandum, ruere.* Minus ex decoro hæc, sed hæc luxuriantis ac lascivientis sæculi licentia. Pejora Lucanus et magis impia in oratione militis ad Cæsarem Phars. I, 359.

506. *Infandum. Infantum* unus codex Barthii. — *Magno parenti.* Jovi. Ex Jove enim natum Herculem putabant Veteres.

507. *Genus huic.* Id est, Hæmoni, Thebanum. Nam et Thebanus Hercules. — *Sed mitto agnoscere.* Subaudis, genus huic magnum nobileque. *Sed* aposiopesin fecit. Virgil. Æneid. I, 135: « Quos ego...: sed motos præstat componere fluctus. »

508. *Hyllum.* Hyllus filius Herculis e Dejanira.

510. *Teneo, æternumque tenebo.* Scilicet, memori mente. Sic Claudianus XXII, de Laudibus Stilich. lib. II, 42: « benefacta tenere. » Ed.

Quantum hæc diva manus, quoties sudaverit ægis
Ista mihi, duris famulus quum casibus omnes
Lustro vagus terras: ipsa heu! comes invia mecum
Tartara, ni Superos Acheron excluderet, isses.
Tu patrem, cælumque mihi: quis tanta relatu
Æquet? habe totas, si mens exscindere, Thebas.

511. *Quantum hæc d. m. quoties sudaverit ægis.* Uterque Behot. *quotiens sudaverit.* — *Quantum hæc.* Docet Poeta ingenio virtutem cedere. Nam id ait oratio Herculis blandientis. Lact. — *Ægis.* Ægis nunc Jovi, nunc Minervæ tribuitur. Servius ad hunc Virgilii versum, Æn. VIII, 435: « Ægidaque horrificam turbatæ Palladis; » hæc dicit: Ægis proprie est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput; quod munimentum, si in pectore numinis fuerit, vocatur ægis: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum imaginibus videbimus, lorica dicitur. » Sumitur etiam pro Palladis clipeo.

512. *Duris famulus quum casibus omnes.* Optimæ Barthii membranæ: *famulus duris cum casibus.* — Reg. B, *dum* exhibet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Famulus.* Imperatum enim fuerat Herculi ab oraculo, ut Eurystheo pareret, ac exsequeretur. quidquid ipsi præciperet. Noti vero labores Herculis.

513. *Lustro vagus terras. Lustravi terras* Behot. 1, sed in margine: *Lustro vagus* ex scriptoris manu; nihil tamen deletum erat, nihil expunctum. — *Ipsa heu comes.* Minerva semper Herculi in subeundis periculis adfuisse dicitur, ac ille ejus patrocinio, ex tot et tantis ad quos adigebatur ab Eurystheo laboribus, semper gloriosior evasit: non enim tot ac tantos labores exantlare potuisset, nisi comite prudentia, cujus Minerva symbolum est.

514. *Ni superos Acheron excluderet.* Interdictus enim Superis in Inferos descensus.

515, 516. *Tu patrem, cælumque mihi: quis tanta relatu æquet? habe totas, si mens exscindere, Thebas. Tu patrem cælumque mihi (quis tanta relatu Æquet) habe, totas, si mens exscindere Thebas* edd. vett. Interpunctio nostra debetur Bernartio. — Reg. B, *Tu patriam cælumque mihi: quis tanta relatu Æquet? habe totas, si mens excedere, Thebas* exhibet; Reg. C nostram lection. Ed. — *Tu patrem, cælumque mihi.* Supple, concilias ex Virgilio, Æneid. I, 78 et seq. « tu sceptra Jovemque Concilias. » — *Habe exscindere.* Id est, sit tibi, liceat, concedo ut exscindas. Varro de Re Rust. lib. I: « Quare quoniam emisti fundum, quem bene colendo fructuosum conficere velis, meque ut id mihi habeam curare, roges; experiar. » Silius Punic. XVI, 208: « lætus habe nostros intrare penates. » Valerius Flaccus Argon. I, 670: « seu volvitur axis Et superum sic staret opus tollique vicissim Pontus habet. » Hellenis

Cedo equidem, veniamque precor. » Sic orsus abibat.
Pallada mulcet honos : rediit ardore remisso
Vultus, et erecti sederunt pectoris angues.
Sentit abisse Deum : levius Cadmeius Hæmon
Tela rotat, nulloque manum cognoscit in ictu.
Tunc magis atque magis vires animusque recedunt,
Nec pudor ire retro : cedentem Acheloius heros
Impetit, et librans uni sibi missile telum,
Direxit jactus, summæ qua margine parmæ
Ima sedet galea, et juguli vitalia lucent.
Nec frustrata manus, mortemque invenerat hasta;
Sed prohibet, paullumque humeri libare sinistri
Præbuit, et merito parcit Tritonia fratri.

mus est. Euripides Alcesti : Ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχοιμ' ἂν οὗ λέγειν τύχειν. Tertulliano familiaris loquendi modus.

518. *Mulcet honos.* Pugnacem ejus animum et Herculi repugnanti minime cessurum mulcet ejus honorifica oratio. Vet. Schol.

519. *Vultus.* Ejus genuina venustas, quæ ante ab ira corrupta erat, seu decor, quem ira paullo ante mutaverat. — *Pectoris angues.* Ægidis Medusææ scilicet. In media Ægide, ut supra diximus, erat Gorgonis, seu Medusæ caput, quæ capillorum loco angues habebat.

520. *Sensit abisse Deum : levius Cadmeius Hæmon. Sensit abiisse* margo ed. Barth. ex codice manuscripto. « Concinnius hæc proponuntur in uno omnium optimo exemplari : *Sentit abiisse Deum levius, Cadmaius Æmon, Tela rotans*, etc. » Barth. — *Sentit abisse Deum.* Hæc ad Hæmonem referenda. — *Levius Cadmeius Hæmon Tela rotat.* Destitutus enim erat patrocinio auxilioque Herculis. Exemplo Maronis de Turno, abeuntibus pariter Divis, Æneid. XII, 903 : « Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem, Tollentemve manu, saxumque immane moventem. » Sentit vim suam sibi non amplius adesse, agnoscit se viribus deteriorem. — *Cadmeius.* Vid. sup. 457.

523. *Nec pudor ire retro. Nec pudet ire* Behott. 1, 2, et Lipsian. — *Acheloius heros.* Tydeus, sic cognominatus ab Acheloo fluvio Ætoliæ.

524. *Impetit.* Regg. B et C, *Impedit* habent. Ed. — *Uni sibi missile.* Quod ipse solus possit excutere.

525. *Margine parmæ.* Extremitate scuti. Lactant.

526. *Juguli vitalia lucent.* Quia omne vulnus in jugulo letale est. Vel quia in hac parte patebat jugulum vulneri.

527. *Frustrata.* Passive.

528. *Humeri libare.* Perstringere aut leviter tangere. Lactant.

529. *Merito.* Quia Hercules summo cultu Minervam semper venera-

Ille tamen nec stare loco, nec cominus ire
Amplius, aut vultus audet perferre cruenti
Tydeos : ægra animo vis, ac fiducia cessit.
  Qualis setigeram Lucana cuspide frontem
Strictus aper, penitus cui non infossa cerebro
Vulnera, nec felix dextræ tenor, in latus iras
Frangit, et expertæ jam non venit obvius hastæ.
  Ecce, ducem turmæ, certa indignatus in hostem
Spicula, felici Prothoum torquere lacerto
Turbidus OEnides, una duo corpora pinu,
Cornipedemque equitemque ferit: ruit ille ruentem
In Prothoum, lapsasque manu quærentis habenas

tus est, ut laborum sociam. — *Tritonia.* Pallas. — *Fratri.* Herculi.

533. *Qualis,* etc. Mira et egregia comparatio, sicut et aliæ Statii, quibus ille maxime stat, et palmam reliquis forte, et in quibusdam Virgilio eripuit. PETRAR. — *Lucana.* A Lucanis, Italiæ seu Magnæ Græciæ populis. Et bene *Lucana*, nam venatu celebres olim Lucani. Justin. lib. XXIII, cap. 1 : « Quippe ab initio pubertatis in silvis inter pastores habebantur Lucani : cibus bis præda venatica. Sic ad labores bellicos indurabantur. » Horatius, II, Sat. 3, 234, de Venatore aprario : « In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum Cœnem ego. »

534. *Penitus cui non infossa cerebro.* « Dicas *penito* scriptum fuisse, quum in optimo libro scriptum sit glossema : « Id est, intimo, vitali. » Nescio tamen an hac voce uti voluisse dicam Papinium, Plauto quam Maroni aptiore. » BARTH.

535. *Dextræ.* Venatoris scilicet. — *In latus iras.* Horatius, Od. III, 22, 7 : « Obliquum meditari ictum. »

537. *Ecce, ducem turmæ, certa indignatus in hostem.* Put. *indignantur in hostem.* — Hanc lectionem Reg. B exhibet, Reg. C nostram. ED. — Sic vertit hunc locum *Cormiliolle*, « Tydée voit un « des chefs de sa cavalerie Thé« baine, qui manie son arc avec « autant de force que d'adresse ; « c'est Prothoüs, dont le bras in« fatigable immole coup sur coup « de nouvelles victimes. Indigné, « furieux, le héros lui décoche une « flèche qui perce à-la-fois et le « cavalier et le coursier. Prothoüs « est renversé : soudain il tâche de « ressaisir les guides. Le coursier « affaibli tombe, roule sur lui : de « ses pieds il brise le casque sur le « visage, le bouclier contre la poi« trine. Enfin la vie du coursier s'é« chappe avec le sang qui coule de « sa blessure : il expire, en reje« tant le frein hors de sa bouche ; « et sa tête s'appuie sur celle de « son maitre. » ED.

541. *Quærentis habenas.* Reg. B, *quærentis harenas* habet ; Reg. C

In vultus galeam, clipeumque in pectora calcat,
Saucius extremo donec cum sanguine frenos
Respuit, et juncta domino cervice recumbit.
Sic ulmus vitisque, duplex jactura coloni,
Gaurano de monte cadunt: sed mœstior ulmus
Quærit utrumque nemus, nec tam sua brachia labens,
Quam gemit assuetas, invitaque proterit uvas.
Sumserat in Danaos Heliconius arma Chorœbus,
Ante comes Musis, Stygii cui conscia pensi
Ipsa diu inspectis letum prædixerat astris
Uranie: cupit ille tamen, pugnasque virosque
Forsitan ut caneret: longa jacet ipse cauendus
Laude, sed amissum mutæ flevere sorores.

nostram leetionem exhibet. En.

542. *In vultus galeam*, etc. Reg. B, *In vultu galeam* habet, male; Reg. C nost. leetion. En.

545. *Duplex jactura coloni.* Unus rodex Lindeobrogii: *jactura colenti.* — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. En.

546. *Gaurano de monte cadunt.* *Gargano de monte* unus Behot. — *Gaurano de monte.* Gaurus, seu Gauranus, mons Campaniæ propinquus Massicis et Surrentinis, in quo nascitur vinum præeipuæ bonitatis. Hodie *il Monte Barbaro.* En. — *Sed mœstior ulmus.* Hæc enim arbor vitium amieitia notissima, præsertim in Italia.

547. *Quærit utrumque nemus.* *Quærit utrimque* Put. — *Utrumque nemus.* *Nemus*, pro arbore satis audacter.

549. *S.* in *D. Hel. arma Chorœbus.* Dan. Petav. et Behott. *arma Corymbus.* Hanc leetionem Regg. B et C exhibent. En. — *Danaos.* Argivos.

550. *Stygii pensi.* Parcæ enim eollocantur in Inferis, ubi Styx fluvius, et vitam eujoseunque nere dicuntur.

551. *Ipsa diu inspectis.* *Ipsa diu potis* Lipsian. unde V. D. quidam: *diu positis;* quod exhibent aliquot membranæ Barthii, unæ Lindenbrogii, Petrens. Cantab. Gronov. Barth. et Veen. *Ipsa diu inspectis* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Buslid. Lindenbrog. et Delph. — Reg. B, *Ipsa diu positis*, etc. præbet; Reg. C nost. lect. En.

552. *U. cupit ille tamen.* « In optimo codiee clare scriptum est: *cupit ire tamen.* » Barth. — *Uranie.* Una ex Musis, Jovis et Mnemosynes filia, cui inventio Astrologiæ tribuitur, unde et nomen traxit: οὐρανὸς enim Græce *cælum* significat.

554. *Sed amissum mutæ flevere sorores.* *Musæ flevere sorores* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Laog. Buslid. et edd. vett. *innuptæ flevere sorores* Exc. Fabri; *mutæ flevere sorores*

Pactus Agenoream primis Atys ibat ab annis
Ismenen (Tyrii juvenis non advena belli,
Quamvis Cyrrha domus : soceros nec tristibus actis
Adversatus erat) sponsam, cui castus amanti
Squalor, et indigni commendat gratia luctus.
Ipse quoque egregius : nec pectora virginis illi
Diversa, inque vicem, sineret Fortuna, placebant.
Bella vetant tædas, juvenique hinc major in hostes
Ira : ruit primis immixtus, et agmina Lernæ
Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis,
Ceu spectetur, agit : triplici velaverat ostro
Surgentes etiamnum humeros, et levia mater

Petrens. nonnulli Barth. et Delph. — *Amissum Musæ flevere*. Septem mihi codices his oculis ingesserunt: *mutæ flevere sorores*. Addit octavum Lindenbrogius. Nec ab hac lectione recedere fas fuit. Quid enim tam vulgare quam nimium dolorem obmutescere et includere vocem? Sed dicent, Musas nunquam esse mutas. Sed temere : neque fuit illa in hæresi Statius Silv. V, 3, 14 et seqq. Epicedio in patrem : « Stant circum attonitæ vatem, et nil dulce sonantes Nec digitis nec voce, Deæ : dux ipsa, silenti Fulta caput cithara, qualis post Orphea raptum Adstitit, Hebre, tibi. » *Sorores* ex præcedentibus facile intelliguntur Musæ. Ut Ovid. Met. IV, 470 : « et in facinus traherent Athamanta sorores. » Ubi ex præcedentibus non possunt intelligi nisi Furiæ. Gron.

555. *Agenoream Ismenen*. Ismene filia OEdipi et Jocastæ. — *Agenoream*. Quia referebat genus ad Agenorem regem Phœniciæ, patrem Cadmi.

556. *Tyrii*. Thebani. Imitatur Virgilium, qui Corœbum induxit sponsum Cassandræ.

557. *Cyrrha*: Urbs Phocidis. — *Soceros*. OEdipum et Jocastam. — *Tristibus actis*. Ille enim, ut sæpius jam diximus, patrem occiderat, et matrem uxorem duxerat : hæc vero proprio filio nupserat. — De hoc loco vid. Exc. ad calc. huj. lib. Ed.

558. *Adversatus erat*. *Aversatus erat* Lang. Buslid. Lipsian. Behott. et edd. vett. *Adversatus erat* Petr. Cantab. Dan. Petav. Lindenbrog. Amstel. Gronov. Barth. et Delph.

559. *Indigni*. Quo illa indigna erat; quæ meliore sorte digna erat.

563. *Ruit primis immixtus*. Put. *primisque immixtus et agmine*. — *Lernæ*. Id est, Argiva.

564. *Prensis nunc celsus habenis*. Vel vectus equo, vel curru equis juncto. — Conf. Sil. Ital. Punic. XVII, 125 et sq. ubi adductus est hic Nostri locus, nost. edit. tom. II, pag. 354. Ed.

565. *Ceu spectetur*. Ab Ismene scilicet.

566. *Surgentes etiamnum hume-*

Pectora : tunc auro phaleras, auroque sagittas
Cingulaque, et manicas, ne conjuge vilior iret,
Presserat, et mixtum cono crispaverat aurum.
Talibus heu! fidens vocat ultro in prælia Graios.
Ac primum faciles grassatus cuspide turmas
Arma refert sociis, et in agmina fida, peracta
Cæde, redit : sic Hyrcana leo Caspius umbra
Nudus adhuc, nulloque jubæ flaventis honore
Terribilis, magnique etiamnum sanguinis insons,
Haud procul a stabulis captat custode remoto
Segne pecus, teneraque famem consumit in agna.
Mox ignotum armis, ac solo corpore mensus
Tydea non timuit : fragilique lacessere telo
Sæpius infrendentem aliis, aliosque sequentem
Ausus erat : tandem invalidos Ætolus ad ictus

ros. Surgentes etiamnunc Behot. 1, *Surgentes adhuc* Behot. 2. — *Surgentes*. Crescentes, quia adhuc puer erat.

569. *Presserat*. Sculpserat, sive cælaverat. LACTANT.

570. *Talibus heu fidens*. Non suspicione vacat hic versus quibusdam, et insertus videtur. — *Talibus*. Non validis, sed pulchris. LACTANT.

571. *Ac primum faciles grassatus cuspide*, etc. Put. *grassatur cuspide*.

572. *Arma refert sociis*. Claret hinc mos vetus pugnandi, Heroibus nimirum ante agmina sua procurrentibus, et redeuntibus partis spoliis, aut peracta cæde, ad turmas suas. Quo animadverso multa apud Homerum, cumque sequentes poetas alios, minus inepta videbuntur. BARTH.

573. *Hyrcana leo Caspius umbra*. Caspias gentes hic confundit cum Hyrcanis, ob vicinitatem. Caspiæ vocantur quæ accolunt Mare Caspium ad occidentem, Colchida et Iberiam versus, unde Caspiæ portæ : Hyrcani vero accolebant idem mare ad meridiem, Persidem versus.

574. *Nulloque jubæ flaventis honore*. Non enim jubati nascuntur. Plinius Hist. Nat. VIII, cap. 17 : « Leoni præcipua generositas, tunc quum colla armosque vestiunt jubæ. Id enim ætate contingit leone conceptis. Quos vero pardi generavere, semper insigni hoc carent; simili modo feminæ. »

576. *Haud procul*. *Aut procul* in eodem Put. codice.

580. *Aliosque sequentem*. Hos insequentem, qui propiores erant, aliis infrendentem, qui longinquiores erant, et quos attingere non poterat. Vet. Schol.

581. *Ætolus*. Tydeus. — *Æto-*

Forte refert oculos, et formidabile ridens:
« Jamdudum video, magnum cupis, improbe, leti
Nomen », ait: simul audacem non ense, nec hasta
Dignatus, leviter digitis imbelle solutis
Abjecit jaculum: latebras tamen inguinis alte
Missile, ceu totis intortum viribus hausit.
Præterit haud dubium fati, et spoliare superbit
OEnides: « Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pallas,
Exuvias figemus, ait: procul arceat ipsum
Ferre pudor: vix si bellum comitata relictis
Deiphile thalamis, illi illudenda tulissem. »
Sic ait: et belli majora ad præmia mente
Ducitur: innumeris veluti leo forte potitus

lus. Ut vir durus et gravis. Vet. Schol.

583. *Magnum cupis, improbe, leti Nomen.* A fortibus enim vinci et occidi magna laus.

584. *Simul audacem non ense, nec hasta.* « In vetustissimo optimoque codice scriptum est: *simul audasse*; quomodo et aliorum unus. Putes aliquid aliud Papinio relictum; quod tamen non putamus inquirendum, non displiciturо illo. » Barth. *necesse nec hasta* edd. vett. correxit Bernartius.

586. *Abjecit jaculum.* « Hæc vera scriptura est; majorem enim quam pro mente Poetæ vim habet, quod in aliis codd. legitur: *Objecit jaculum.* » Barth. *Adjecit jaculum* conj. Bernartius.

587. *Hausit.* Penetravit, sive percussit. Lactant.

588. *Haud dubium fati.* Procul dubio periturum. Lactant. — *Et spoliare superbit.* An spoliare spernit, vel potius illum spoliando superbiebat.

589. *OEnides.* Tydeus. — *Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pallas, Exuvias figemus.* Tangit morem, quo Veteres arma hostibus erepta appendebant numinibus bellicis, ut Marti et Palladi.

590. *Procul arceat ipsum.* Reg. B, *procul habeat ipsum* exhibet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Arceat ipsum.* Seipsum dicit pudore tardari; ne sic turpes delicatasque exuvias de hoste domum referret. Lactant.

592. *Deiphile thalamis, illi illudenda tulissem.* *Deiphyle* Gron. Obss. II, 20. *Deipyle* margo edit. Barth. et unus codex Lindenbrogii. — Reg. B, *Deipyle th. illi inlaudanda tulissem* exhibet; Reg. C nost. lect. Ed.

593. *Sic ait: et belli majora ad præmia*, etc. Reg. B, *Sic ait: et b. majore ad p. mente* habet. Ed. — *Sic ait: et belli majora ad præmia mente Ducitur: innumeris.* Guyetus jungit τὸ *ait* cum *innumeris*, cætera delet.

Cædibus imbelles vitulos, mollesque juvencas
Transmittit : magno furor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
At non semianimi clamore Menœcea lapsus
Fallit Atys : prævertit equos, curruque citato
Desilit : instabat pubes Tegeæa jacenti,
Nec prohibent Tyrii. « Pudeat, Cadmea juventus,
Terrigenas mentita patres! quo tenditis, inquit,
Degeneres? meliusne jacet pro sanguine nostro
Hospes Atys? tantum hospes adhuc, et conjugis ultor
Infelix nondum iste suæ : nos pignora tanta
Prodimus? » insurgunt justo firmata pudore
Agmina; cuique suæ rediere in pectora curæ.
Interea thalami secreta in parte sorores,
Par aliud morum, miserique innoxia proles
Œdipodæ, varias miscent sermone querelas.

599. *Fallit Atys.* Ordo : lapsus Atys non fallit Menœcea clamore semianimi. LACTANT.

600. *Pubes Tegeæa.* Arcadia, a Tegea Arcadiæ oppido.

601. *Tyrii.* Thebani. — *Cadmea.* Thebana a Cadmo conditore.

602. *Terrigenas mentita patres.* Thebani enim referebant genus ad illos Spartos, qui ex serpentis satis dentibus orti erant.

604. *Conjugis ultor.* Nondum erat conjux, sed sponsa.

605. *Nos pignora tanta.* Put. *non pignora.* — Hanc lectionem Reg. B præbet, Reg. C nostram. ED. — *Pignora tanta.* Conjuges, liberos.

606. *Insurgunt justo firmata pudore.* Markland. ad Silv. V, 2, 120, legit : *justo flammata pudore.*

607. *Curæ.* Uxores, liberi, sponsæ, vel quælibet cariora pignora.

608. *Interea thalami secreta,* etc. Inter præcipuos nuptiarum Veterum ritus videtur esse thalami exstructio et exornatio. Quæ quia fiebat instar tentorii, velis pictis et florum sertis, lectum thalami et columnas illud sustinentes ambientibus, id thalamum coronare dicebatur. Adi Poet. Lat. Min. nost. ed. t. III, p. 395. Plura de thalamo novorum nuptorum collegit Barthius ad hunc Nostri locum. ED.

609. *Par aliud morum.* Id est, diversum a suis fratribus, qui impii.

610. *Varias miscent sermone querelas.* « Melius puto quod in optimo alioque uno libro legitur : *vario miscent sermone.* » BARTH. — *Varias miscent sermone querelas,* etc. Imitatio Ovid. Met. IV, 568 et seq. « dum prima retractant Fata domus, releguntque suo sermone labores. »

Nec mala quæ juxta, sed longa ab origine fati,
Hæc matris tædas, oculos ast illa paternos,
Altera regnantem, profugum gemit altera fratrem,
Bella ambæ: gravis hinc miseri cunctatio voti. 614
Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum,
Quem vicisse velint: tacite præponderat exsul.
Sic Pandioniæ repetunt ubi fida volucres
Hospitia, atque larem bruma pulsante relictum,
Stantque super nidos, veterisque exordia fati

611. *Nec mala.* Id est, bella præsentia. LACTANT.

612. *Hæc matris tædas, oculos ast illa paternos.* Unus codex Lindenbrugii: *oculos gemit illa.* — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. Ed. — *Tædas.* Nuptias, quia tædæ nuptiis adhibitæ. — *Oculos paternos.* Cæcitatem paternam.

613. *Regnantem.* Eteoclem. — *Profugum.* Polynicem.

614. *Bella ambæ: gravis hinc miseri*; etc. *Diræ ambæ* in eodem Lindenbr. codice. « Inepta lectio: *gravis hinc miseri;* quam tamen solus ille optimus liber corrigit, et veritatem reducit, scribendo: *gravis hinc misti cunctatio voti.* Cui nimirum ex fratribus feliciorem eventum voveant, cunctantur, misto voto, i. e. amore nihil remittente in altero, ut in alterum inclinet votum. Pariter Claudianus loquitur alibi, de Raptu Proserp. lib. I, 132: *mistaque tremit formidine votum.* BARTH. — *Gravis hinc miseri cunctatio voti.* Nesciunt, dubitant, hæsitant, cui faveant, et in ea dubitatione cruciantur.

615. *Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum.* Put. *Mutat utroque.* Behot. 1, *quemnam certamine.* — Reg. B, *Mutat utroque timor* habet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Nutat utroque timor.* Neutram in partem inclinant illarum affectus misericordia pleni.

616. *Tacite præponderat exsul.* Notat affectum humanum, qui erga miseros semper magis pronus. Jocasta apud Senecam eximium illum Auctorem, Thebaid. act. III, 383 et seqq. « utrumque quamvis diligam affectu pari, Quo causa melior sorsque deterior trahit, Inclinat animus, semper infirmo favens, Miseros magis fortuna conciliat suis. » Compar sententia apud Tacitum Annal. XII, cap. 26: « Sive verum, seu periculis commendatus retinuit famam sine experimento. » Sensus: Sive revera non segnis illi indoles fuit, sive pericula et ex periculis favor hanc illi famam circumdederunt. Papinius ipse Theb. IV, 77 et seq. « seu quos movet exsul et hæsit Tristibus aucta fides. » BERN.

617. *Pandioniæ volucres.* Hirundines, quia Philomela filia Pandionis Athenarum regis conversa fuisse dicitur in hirundinem. Nota fabula. Vide Theb. IV, 56, et ibi notata, tom. præced. pag. 377. Ed.

619. *Veterisque exordia fati.* Ali-

Enarrant tectis, et truncum ac flebile murmur
Verba putant; voxque illa tamen non dissona verbis.
Atque ibi post lacrimas, et longa silentia rursus
Inchoat Ismene : « Quisnam hic mortalibus error?
Quæ decepta fides? curam invigilare quieti,
Claraque per somnos animis simulacra reverti?
Ecce ego, quæ thalamos, nec si pax alta maneret,
Tractarem sensu, (pudet heu!) connubia vidi
Nocte, soror: sponsum (unde?) mihi sopor attulit amens
Vix notum visu : semel his in sedibus illum,
Dum mea nescio quo spondentur fœdera pacto,
Respexi non sponte, soror: turbata repente
Omina cernebam; subitusque intercidit ignis;
Meque sequebatur rabido clamore reposcens

qui legunt *veteres* sine *que*, et juugunt cum voce *nidos*, quia dicuntur hirundines nidos priores repetere.

620. *Et truncum ac flebile murmur*. Markland. ad Silv. V, 1, 245, legit et distinguit : *it truncum ac flebile murmur : Verba putant*, etc. — *Truncum murmur*. Ob præcisam scilicet linguam.

622. *Atque ibi post lacrimas. Atque ubi* unus Behot.

624. *Quæ decepta fides*. Falsa enim sunt, quæ videmus in somniis.

626. *Ecce ego quæ thalamos, nec si pax alta maneret*. Put. *si pars alta*. — Hanc lect. Reg. B exhibet, Reg. C nostram. Ed. — *Ecce ego, quæ thalamos*. Decori semper observantissimus, ut hic, Papinius videtur. Excusat se Ismene, ne aliquo voluptatis sensu tangi crederetur, quod illa videre dicimur in somniis, quæ maxime optamus.

627. *Tractarem sensu*. Conf. Fabul. Æsop. Append. Fabul. VII, Phæd. nost. edit. tom. II, p. 386, et ad hunc locum ubi adductus est Nostri locus, vid. notata. Ed.

628. *Nocte, soror: sponsum (unde?) mihi sopor attulit amens*. Unus Behot. *sopor unde mihi sponsum intulit;* Lang. Buslid. Dan. Petav. et edd. vett. *sopor intulit*. — *Sponsum*. Atym, de quo supra.

630. *Nescio quo spondentur fœdera pacto*. Casta puella vix audet has voces proferre. Eleganter exprimit virginis affectum poeta.

631. *Respexi non sponte, soror*. Dixit, casu se respexisse, aberrantibus oculis, non sponte.

632. *Subitus ignis*. Turbatum viderat in somno omnem nuptiarum apparatum, et nuptiales faces extinctas.

633. *Meque sequebatur rabido clamore reposcens*. Unus Behot. *rapido clamore*. — Hanc habet lectionem Reg. B. Ed.

Mater Atyn. Quænam hæc dubiæ præsagia cladis?
Nec timeo, dum tuta domus, milesque recedat
Doricus, et tumidos liceat componere fratres. »
  Talia nectebant, subito quum pigra tumultu
Expavit domus, et multo sudore receptus
Fertur Atys, servans animam jam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervix
Exterior clipeo, crinesque a fronte supini.
  Prima videt, caramque tremens Iocasta vocabat
Ismenen : namque hoc solum moribunda precatur
Vox generi : solum hoc gelidis jam nomen inerrat
Faucibus : exclamant famulæ : tollebat in ora
Virgo manus : tenuit sævus pudor : attamen ire

635. *Dum tuta domus, milesque recedat*. Dan. Put. Petav. *milesque superstes*.

636. *Doricus*. Peloponnesius.

637. *Talia nectebant, subito quum pigra tumultu*. *Talia jactabant* Lang. nonnulli, Petav. et edd. vett. *Talia nectebant* Cantab. Behot. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. Vide Dan. Heinsium ad Clandian. p. 24, *cum nigra tumultu* Exc. Cantab. — *Pigra*. Attonita, ab effeetu.

638. *Receptus*. Ab hostibus liberatus. LACTANT.

640. *Cui manus in plaga, dependet languida*, ete. Put. *defendit*. — *Cui manus in plaga*. Manus enim ad partes eorporis, quæ dolent, solemus ferre.

641. *Exterior elipeo, crinesque a fronte supini*. Edd. vett. *a fronte superni*; Lang. Petav. Behott. 1, 2, Lindenbrog. plerique et Delph. *a fronte supini*. — *Exterior elipeo*. Ad morem priscum allndit, quo dnees in prælio vulnerati, ant oecisi, in clipeo referebantnr. Noster infra v. 732 : « gemina latera inelinantia parma. » Virgilins Æn. X, 506 : « Impositum seuto referunt Pallanta. » Æneid. X, 841 : « At Lausnm socii exanimem super arma ferebant. »

642. *Caramque tremens Iocasta vocabat*. Dan. et Petav. *elaramque tremens*. — Hane Reg. B lectionem habet, Reg. C nostram. ED.

643. *Namque hoc solum moribunda precatur*. Edd. vett. *hanc solam*; Lang. Bnslid. Petav. Behott. 1, 2, Lindenbr. plerique et Delph. *hoc solum*.

646. *Tenuit sævus pudor*. Dan. Put. Pet. *sævos*. — Hane Reg. B leetionem exhibet, Reg. C nostram. EDIT. — *Tenuit sævus pudor*. Vel quia virginibns adspici ab hominibus non lieebat : ut Andromeda apud Ovidium Met. IV, 680 et seqq. Persei eonspectum etiam in extremo periculo vix tulit, « Primo silet illa, nec audet Appellare virum virgo, manibusque modestos Celasset vultns, si non religata fuis-

Cogitur, indulget summum hoc Iocasta jacenti,
Ostenditque offertque: quater jam morte sub ipsa
Ad nomen visus, dejectaque fortiter ora
Sustulit: illam unam neglecto lumine cæli
Adspicit, et vultu non exsatiatur amato.
Tunc quia nec genitrix juxta, positusque beata
Morte pater, sponsæ munus miserabile tradunt,
Declinare genas: ibi demum teste remoto
Fassa pios gemitus, lacrimasque in lumina fudit.
Dumque ea per Thebas, aliis serpentibus ardens
Et face mutata bellum integrabat Enyo.

set. » Vel quia timebat ne, exorto in vultu signo, pudor suus lædi posset. — *Sævus*. Quia hoc solatium amanti negabat.

647. *Summum*. Ultimum. Lact.

649. *Dejecta fortiter ora*. Exc. Fabri Behot. 1, et Venett. *delectaque;* sed in Behot. 1, emendatum *dilectaque;* Behot. 2, habet, *dijectaque*. — *Fortiter ora*. Quum ei diceretur præsens esse Ismene.

650. *Illam unam neglecto lumine cæli*. Put. *illa unam*. — *Illam unam neglecto*, etc. Sic Silv. V, 1, 174 et seq. Abascantii Pietate: « nec sole supremo Lumina, sed dulci mavult satiare marito. »

652. *Positus*. Id est, compositus, seu sepultus, ut apud Horatium, Persium, et alios observare licet.

654. *Genas*. Id est, palpebras. Ennius enim, referente Festo, genas pro palpebris sumsit hocce versu Fragment. ex incertis libris: « Pandite, sulti', genas et corde relinquite somnum. » Cæterum munus illud claudendi oculos mortuorum spectabat ad propinquos ac carissimos parentes.

655. *Fassa pios gemitus, lacrimasque in lumina fudit*. Edd. vett. *in vulnera;* et ita legit Nic. Heins. ad Ovid. Heroid. Epist. XI, 125, *in vulnere* in quibusdam codd. *in lumina* Lang. Buslid. Lips. Petav. Behot. 1, Lindenbr. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *in lumine* Behot. 2, Conf. Theb. III, 130. — *Lacrimasque in vulnera fudit*. Scripti libri: *in lumina fudit;* quod magis ad meum gustum; præcedit enim: « Tunc quia nec genitrix juxta, positusque beata Morte pater, sponsæ munus miserabile tradunt Declinare genas. » Bern.

656. *Per Thebas*. Supple, geruntur. — *Aliis serpentibus*. Recentioribus, quasi priores defecissent.

657. *Et face mutata bellum integrabat Enyo*. Reg. B, *Bellum iterum Enyo* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Et face mutata*. Nova face assumta, priori jam consumta. — *Enyo*. Bellona, cui facem dant poetæ. Vide Theb. V, 155. — *Bellum integrat Enyo*. Senec. Medea vs. 672: « semet dolor accendit ipse, vimque præteritam integrat. » Conf. Incerti Epitom. Ilia-

Arma volunt, primos veluti modo cominus ictus
Sustulerint, omnisque etiamnum luceat ensis.
Eminet OEnides; quamvis et arundine certa
Parthenopæus agat, morientumque ora furenti
Hippomedon proculcet equo, Capaneaque pinus
Jam procul Aoniis volet agnoscenda catervis.
Tydeos illa dies : illum fugiuntque, tremuntque
Clamantem : « Quo terga datis? licet ecce peremtos

dos Hom. vs. 617 : « integratque animum » et vide notat. ad hunc v. Poet. Lat. Min. tom. III, pag. 508. Ed.

658. *Arma volunt, primos veluti modo cominus ictus. Arma volant* Dan. Petav. Behot. 1, et edd. vett. *Arma volunt* Behot. 2; Behot. 1, pro v. l. Lang. Buslid. Vanett. Gronov. Barth. et Delph. *cominus enses* unus Behot. — *Arma volunt.* Cædes at sanguinem spirant, velut jam primum inciperent bellare et pugnare. Vet. Schol. Ex quo scholio, ipsaque rei veritate clarum, perperam facere, qui *volant* hic edendum maluerunt. Et sic Virgil. Æn. XII, 242, « arma volunt fœdusque precantur Infectum. » Barth. Hunc versum expungit Guyetus cum quinque sequantibus.

659. *Omnisque etiamnum luceat ensis.* In eodem Behot. codice : *etiamnunc.* — *Luceat ensis.* Nullo sit fœdatus sanguine.

660. *OEnides.* Tydeus.

661. *Morientumque ora furenti.* Edd. vett. *ora furentis.*

662. *Hippomedon proculcet equo.* Optimus Barth. *propulset* equo.

664. *Tydeos illa dies : illum fugiuntque, tremuntque.* Put. *illum feriuntque premuntque.* — Nihil mutandum hoc loco, nec consentiunt libri meliores uni ex Lindenbrogianis, qui præfert, *feriuntque premuntque.* Contrariam enim his verbis sententiam ingerit Papinius; nimirum quos cominus aggressus sit Tydeus, illos fugere; qui eminus clamantem audierint, tremere vocem hominis. De magno clamore et fremitu horum Heroum multis Nuncius apud Æschylum. Barth. — *Tydeos illa dies.* Veteres olim dies illos, quibus aut singularem quamdam voluptatem receperant, aut alias memorabile ac gloriosum facinus ediderant, *suos* appellabant. Unde formula : *Hic meus est dies.* Cornelius Severus apud Senecam Rhet. Suas. II, de militibus epulantibus : « Stratique per herbam, Hic meus est, dixere, dies. » Martial. lib. X, Epigr. 58, 7 et seq. « Hic mihi, quando dies meus est, jactamur in alto Urbis, et in sterili vita labore perit. » Seneca Medea act. V, 1016 et seq. « Perfruere lento scelere : ne propera, dolor; Meus dies est; tempore accepto utimur. » Huic formulæ finitima est appellatio « Fortunæ hujusce diei. » De qua Plinius Hist. Nat. XXXIV, cap. 8 : « Fuit, inquit, et alius Pythagoras Samius, cujus signa ad ædem Fortunæ hujusce diei sunt seminuda. »

Ulcisci socios, mœstamque rependere noctem.
Ille ego inexpletis solus qui cædibus hausi
Quinquaginta animas : totidem, totidemque gregati
Ferte manus : nulline patres, nulline jacentum
Unanimi fratres? quæ tanta oblivia luctus?
Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas !

666. *Mœstamque rependere noctem*. Qua scilicet illos, qui sibi Argos revertenti insidias struxerant, interfecit. Vide Theb. II.

667. *Ille ego inexpletis*, etc. Hic versus sequensque nothi videntur Guyeto. — *Inexpletis cædibus*. Quia sua virtus par erat aliis militibus, nec tam pauciores cædes suam fortitudinem explere vel exhaurire potuerunt. Confer notata ad Theb. III, 536; tom. præced. pag. 331, Ibi hunc versum adduximus. — *Cædibus hausi*. Sic. Theb. X, 314: « Tagus haurit Ethecli Terga coronati. » Ovid. Met. V, 126: « hærenti latus hausit Abas. » Haurire, confodere seu transigere latus dixit jam Lucret. V, 1323 ex Homerico *ἀφύσσω*. Exempla multa hujus locutionis e poetis et historicis collegit Drakenb. ad Sil. Ital. V, 525 quæ invenies ad ejusdem poetæ lib. I, 392; nost. ed. t. I, p. 50. Ed.

668. *Totidemque gregati*. Dan. Petav. Lindenbrog. plerique et Gevart. *gregatim;* Behott. 1, 2, Petrens. Cantab. Amstel. Gron. Barth. et Delph. *gregati*.

669. *Nulline jacentum*. Lang. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. et edd. vett. *nullique jacentem;* Behott. 1, 2, Amstel. Gron. Barth. et Delph. *nulline jacentem*.

670. *Unanimi fratres*. *Unanimes fratres* Dan. Petav. Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Unanimi fratres* Behott. 1, 2, Petreus. Cantab. et omnes Barthiani, cum edd. Gronov. Barth. et Delph.

671. *Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas*. *Quam pudet Inachidas* unus Behot. *contemtum* Dan. Petav. et edd. vett. *contentum* Put. et Behott. 1, 2. — *Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas*. Hic versus etiam spurius videtur Guyeto. — *Contentum*. Quasi dicat Tydeus, pudet pigetque contentum cæde illorum quinquaginta insidiatorum discessisse. Debui protinus redire Thebas, ipsumque regem aggredi, urbemque invadere facile fuisset; quando non alios propugnatores illis residuos feceram, quam quorum ignaviam jam experimur. Noster Theb. XI, 27 et seqq. « ut cum Massyla per arva Armenti reges magno leo fregit hiatu, Et contentus abit. » Aliæ editiones habent *contemtum*: cujus etiam sensus optimus; quasi queratur Tydeus, quod tunc temporis contemtus fuisset ab Eteocle, nec eam de ipsius fortitudine opinionem concepisset quam debuerat, quum quinquaginta armatos ad ipsum vincendum ac interficiendum sufficere putavit. — *Mycenæ*. Urbs Argolidis. Hodie, *S. Adriani Fanum*, vel *Charia* vel *Aglos-Adrianos*. Ed.

Hinc super Thebis? hæc robora regis? ubi autem
Egregius dux ille mihi? » simul ordine lævo
Ipsum exhortantem cuneos, capitisque superbi
Insignem fulgore videt : nec segnius ardens
Accurrit, niveo quam flammiger ales olori
Imminet, et magna trepidum circumligat umbra.
 Tunc prior : « Aoniæ rex o justissime gentis,
Imus in arma palam, tandemque ostendimus enses?
An noctem et solitas placet exspectare tenebras? »
 Ille nihil contra; sed stridula cornus in hostem
It referens mandata ducis, quam providus heros
Jamjam in fine viæ percussam obliquat, et ipse
Telum ingens avide, et quanto non ante lacerto
Impulit : ibat atrox finem positura duello
Lancea : convertere oculos utrimque faventes
Sidonii Graiique Dei : crudelis Erinnys
Obstat, et infando differt Eteoclea fratri.
Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit, ubi ingens

672. *Hinc super Thebis.* Talesne, et tam ignavi Thebanis supersunt?

673. *Egregius.* Ironice. — *Dux.* Eteocles.

674. *Capitisque superbi Insignem fulgore.* Id est, regio diademate.

676. *Accurrit.* *Occurrit* unus Behot. — *Flammiger ales.* Aquila, quæ fulmen gerit.

678. *Aoniæ.* Thebanæ. — *Rex o justissime.* Ironice.

679. *Imus in arma palam.* *Imus ad arma* in quibusdam codd. sed vide Nic. Heins. ad Ovid. Heroid. Epist. III, 136. — *Imus in arma palam.* Tangit occulte, quod illi insidiatus sit. Ovid. Am. I, El. 9, 35 : « Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma. »

680. *An noctem*, etc. *A noctem* optimus et alter Barthii. — *An noctem.* Exprobrat illi insidias.

685. *Ibat atrox finem positura duello.* Dan. Petav. Buslid. Lips. et edd. vett. *finem impositura duello*; Behott. 1, 2, Amst. Gron. Barth. et Delph.

688. *Et infando differt Eteoclea fratri.* Quod tandem perfecit, ut videbimus Theb. XII. Fratres enim mutuis se vulneribus conciderunt.

689. *Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit, ubi ingens*, etc. *Cuspis in armiferum* unus Behot. *ibi ingens* Lang. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Barthiani, et Venett. — *Peccavit.* Elocutio speciosissima, quæ hoc significat : cuspis missa in Eteoclem peccavit in perniciem Phlegiæ, quem percussit.

Pugna virum : stricto nam sævior irruit ense
Ætolus, retroque datum Thebana tegebant
Arma ducem : sic densa lupum jam nocte sub atra
Arcet ab apprenso pastorum turba juvenco :
Improbus erigitur contra ; nec cura vetantes
Impetere, illum, illum, semel in quem venerat, urget.
Non secus objectas acies, turbamque minorem
Dissimulat, transitque manu : tamen ora Thoantis,
Pectora Deilochi, Clonii latus, ilia torvi
Perforat Hippotadæ : truncis sua membra remittit
Interdum, galeasque rotat per nubila plenas.
Et jam corporibus sese, spoliisque cadentum
Clauserat : unum acies circum consumitur; unum
Omnia tela vovent : summis hæc ossibus hærent;
Pars frustrata cadunt, partem Tritonia vellit,
Multa rigent clipeo : densis jam consitus hastis

691. *Thebana tegebant.* Multi codd. et edd. vett. *regebant;* Behott. 1, 2, Lang. Buslid. et Lips. *tegebant.*

692. *Nocte sub atra.* In qua est molitus occidere. LACTANT.

693. *Arcet ab apprenso. Arcet ab oppresso* Behot. 1, Dan. Pet. Lang et Buslid. *Arcet ab apprẽso*, vel *apprenso* Lipsian. Behot. 2, Amst. Gronov. Barth. et Delph. *Arcet ab imprenso* optimus Barthii; *Arcet ab impresso* alter ejusdem.

698. *Clonii.* Alii legunt *Chthonii.*

699. *Perforat Hippotadæ : truncis sua membra remittit. Hippodatæ* Put. *sua membra cruentat* nonnulli Barthiani.—*Truncis sua membra.* Id est, sua capita.

700. *Galeasque rotat.* Abscissis scilicet capitibus. — *Plenas.* Capitibus eorum, quibus amputaverat.

702. *Unum acies circum consumitur.* Sic Theb. III, 17 : « heu segnes quorum labor hæret in uno. »

703. *Omnia tela vovent. Omnia tela movent* Behot 2, sed correctum *vovent;* Dan. Put. Petav. habent etiam *movent.* — *Summis hæc ossibus hærent*, etc. Omnia adulterina hæc Guyeto, quare τὸ *vovent* præcedens cum τῷ *densis* connectendum putat.

704. *Partem Tritonia vellit.* « Omnino scribendum cum duobus melioribus codd. *Tritonia pellit.* » BARTH. — *Tritonia.* Pallas.

705. *Densis jam consitus hastis.* Put. *constitit hastis.* — *Densis jam consitus.* Lucanus pulchre Pharsal. VI, 201 et seqq. « stat non fragilis pro Cæsare murus, Pompeiumque tenet. Jam pectora non tegit armis, Ac veritus credi clipeo, lævaque

Ferratum quatit umbo nemus, tergoque fatiscit
Atque humeris gentilis aper : nusquam ardua coni
Gloria, quique apicem torvæ Gradivus habebat
Cassidis, haud lætum domino ruit omen : inusta
Temporibus nuda æra sedent, circumque sonori
Vertice percusso volvuntur in arma molares.
Jam cruor in galea, jam saucia proluit ater
Pectora permixtus sudore et sanguine torrens.
Respicit hortantes socios et Pallada fidam,

vacasse, Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli Solus obit, densamque ferens in pectore silvam Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem. » Barth.

706. *Ferratum quatit umbo nemus.* Umbonem sumi pro clipeo diximus ad Thebaid. I, 377 (conf. tom. præced. pag. 73. Ed.). *Ferratum* vero *nemus* vocat ob multitudinem bastarum Tydei clipeo infixarum. — *Tergoque fatiscit.* Et hoc suspectum Guyeto a τῷ *tergo* usque ad τὸ *circum* vs. 710.

707. *Gentilis aper.* Vide Theb. I, 488 et seq. ubi Tydeus describitur indutus pelle apri Calydonii : « Terribiles contra setis, ac dente recurvo, Tydea per latos humeros ambire laborant Exuviæ, Calydonis honos. » — *Gentilis.* De ea gente, unde erat Tydeus, id est, Calydonius. Et hic *aprum* pro pelle apri ponit, ut Papinio frequens est.

708. *G. quique apicem torvæ*, etc. *Gloria quippe apicem* Lang. Laur. plerique et Gevart. *quique apicem* Venett. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. probante Barthio. Ita Nic. Heinsius in Advers. lib. II, cap. 9, et conjectabat Andreas Schottus Obss. lib. II, cap. 45. Idem Heinsius l. l. pro *torvæ* legendum putat *Ætolæ.* — *Quique apicem torvæ Gradivus habebat Cassidis.* Supra Thebeid. IV, 111: « patrius stat casside Mavors. »

709. *Haud læt. d. ruit om. inusta.* Dan. Put. Petav. *inulta.* — *Haud lætum domino ruit omen.* Quasi destitutus fuisset Martis patrocinio.

711. *Volvuntur in arma.* De capite in scuta cadebant. Lact.

712. *Jam cruor in galea, jam saucia proluit ater.* « Minime conturbanda videtur hæc scriptura, quæ clara sit, et nullibi hæreat. At prodenda tamen simul optimi libri longe alia : *Jam cruor in galeam scandit, jam proluit ater Pectora.* » Barth. — *Jam saucia proluit ater,* etc. Ut apud Sil. Ital. Pun. XVII, 299 : « Gracchusque cadens tibi proluit ensem. » Vid. not. nost. ed. tom. II, pag. 368. Ed.

714. *Resp. hort. s. et Pallada fidam.* Unus Behot. *et pallida.* — *Respicit hortantes socios.* Nihil in auxilium suum agentes, præter exhortationum verba ; nam Dii bellici eum relinquebant. — *Fidam.* Ut in conflictu cum quinquaginta, et deinceps hac pugna. Vet. Schol.

Longius opposita celantem lumina parma :
Ibat enim magnum lacrimis inflectere patrem.
Ecce secat Zephyros ingentem fraxinus iram
Fortunamque ferens : teli non eminet auctor.
Astacides Menalippus erat ; nec prodidit ipse,
Et vellet latuisse manum : sed gaudia turmæ
Monstrabant trepidum : nam flexus in ilia Tydeus
Submissum latus, et clipei laxaverat orbem.
Clamorem Aonii miscent gemitumque Pelasgi,
Objectantque manus, indignantemque tuentur.
Ille per oppositos, longe rimatus, amarum,
Astaciden, totis animæ se cogit in ictum
Relliquiis, telumque jacit, quod proximus Hopleus
Præbuerat : perit expressus conamine sanguis.
Tunc tristes socii cupidum bellare, (quis ardor!)

715. *Celantem lumina parma.* Ne Tydeum morientem videret.

716. *Inflectere.* Erga Tydeum.

717. *Ecce secat Zephiros*, etc. Virg. Æneid. IV, 257 de Mercurio « Litus arenosum Lybiæ, ventosque secabat. » Claud. XXXIII de Rapt. Pros. lib. I, v. 92 : « proscinde Notos : » ad quem vid. not. nost. ed. tom. II, pag. 195. Ed.

718. *Teli non eminet auctor.* In eodem Behot. codice : *non imminet actor.* — *Non eminet auctor.* Non est ausus gloriari Menalippus, se auctore interemptum Tydea. Lact.

719. *Menalippus.* Observandum est, Tydeum, qui fratrem Menalippum occiderat, ab alio Menalippo occisum fuisse.

720. *Et vellet latuisse manum : sed gaudia.* Reg. B, *Et v. l. manum et gaudia turmæ* habet ; Reg. C nost. lect. Ed.

722. *Et clipei laxaverat orbem.* *Il s'était ouvert en se tournant.* Guyetus. Id est, sublato clipeo dum flexus esset in ilia, latus aperuerat. Laxatur clipeus, quum pectori aut lateri non satis appressus locum vulneri aperit. Peyrar.

723. *Clamorem Æonii miscent*, etc. *Aonii tollunt* Aldd. Colin. Basil. Lindenbrog. et Gevart. *Aonii miscent* Lang. Buslid. Lips. Dan. Petav. Behott. 1, 2, Petrens. Cant. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. — *Clamorem*, etc. Hic versus et sequens spurii videntur.

725. *Amarum.* Ab effectu, quia ille letale vulnus intulerat.

727. *Quod proximus Hopleus.* *Hopplus* unus Barthii codex ; *Oppheus* optimus ejusdem.

729. *Quis ardor.* Exclamatio per interpositionem et rem magnam faciens, ut habet Vet. Scholiast. Sic Theb. VII, 779 et seq. « Olim te, Cyrrhæe pater, peritura sedentem

Et poscentem hastas, mediaque in morte negantem
Exspirare, trahunt, summique in margine campi
Effultum gemina latera inclinantia parma
Ponunt, ac sævi rediturum ad prælia Martis
Promittunt flentes : sed et ipse recedere cælum,
Ingentesque animos extremo frigore labi
Sensit, et innixus terræ, « Miserescite, clamat,
Inachidæ : non ossa precor referantur ut Argos,
Ætolumve larem : nec enim mihi cura supremi
Funeris : odi artus, fragilemque hunc corporis usum
Desertorem animi : caput, o caput, o mihi si quis
Apportet, Menalippe, tuum ! nam volveris arvis :

Ad juga (qois tantos miseris honor) axe trementi Sensimus.

730. *Et poscentem hastas, mediaque iu morte negantem. Et poscentem hastam* oous Behot. *in morte jacentem* Dao.

732. *Gem. lat. inclin. parma.* Reg. B, *palma* cum litera *r* suprascripta habet; Reg. C nostram lectiooem. Eo. — *Gemina latera inclinantia parma.* Vide supra vs. 640.

733. *Ac sævi rediturum ad prælia Martis.* Laog. Boslid. Aldd. Colin. Basil. et Plaot. *ad præmia*; Dao. Petav. Lipsiao. Lindenbrog. et recentt. *ad prælia*; Behott. 1, 2, *in prælia.*

734. *Sed et ipse recedere cælum.* Put. *sed et ipsum.* — Hanc Reg. B præbet lectionem, Reg. C nostram. Eo. — *Recedere cælum.* Oculis scilicet jam deficieotibus : nam ea recedere credimus, quæ non bene cernimus.

737. *Non ossa precor referantur ut Argos.* Unus Behot. *referantur ad Argos* — *Non ossa precor.* Non quæro ut membra mea honoreut patriam sepolturam : non ut ossa tnmulo humata serventur. Odi enioi corpus, quod spiritum virorum fortium pugnantium deserit. Lact.

738. *Ætolumve larem. Ætolumque larem* Behott. 1, 2, *cura suprema* Behott. 1, 2, et Lipsian. — Verha furentis Tydei sic vertit *Cormiliole* « Ayez pitié de moi, Compagnons ! je n'exige pas que vous reportiez mes cendres à Argos ou daos l'Etolie. Eh ! qu'importe à Tydée qoe vous fassiez ses funérailles ? je hais ces membres, ce corps fragile qoi ont si mal servi mon courage ! O Méoalippe.... ! Si qoelqu'un m'apportait ta tête ! ta tête odieuse ! car, j'aime à le croire, tu roules dans la poussière : le deroier effort de mon bras n'a pas trompé mon espoir. Va, cours, ô Hippomédoo ! Si tu sens booillonner dans tes veines le sang d'Atrée. Toi, jeooe Parthénopée, déja héros par tes premiers exploits, vole ! Et toi aussi, Capanée, ô le plus vaillant des Grecs. » Eo.

Fido equidem; nec me virtus suprema fefellit.
I, precor, Atrei si quid tibi sauguinis unquam,
Hippomedon: vade, o primis puer inclyte bellis
Arcas, et Argolicæ Capaneu jam maxime turmæ. »
Moti omnes: sed primus abit, primusque repertum
Astaciden medio Capaneus e pulvere tollit
Spirantem, lævaque super cervice reportat,
Terga cruentantem concussi vulneris unda.
Qualis ab Arcadio rediit Tyrinthius antro,
Captivumque suem clamantibus intulit Argis.

742. *Nec me v. suprema fefellit.* Put. *suprema repellit.* — Hanc lectionem Reg. B exhibet, Reg. C nostram. Ed. — *Nec me virtus suprema fefellit.* Scio enim me certa in Menalippum tela torsisse.

743. *I, precor, Atrei si*, etc. *I precor Archadii* Lipsian. *Arcadii* Dan. Petav. Venett. *Argivi* Behot. 1, *Atrei* Lang. Laur. Buslid. et Behot. 2, *Astrei* Behot. 2, pro v. l. — *Atrei*. Hippomedon enim genus referebat ad Atreum Pelopidasve. Adrasti filius erat, et Nealeis maritus. Vide quæ jam de illo antea diximus. Ed.

745. *Arcas*. Parthenopæus. — *Jam maxime turmæ.* Me scilicet exstincto, Capaneus erit inter argolicos bellatores primus, et Parthenopæus secundus. Ed.

747. *Capaneus e pulvere tollit.* *Capaneus ex pulvere* unus Behot.

749. *Terga cruentantem.* *Terga cruentatum* Aldd. Colin. et Basil. Bernartius correxit ex codd. suis. — *Terga cruentantem*. Capanei scilicet. — *Vulneris unda.* Coploso fluxu. Virg. Æneid. IX, 70: « reddit specus atri vulneris undam Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit. » Idem elegantissime de fumo Æneid. VIII, 257 et seq. in historia Caci: « qua plurimus undam Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra. » Barth.

750. *Qualis*, etc. Alludit ad fabulam, qua dicitur Hercules vivum cepisse aprum Erymanthium, et Argos ad Eurystheum detulisse. Aper autem ille lustrum habebat in antro quodam Erymanthi Arcadiæ montis, unde *Arcadio*. Virg. Æneid. VI, 803: et ibi not. pag. 198, tom. III, edit. nostræ. Ed.

751. *Captivumque suem clamantibus intulit Argis.* Citat hunc versum Sulpitius Severus; in cujus tamen libris veteribus et editis constanter legitur: *mirantibus intulit Argis*. Claverius ad Claudian. legit: *Grandævumque suem*; qui notis ad Martial. Spectacul. Epigr. XXIII, τὸ *mirantibus* sibi etiam in scriptis libris repertum dicit. De hac lect. vid. not. ad v. 117 Nemes. in Laud. Hercul. Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. I, pag. 304. Ed. — *Clamantibus*. Cum admiratione faventibus. Lactant.

Erigitur Tydeus, vultuque occurrit, et amens
Lætitiaque, iraque, ut singultantia vidit
Ora, trahique oculos, seseque agnovit in illo:
Imperat abscisum porgi, lævaque receptum
Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis
Lumina torva videns, et adhuc dubitantia figi.
Infelix contentus erat: plus exigit ultrix
Tisiphone: jamque inflexo Tritonia patre
Venerat, et misero decus immortale ferebat;
Atque illum effracti perfusum tabe cerebri
Adspicit, et vivo scelerantem sanguine fauces.
Nec comites auferre valent: stetit aspera Gorgo

752. *Vultuque occurrit.* Quia retentus vulnere non potuit toto corpore sublevari. LACTANT.

754. *Trahique oculos.* Id est, oculi nervis quasi tortis et torpentibus exstinguuntur, ut fit in morte.

755. *Imperat abscisum porgi. Imperat abscissum* Lang. Busl. Lips. Dan. Petav. et edd. vett. — *Porgi.* Pro porrigi. Noster Silv. II, 1, 205, Glaucia Atedii « porxit flores. » Cicero in Aratæis « dextram porgens. » Virgil. Æneid. VIII, 274: « pocula porgite dextris. » Aliique poetæ. Sic et *surpuit* apud Horatium. Plenus horum Catullus. Valerius Flaccus, Argon. II, 656; « prima duci *porgens* carchesia Graio; » pariter pro *porrigens*, propter metrum. ED.

756. *Gliscitque tepentis lumina torva videns.* Adi not. in hunc versum. Poet. Lat. Min. tom. II, pag. 327, nost. edit. ubi *gliscere* significat *exultare*, *efferri;* hic irascendo in majus accenditur. ED.

757. *Dubitantia figi.* Quia his, quibus mors recens est, oculi videntur errare. LACTANT.

759. *Tisiphone: jamque inflexo Tritonia patre. Tesiphone* Behott. 1, 2, *namque inflexo* Aldd. Colin. et Basil. *iamque inflexo* correxit Bernartius ex codd. — *Jamque inflexo Tritonia patre Venerat, et misero decus immortale ferebat.* Refert Apollodorus Minervam immortalitatis donum a patre pro Tydeo obtinuisse, sed ut hunc caput Menalippi mandentem vidit, indignatam recessisse, nec ei beneficium hoc contulisse. — Eamdem nefandæ atrocitatis imaginem adumbravit DANTE, *Inferno*, lib. XXXIII, et sceleratissimam ipsius Tydeī vindictam memorat, lib. XXXII, vs. 130; cujus et meminit Petrarca. ED.

763. *Nec comites auferre valent: stetit aspera Gorgo. Gorgon* Lang. Laur. Buslid. Lips. Dan. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. et plerique. *Gorgo* Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. — *Nec comites auferre valent.* Non valent Tydeo caput tollere Menalippi. LACTANT. — *Stetit aspera Gorgo.* Caput Medusæ,

Crinibus emissis, rectique ante ora cerastæ
Velavere Deam : fugit aversata jacentem,
Nec prius astra subit, quam mystica lampas, et insons
Ilissos multa purgavit lumina lympha.

quod in medio thorace gestabat.

764. *Cerastæ*. Cerastes serpentis genus. Cæterum nihil notius, Medusam loco crinium serpentes in capite habuisse.

766. *Mystica lampas*. Hæc est, lustralis tæda, Græcis *δᾶς ἁγνὴ*, *ἡ ἁγνίζουσα*. Purgabantur enim Veteres, si quo piaculo polluti erant, igne, sulfure, et aqua. Ulysses apud Homerum Od. XXI : post cædem procorum, lustrari ædes jubet sulfure et igne : *Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ, Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.* « Affer, anus, mihi sulfur remedium malorum, affer mihi et ignem, ut sulfure lustrem domum. » Clemens Alexandrinus lib. VII, Stromatum inter *καθάρμους ἀκαθάρτους* impura piacula numerat *ἔρια πυῤῥὰ καὶ δᾷδας*, et citat Satiricos versus Diphili de expiatione filiarum Prœti : *Προιτίδας ἁγνίζων κούρας καὶ τὸν πατέρ' αὐτῶν Προῖτον Ἀβαντιάδην, καὶ γραῦν πέμπτην ἐπὶ τοῖσδε, Δᾳδὶ μιᾷ, σκίλλῃ τε μιᾷ, πόσα σώματα φωτῶν, Θείῳ τ' ἀσφάλτῳ τε, πολυφλοίσβοιο θαλάσσης Ἐξ ἀκαλαῤῥείταο βαθυῤῥόου Ὠκεανοῖο.* « Prœtidas expurgantem, et earum Parentem Prœtum Abantiadem, et anum quintam super illis, tæda una, scilla una, quot corpora hominum, sulfureve ac bitumine, et unda frementis et profundi Oceani » Ovid. Metam. VII, 261 : « terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure purgat. »

767. *Ilissos multa purgavit lumina lympha. Elysis multa* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Elisos multa* Bebot. 1, Lang. Laur. Busl. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Elisos* et *multa* Bebot. 2, *Ilissos multa* Gron. Barth. Veen. et Delph. et defendit Gronovius in Obss. lib. IV, cap. 9. — *Ilissos*. Ilissos Atticæ fluvius : gallice *l'Ilisse*. — *Multa purgavit lumina lympha*. Visu enim solo contrahi labes putabatur; idcirco procinctam classem videre Flamini Diali non erat permissum, et qui funeri interfuerant aqua lustrabantur. Pollux lib. VIII; Joseph. Antiq. IV; Virg. Æn. VI, 229 et sqq. ubi vid. nost. ed. t. III, p. 126. Ed.

EXCURSUS

VEL

NOTÆ AMPLIORES

AD LIBRUM OCTAVUM

THEBAIDOS.

Vers. 30. Styx *perjuria Divum Arguit.* Sanctissimum Diis jusjurandum per Stygem poetas fingere, lippis et tonsoribus notum : non perinde vulgatum, quæ pœna proposita iis, qui per aquam Stygiam pejerassent : tradidit eam Hesiodus in Theogonia, cujus versus non adscribam, sed sensum. Sententia vero hæc est : Si quis Deorum cælestium perjurarit per aquam Stygis, toto integro anno nectare et ambrosia abstinere debet, humi jacet, mutus et lethargo oppressus. Post annum, majora illum manent supplicia : nam per novem annos in exsilium pellitur, procul a Deorum cœtu ablegatur. Decimo demum anno pristinam conditionem recipit. Hæc ille. Cæterum cur hic honos Stygi tributus sit, varie traditur. Isacius voluit, quia Styx conjurationem Deorum adversus Jovem, illum vincire volentium, patefecerit : alii quia Stygis filiæ, Victoria, Vis, Robur, Zelus, Jovi adversus Titanas opem tulissent. Bern.

58, 59. *Vidi egomet blanda inter carmina turpes Eumenidum lacrimas, iterataque pensa sororum. Eumenidum lacrimas.* Orpheus Thrax peritissimus fuit citharæ : is Eurydicen conjugem unico dilexit affectu, quæ quum Aristæum, Eurydicis Nymphæ filium, pudicitiam suam attrectare cupientem fugeret, calcato serpente peremta est. Hoc cum immoderate doleret Orpheus, confisus peritia citharæ, inferorum secreta perrupit, cujus cantus dulcedina ac miseratione ingentis, manes deposita feritate Orpheo conjugem reddiderunt. Dicit ergo nunc Pluto, turpes vidisse se lacrimas Eumenidum : turpes ideo quia contra inferorum legem misericordia lacrimæ fundebantur. — *Iterataque pensa.* Propter reditum Eurydices, cui concesserant Parcæ, ut denuo viventis fata pensis novis traderent. Lactant.

102. *Scit judicis urna.* Quam fabulam respiciat, nullus ignorat. Verum origo fabulæ non omnibus innotuit. Omnis enim hæc de urna Minois fictio, ex Veterum more nata, qui ut pleraque sortibus decernebant, ita a judiciis etiam sortes non repellebant. Cicero in Verrem, Act. II, lib. II, cap. 17 : « Quod ab eo pridie, quum multis lacrimis eum

oraret, impetrare non potuerat; id ei postero die venit in mentem, e lege Rupilia sortiri dicas oportere. Eduxit ex urna tres; iis ut absentem Heraclium condemnent, imperat: itaque condemnant.» Horatius, lib. I, Sat. 1, 47: «Cervias iratus leges minitatur et urnam.» Bern.

198. *Et intonsi cludet penetralia Branchi.* Branchus Apollinis est filius, et ipse futurorum peritissimus Deus: ut ipse alibi, Theb. III, 479: «patrioque æquatus honore Branchus.» (De quo loco vide Excursum 478 ad calcem libri III, tom. præced. pag. 359. Ed.) Varro Divin. Rerum de Brancho ita refert: «Olus quidam decimus ab Apolline, quum in peregrinatione pranderet in litore, ac deinde proficisceretur, oblitus est filium nomine Simerum, qui pervenit in saltum Patronis cujusdam, et quum esset receptus, cœpit cum suis pueris capras pascere. Aliquando prehenderunt cygnum, et illum veste cooperuerunt, dumque ipsi pugnant uter illum patri munus offerret, et essent fatigati certamine, rejecta veste mulierem invenerunt. Et quum fugerent, revocati ab ea moniti sunt, ut Patron unice Simerum diligeret puerum: illi quæ audierunt Patroni indicarunt. Tunc Patron Simerum pro filio suo nimio dilexit affectu, eique filiam suam ducendam locavit uxorem. Illa quum prægnans ex eo esset, vidit in somniis per fauces suas introiisse solem, et exisse per ventrem: ideo infans editus Branchus vocatus est, quia mater ejus per fauces sibi viderat uterum penetrasse. Hic quum in silvis Apollinem osculatus fuisset, comprehensus est ab eo, et accepta corona virgaque vaticinari cœpit, et subito nusquam comparuit. Templum ei factum est, quod Branchiadon nominatur: et Apollini Philesio pariter consecrata sunt templa, quæ ab osculo Branchi, sive certamine puerorum, Philesia nuncupantur.» Hæc Varro.

199. *Nec Clarias hac luce fores.* Et apud Clariam et apud Didymæam oraculum Apollinis fuit: quod autem ambos colant Apollinem et Dianam, ideo *Clarii* vocabulo nuncupantur, ut Virgilius, Æneid. III, 360, «Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis.» Lycia autem Asiæ civitas Apollinis sedes, quam post Amphiarai interitum dicit esse tacituram: de qua Virgilius ait Æneid. IV, 143: «Qualis ubi hybernam Lyciam.» Claria ergo civitas est in qua tres Dii, id est, Jupiter, Neptunus, et Pluto, mundum dicuntur fuisse sortiti: in hac Apollo mortalibus oracula maxime dare consueverat. Lactant.

657. .....*soceros nec tristibus actis Adversatus erat) sponsam.... Soceros.* Tantæ constantiæ erat hic Atys, ut licet regnum et familiam OEdipi infortunia multa concuterent, non deseruerit tamen amorem sponsi. Vet. Schol. — *Nec tristibus actis Aversatus erat sponsam.* Nox in hac sententia, cujus tenebras qui penetrare possis non video, nisi vocibus paullum compositis et correctis: *socerum nec tristibus actis, Aversatus erat sponsam.* Sensus: Atym non sprevisse Ismenem, ob OEdipi et Jocastæ facinora. Bern.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM

CARMINIBUS DESCRIPTUM.*

Œnidæ interitu magni Dircæa juventus
Eminet: at Danai contra pro corpore amici
Arma ferunt: furit ante alios Cadmeius heros.
Hic ferus Hippomedon hostes prosternit: et instat
Exanimum rapiens socium: sed imagine falsa
Luditur. Aonii incumbunt, retrahuntque cadaver.
Tum Ismenon fluvium Thebano sanguine mutat
Fervidus Hippomedon: tumidoque in gurgite mersus
Crenæum obtruncat, moriens simul increpat amnem.
Moxque Dryas mortis stimulis rapit arma superbus,
Parthenopæum sternit jacientem tela Dianæ.
Ille cadens Dorceum alloquitur, matremque requirit.

* Hoc Argumentum legitur in Behott. 1, 2, uno Barth. Put. Venett. Rom. Lind. Cruc. et Barth. — Hoc Argumentum quod non habet Reg. B, præbet Reg. C. Ed.

1. *Œnidæ*. Codd. Behott. habent: *OEnide*.

2. *At Danai*. Behot. 1, et *Danai*.

5. *Exanimum*. Behott. 1, 2, *exanimem*.

7. *Tum Ismenon fluvium*. *Hismena tunc fluvium* codex Barthii; *Tunc Hismenon fluvium* unus Behot.

9. *Crenæum obtruncat, m. sim. inc. amnem*. *Crenea* Behot. 1, *Creneam* in cæteris. — *Agmen* pro *amnem* exhibent Behott. 1, 2.

10. *Mortis*. *Martis* pro *mortis* in iisdem Behott. codd.

11. *Parthenopæum jacentia tela;* vulgo. *Parthenopea sternit* Behot. 1, *Partopea sternit* Behot. 2, *Parthenopæum sternit* in cæteris omnibus; sed *Parthenopæum* quasi tetrasyllabon posuit Auctor. Behott. 1, 2, *jacentem tela;* unus Barth. *jacientem tela;* quod admisi. Ed.

12. *Dorceum*. *Dorcum* codex Barth. *Dorcen* Behott. *Dorceum*, quod cæteri exhibent, dissyllabon legendum.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Tydei feritas, Argivis ipsis invisa, Thebanis summum horrorem incutit; 1—11. Hanc occasionem arripit Eteocles suos animandi, ne iis parcerent, qui omnem humanitatem exuerant; 12—31. Interim Polynices, Tydei cæde efferatus, sibi ensem supra corpus amici per medium pectus adigere vult, sed retinetur ab Adrasto, et longe submovetur; 32—85. Thebani, verbis Eteoclis accensi, spoliis et corpore Tydei potiri enituntur: Hippomedon illa defendenda suscipit; 86—94. Hic atrox pugna, et Thebani incepto desistere coacti fuissent, nisi Tisiphone, sumto noti Argivi vultu, accurrisset, Hippomedonti referens Adrastum a Thebanis captum opem ipsius implorare; 95—164. Hæret Hippomedon, sed, urgente Tisiphone, Tydei corpus sociis defendendum committit, illamque sequitur; 165—170. Quum vero falsi Argivi vestigiis diu insistendo, ad locum ubi erat Adrastus, pervenisset, se prodens Furia subito evanescit; et ille Adrastum liberum et incolumem videt; 171—176. Interea Thebani corpus Tydei in suam potestatem redigunt, quod magnis clamoribus significant; 177—195. Hinc ferocior Hippomedon cito regreditur, et obviam habens Tydei Armigerum, qui equum domini mœstus tenebat, in hunc insilit, et Thebanos acriter oppugnat; 196—224. Hi fuga capta in Ismenum fluvium solito pleniorem se promiscue injiciunt;

225—231. Saltu majore se præcipitans Hippomedon, hos per medias undas attonitos urget, et magnam hostium cædem facit; 232—283. Equo graviter vulnerato desilit, et pedes pugnam repetit, medium flumen humeris snperans; 284—301. Plurimos adhuc, et inter eos, Crenæum Fauno et Nympha Ismenide Ismeni fluvii filia genitum, in avitis aquis gloriantem interficit; 302—350. Quum lamenta Ismenidos ob mortem filii ad Ismenum pervenissent, undas inflat, quibus submersus fuisset Hippomedon, nisi Juppiter flexus Junonis precibus, quæ eum, ne tantus Heros, sibique carus hoc genere mortis periret, fuerat deprecata, oculos in amnem flexisset; quo statim ejus aquæ concidunt; 351—525. Sed Hippomedon ad ripam accedens, ibi Thebanorum telis sagittisque confoditur; 526—539. Hypseus mortuo galeam et ensem detrahit; 540—545. Capaneus Hypseum hasta perimit, potitusque ejus et ipsius Hippomedontis exuviis, utrasque supra corpns Hippomedontis injicit, et his, velut sepulcro, membra ejus operit; 546—569. Atalanta somniis, quæ nihil boni Parthenopæo filio portendebant, turbata, opem Dianæ, quam religiosissime semper coluerat, invocat; 570—642. Dea in ejus auxilium profecta, offendit Apollinem, qui ei perspicuis verbis declarat, finem vitæ Parthenopæi adesse, ac fata mutari non posse; 643—669. Pergit tamen Diana iter quo cœperat, et in pugnæ locum nube tecta pervenit, nt, si Parthenopæum imminenti exitio non posset eripere, mortem saltem ejus præclaris factis condecoraret; 670—725. Sagittis igitur ex illius pharetra exemtis, divinas substituit, ipsumque ac equum Ambrosio liqnore perfundit; 726—735. Parthenopæus numinis patrocinio ingentia edit facinora, magnamque hostium stragem facit; 736—820. Hoc e cælo Venus intuens, Martem increpat, quod Dianam belli munera obire ac in ipsorum stirpem tamdiu sævire sineret; 821—830. Mars his objurgationibus motus in campum Thebannm desilit, et fugata Diana, Dryantem in Parthenopæum excitat; 831—843. Dryas uno alteroque telo Parthenopæum letaliter vulnerat, et ipse occiditur; 844—876. Extractus acie Parthe-

nopæus, et se mori sentiens, Dorceum ad matrem mittit, qui eam consoletur, eique dicat, se pœnas dare, quod ejus injussu arma cepisset, et suos capillos, quos secandos præbuit, illi ferat, ut his, pro corpore, exsequias daret; 877—907.

ASPERAT Aonios rabies audita cruenti
Tydeos : ipsi etiam minus ingemuere jacentem
Inachidæ, culpantque virum, et rupisse queruntur
Fas odii : quin te, Divum implacidissime, quanquam
Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas,
Offensum virtute ferunt : nec cominus ipsum
Ora, sed et trepidos retro torsisse jugales.
Ergo profanatum Menalippi funus acerbo
Vulnere non aliis ultum Cadmeia pubes

1. *Asperat Aonios. Asperat Aonius* Put. — *Aonios*. Thebanos. — *Asperat Aonios rabies audita cruenti*. Tydeus crudelitatis arguitur, quia caput hostis moribundus absumsit. LACTANT.

2. *Tydeos. Tydeus* in eodem Put. codice.

3. *Inachidæ*. Argivi.

4. *Fas odii*. Odia enim morte exstingui debent. Euripides : « Mors jurgiorum finis est mortalibus : Num majus aliud quid potest leto dari ? » — *Quanquam Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas.* Videtur Papinius hunc Homeri locum imitatus, Iliad. α, 165 : Τὸ μὲν πλεῖον πολυάϊκος πολέμοιο Χεῖρες ἐμαὶ διέπουσι. *Majorem partem tumultuosi belli manus meæ gubernant.*

5. *Præcipuum tunc c. o. Gradive, furebas. Præcipuum tum* unus Behot. *Gradive ferebas* nonnulli Barthiani; *Gradive ferebat* Put. — *Furebas*. Furendo peragebas.

6. *Virtute*. Hic *virtutem* posuit pro feritate seu crudelitate, quam *virtutem* isti milites putabant. Sic impietatem Capanei « virtutem iniquam » vocat Theb. XI, initio. Ita crudelitatem pro *virtute* habuisse Cn. Pompeium scribit Cassius Epist. Fam. Ciceronis XV, 19. BARTH.

7. *Sed et trepidos retro torsisse jugales*. Reg. B, *sed et trepidos alia torsisse jugales* habet; Reg. C nostram. lect. ED. — *Sed et trepidos*, etc. Sicut sol aversatus cœnam Thyestæ, ita tanta immanitas fuit in flagitio Tydei, ut etiam sanguinarium numen nefas horruerit, nec videre voluerit.

9. *Cadmeia pubes. Cadmeia proles* codd. Lindenbrogii. — Hanc

Insurgunt stimulis, quam si turbata sepulcris
Ossa patrum, monstrisque datæ crudelibus urnæ.
Accendit rex ipse super : « Quisquamne Pelasgis
Mitis adhuc, hominemque gerit? jam morsibus uncis
(Pro furor! usque adeo tela exsatiavimus?) artus
Dilacerant : nonne Hyrcanis bellare putatis
Tigribus? aut sævos Libyæ contraire leones?
Et nunc ille jacet (pulchra o solatia leti!)
Ore tenens hostile caput, dulcique nefandus
Immoritur tabo : nos ferrum mite, facesque :
Illis nuda odia, et feritas jam non eget armis.

lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. Eo.

10. *Turbata sepulcris Ossa patrum.* Apud Veteres enim sepulcra majorum in summa veneratione erant; nihilque tam ægre ferebant, quam ea violari, ac vitam profundebant libenter ad ea defendenda.

11. *Urnæ.* Vasa in quibus cineres et ossa mortuorum recondebantur.

12. *Quisquamne Pelasgis.* Supple, ex Pelasgis : non enim dandi casu hic *Pelasgis* sumendum; alias Eteocles suis persuaderet id, quod in Pelasgis seu Argivis tam acriter reprehendit, nimirum hominem exuisse.

14. *Pro furor! usque adeo tela exsatiavimus? Ha furor!* unus Behot. *exaturavimus* Dan. Pet. Laur. Plant. Lindenbrog. plerique et Gevart. *exatiavimus* Behot. 2, *exsatiavimus* Behot. 1, et Petrens.

15. *Hyrcanis Tigribus.* Tigris enim fera truculentissima ac crudelissima. — *Hyrcanis.* Hyrcania regio Asiæ ad Mare Hyrcanum. Hyrcanæ tigres autem, ut ursos Numidas habes apud Juvenalem Sat. IV, 100. Sic « Pœnos leones » dixit Ovidius Trist. IV, Eleg. 6, v. 5; « Ossæam ursam », Met. XII, 319, quomodo et Virgilius in Eclogis et in Ciri. « Gætulos » Plautus Menæchmis, act. V, sc. 2, v. 111, et Horatius, I, Od. 22, 10.

16. *Libyæ.* Libya Græcis, Africa Latinis, tertia pars veteris orbis.

17. *Pulchra o solatia leti.* Reg. B, *ultra o solatia leti* habet sine sensu. Eo. — *Pulchra o solatia leti.* Ironice, Lactantius legit *pulchri.*

19. *Nos ferrum mite.* Supple, habemus. — *Facesque.* Hinc etiam usus tædarum in bello observandus. — *Nos ferrum mite, facesque.* Quæ odia non extendunt ultra mortem. Nos tenemus ferrum et faces, illi pugnant odiis. Vet. Schol.

20. *Illis nuda odia, et feritas jam non eget armis.* « Forte melius legatur : *cruda odia.* Sed citra virtutem meris illos odiis armatos autumat. Libri nihil mutant, et suspecta tamen sunt verba. Bernartius conjectura : *Illi nuda odia*, intricata magis etiam intricat. Potest ut

Sic peragant rabidi, claraque hac luce fruantur,
Dum videas hæc, summe pater: sed enim hiscere campos
Conquesti, terræque fugam miserantur: an istos
Vel sua portet humus?» Magno sic fatus agebat
Procursu fremituque viros: furor omnibus idem
Tydeos invisi spoliis, raptoque potiri
Corpore: non aliter subtexunt astra catervæ
Incestarum avium, longe quibus aura nocentem
Aera, desertasque tulit sine funere mortes:
Illo avidæ cum voce ruunt, sonat arduus æther
Plausibus, et cælo volucres cessere minores.
Fama per Aonium rapido vaga murmure campum
Spargitur in turmas, solito pernicior index

hic versus absit, et scripserit Papinius: *pro ferrum mite facesque! Sic peragrant rabidi*, etc. » BARTH. — *Nuda odia*. Quia dentibus loco telorum armorumque utuntur. Illis vero nuda odia sunt, id est, ut expleant odia sua ac rabiem, nudi et inermes ad bellum ultro veniunt. Est autem exaggeratio.

21. *Sic peragant rabidi, claraque hac luce fruantur. Sic pergant rabidi* Put. et nonnulli Barthiani; *Sic peragunt rabidi* Behot. 1, *Sic peragant rapidi* Behot. 2, « Omnino scribendum ut est in optimo codice: *clarique hac luce fruantur.* » BARTH. *laude fruantur* Put. — Reg. B, *Sic pergant rapidi*, etc. habet; Reg. C nost. lect. Ed.

22. *Hiscere campos Conquesti.* Notat absorptum terræ hiatu Amphiaraum.

23. *Terræque fugam miserantur.* Dan. Petav. Lang. Burm. Behott. 1, 2, Barthiani, Aldd. Plant. Lindenbrog. plerique et Amstel. *fugam mirantur;* Dan. Petrens. et Gronoviani, cum edd. Gronov. Barth. et Delph. *fugam miserantur;* Esc. Cantab. *fugam mirantur*, sed ab alia manu correctum. — *Miserantur.* Id est, cum invidia fatorum, et ut misericordiam erga se concitent, deplorant.

24. *Vel sua portet humus?* Adeo ut hostilis eos aversetur, in qua nunc sunt. Locutio similis sæpe usurpatur, « indignum quem terra ferat, etc. »

28. *Incestarum avium.* Humano sanguine pollutarum: sive quia cadavera eminus sentiunt. — *Aura nocentem.* Id est, mortibus vitiatum, ut Lucanus, Phars. VII, 830: « Aera non sanum, motumque cadavere sentit. » LACTANT.

29. *Sine funere.* Sine officio mortis seu sepultura.

31. *Plausibus.* Alarum supple.

32. *Fama per Aonium rapido vaga murmure campum. Fama per Inachiam* membranæ Barthii; « quod

Quum lugenda refert; donec cui maxima fando
Damna vehit, trepidas lapsa est Polynicis ad aures.
Diriguit juvenis, lacrimæque hæsere paratæ,
Et cunctata fides : nimium nam cognita virtus
Œnidæ credi letum suadetque vetatque.
Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est,
Nox oculos, mentemque rapit : tum sanguine fixo
Membra simul, simul arma ruunt : madet ardua fletu
Jam galea, atque ocreæ clipeum excepere cadentem.
It mœstus genua ægra trahens, hastamque sequentem,
Vulneribus ceu mille gravis, totosque per artus
Saucius : assistunt socii, monstrantque gementes.
Tandem ille abjectis, vix quæ portaverat, armis,
Nudus in egregii vacuum jam corpus amici
Procidit, et tali lacrimas cum voce profudit :
« Hasne tibi, armorum spes o suprema meorum,

si placet, inquit ille, campus exercitum notat. » *Aonium rabido* Dan.

36. *Diriguit juvenis. Deriguit* unus Behot.

38. *Credi letum suadetque.* Vel quia nimia virtus semper reddit incautos, aut quia interdum consilio careat. — *Vetatque.* Incredibile enim videbatur tam fortissimum virum perire potuisse.

39. *Haud dubio clades auctore reperta est.* « Male hic, ut supra (Theb. VIII, 718) in eadem voce, libri manuscripti *actore,* » Barth.

40. *Tum sanguine fixo.* Behott. 1, 2, *tunc sanguine fixo.*

41. *Membra simul, simul arma ruunt : madet ardua fletu.* Margo ed. Barth. ex codd. *Membra solo.* Dan. *madet aurea fletu.* — *Madet ardua fletu Jam galea.* Cf. not. ad Theb. VIII, 163 : huj. t. p. 112. Ed.

43. *Hastamque sequentem.* Quia præ dolore vix illam sustinebat.

44. *Vulneribus ceu mille gravis. Vulneribus seu* Lang. Lipsian. Petav. Behott. 1, 2, Basil. Lindenbr. plerique et Grasser. *Vulneribus ceu* optimi codd. Barth. Petrens. Cantab. Venett. Rom. Aldd. Amstel. Gronov. Barth. et Delph.

45. *Assistunt socii, monstrantque gementes.* Optimæ aliæque Barthii membranæ, Dan. et Petav. *absistunt;* Petrens. Cantab. Burmann. Laur. Buslid. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. cæteri et recentt. *assistunt.* — Reg. B, *absistunt socii, monstratque gementes* habet; Reg. C, *absistunt s. monstrantque gementes.* Ed.

48. *Cum voce profudit.* Optimus aliique codd. Barthiani, *profundit.*

Œnide, grates? hæc præmia digna rependi?
Nudus ut invisa Cadmi tellure jaceres
Sospite me? nunc exsul ego æternumque fugatus,
Quando alius misero, ac melior mihi frater ademtus.
Nec jam sortitus veteres, regnique nocentis
Perjurum diadema peto : quo gaudia tanti
Emta mihi? aut sceptrum, quod non tua dextera tradet?
Ite, viri, solumque fero me linquite fratri,
Nil opus arma ultra tentare, et perdere mortes :
Ite, precor : quid jam dabitis mihi denique majus?
Tydea consumsi : quanam hoc ego morte piabo?
O socer, o Argi! et primæ bona jurgia noctis,
Alternæque manus, et longi pignus amoris

50. *Hæc præmia digna rependi.* « Melius quod in aliquot libris offendo, *rependo.* » Barth. Ita habet etiam unus Behot.

51. *Nudus ut invisa*, etc. Virgilius Æneid. V, 871 : « Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena. » — *Cadmi tellure.* Bœotia.

52. *Sospite me? nunc exsul ego æternumque fugatus.* Reg. B, *Sospite me? tunc exule æternumque fugaris* habet; Reg. C nostram lectionem. Ed.

53. *Quando alius misero, ac melior mihi frater ademtus.* Heinsius in Advers. lib. III, cap. 17, p. 550 legit, *et melior.* — Hunc versum Reg. B non habet, Reg. C exhibet. Ed.

54. *Sortitus veteres.* Polynices enim et Eteocles sortiti erant, quis prior regnaret.

55. *Perjurum diadema.* Quia ejus injusta retentio perjurum fecit Eteoclem. — *Quo gaudia tanti Emta mihi.* Elegans locutio, et frequens poetis. Martialis lib. IX, Epig. 67, 2 : « Quo tibi natorum jura superba trium? » Ovidius Amorum lib. II, El. 19, 7 : « Quo mihi fortunam, quæ nunquam fallere curet? » Horatius I, Epist. 5, 12 : « Quo mihi fortunam, si non conceditur uti? »

58. *Et perdere mortes.* Nihil utilitatis recipere ex tot occisis ducibus.

60. *Quanam hoc ego morte piabo.* Lang. Laur. Dan. Put. Aldd. Colin. nonnulli Lindenbr. et Cruc. *hunc ego;* Petrens. Cantab. Behott. 1, 2, Lips. Gevart. Grasser. Amst. Gronov. Bart. et Delph. *hoc ego.* « Ineptiunt libri in quibus scriptum est *hoc ego.* » Barth.

61. *O socer, o Argi! O socer, oque Argi* optimus Barthianus. — *Et primæ bona jurgia noctis.* Innuit rixam, quæ inter utrumque Tydeum et Polynicem orta est ad fores Adrasti. Vide Theb. I, 408 et seqq.

62. *Et longi pignus amoris Ira brevis.* Nam ex hoc principio mira et constantissima inter Tydeum et Polynicem conflata amicitia.

Ira brevis : non me ense tuo tunc, maxime Tydeu,
Et poteras, nostri mactatum in limine Adrasti?
Quin etiam Thebas me propter, et impia fratris
Tecta libens, unde haud alius remeasset, adisti :
Ceu tibimet sceptra et proprios laturus honores.
Jam Telamona pium, jam Thesea fama tacebat.
Qualis et ecce jaces? quæ primum vulnera mirer?
Quis tuus hic, quis ab hoste cruor? quæ te agmina, quive
Innumeri stravere globi? ni fallor, et ipse
Invidit pater, et tota Mars impulit hasta. »
Sic ait, et mærens etiamnum lubrica tabo
Ora viri tergit lacrimis, dextramque reponit.
« Tune meos hostes hucusque exosus? et ultra

63. *Non me ense tuo tunc, maxime Tydeu.* Unus Behot. *ne me ense tuo tunc;* optimus Barthianus : *cur me ense tuo non.*

64. *Nostri mactatum in limine Adrasti.* Laug. Buslid. Petav. Aldd. Lindenbrog. Crue. plerique et Amstel. *mactasti;* Behott. 1, 2, Gron. Barth. et Delph. *mactatum.*

65. *Quin etiam Thebas me propter, et impia fratris.* Optimus Barthianus : *propter me atque impia.* — *Thebas me propter.* Innuit legationem Tydei, quum missus est Thebas repetitum regnum Polynici. Vide Theb. II, 370 et seqq.

66. *Unde haud alius remeasset.* Unus Behot. *alius rediisset.*

68. *Telamona pium.* Quem amasse ferunt Herculem, et vicissim redamatum ab Hercule. — *Thesea.* Amicitia Thesei et Pirithoi omnibus notissima. — *Tacebat.* Alii codices *tacebit.* Utrumque optimo sensu.

69. *Qualis et ecce jaces? Qualis! at, ecce, jaces* optimæ Barthii membranæ.

72. *Invidit pater, et tota Mars impulit hasta.* Tantam vult fuisse fortitudinem amici, totque res præclaras gessisse, « ut Mars ipse præ invidia illum perdiderit. »

73. *Lubrica tabo.* Sanie et tabo Menalippi fœdata.

74. *Ora viri tergit lacrimis, dextramque.* Behott. 1, 2, *terget lacrymis dextraque reponit.* — *Dextramque reponit.* Admoverat enim Tydeus manum ori suo cum capite Menalippi; Polynices igitur in decentiori loco, seu statu, reponit. Mos enim erat mortuorum membra decentiori quam fieri poterat modo componere. Quidam vero codices habent *dextra,* id est, reponit caput ejus dextra, tanquam cervicali. — Hanc lect. Reg. B habet, Reg. C nostram. Ed.

75. *Hostes hucusque exosus?* Ut eos dentibus laccrares, quum hi soli tibi restarent, quibus eos læ-

Sospes ego? » exuerat vagina turbidus ensem,
Aptabatque neci: comites tenuere, socerque
Castigat, bellique vices ac fata revolvens
Solatur tumidum, longeque a corpore caro
Paullatim, unde dolor, letique animosa voluntas,
Amovet, ac tacite ferrum inter verba reponit.
Ducitur, amisso qualis consorte laborum
Deserit inceptum media inter jugera sulcum
Taurus iners, colloque jugum deforme remisso
Parte trahit, partem lacrimans sustentat arator.
Ecce autem hortatus Eteoclis, et arma secuti,
Lecta manus, juvenes, quos nec Tritonia bello,
Nec prope collata sprevisset cuspide Mavors,
Adventant: contra collecta ut pectora parmæ
Fixerat, atque hastam longe protenderat, hæret
Arduus Hippomedon: ceu fluctibus obvia rupes,
Cui neque de cælo metus, et fracta æquora cedunt,
Stat cunctis immota minis: timet ipse rigentem

dere posses. — *Et ultra Sospes ego.* Tibi superstes sum, cum exprobratione, ut Virgil. Æneid. X, 849: « Morte tua vivo. »

80. *Letique animosa voluntas.* « Longe elegantius quod optimæ aliæque membranæ habent, *voluptas.* » Barth.

82, 83, 84. *Amisso qualis c. l. D. i. m. i. j. s. Taurus iners.* Ovid. Met. VII, 538 et seq. « Concidere infelix validos miratur arator Inter opus tauros, medioque recumbere sulco. » Respexit Virg. Georg. III, 519: « It tristis arator, Mærentem abjungens fraterna morte juvencum; Atque opere in medio defixa relinquit aratra. » Vid. nost. edit. tom. I, pag. 496; conf. etiam Severi Sancti Carmen de Mortibus Boum, vs. 47, Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. I, pag. 581, ubi locus Statianus adductus. Ed.

87. *Tritonia.* Pallas.

88. *Nec prope collata. Nec prope collecta* unus Behot.

89. *Contra collecta ut pectora parmæ.* In quibusdam codd. Barth. scriptum est: *collata ut pectora.* Pro *parmæ* unus Behot. habet *parma. — Collecta ut pectora.* Sub scuto servata. — *Parmæ.* An *parma?*

90. *Atque hastam longe protenderat. Texerat atque hastam* duo codd. Barthiani: res eodem redit. — *Fixerat.* An *Texerat?* utrumque placet.

93. *Timet ipse rigentem.* Reg. B,

Pontus, et ex alto miseræ novere carinæ.
Tunc prior Aonides (validam simul elicit hastam):
« Non pudet hos Manes, hæc infamantia bellum
Funera, Dis coram, et cælo inspectante tueri?
Scilicet egregius sudor memorandaque Virtus
Hanc tumulare feram! ne non mærentibus Argos

fugit ipse rigentem babet; Reg. C nostram lectionem. Ed.

94. *Miseræ novere carinæ.* Sonitu illisorum fluetuum.

95. *Tunc prior Aonides (validam simul elicit hastam.)* « Multi libri hane seripturam habent: *simul elicit*: vera tamen potius videtur, qnam refert optimus eodex: *simul ejicit.* » Barth. — *Aonides.* Id est, Bœotus sen Eteoeles. — *Elicit.* An capit? trahit? sive sumit traheudo. Lactantius enim sic exponit: « Simul et verba profert et ietus præparat Eteoeles. » — *Validam simul elicit hastam*, ete. Corruptam et hane seripturam arbitror. Libri veteres in eo adjnvant quod referant, *hos manes, hæc infamantia bellum Funera*, quæ tamen medicina huic ægro nondum faeiet vitam: augnror legendnm, et nisi reete, caussam non dieo, quin artem divinandi in perpetnum desinam: *validam simul cjicit hastam*. Judieabit eruditns lector. Bernaat.

96. *N. p. h. M. hæc infamantia bellum.* Behott. 1, 2, duo Lindenbrogiani, nonnulli Bartb. Aldd. Gryph. Lindenbrog. et Gevart. *hoc infamantia;* unus Lindenbrogianus, optimæ Barthii membranæ, Lang. Buslid. Lipsian. Cant. Taur. Gronov. Barth. nonnulli et Delpb. *hæc infamantia.* — *Non pudet hos Manes.* Vox *Manes* hie pro cadavera ponitur, nt infra v. 139 ejusdem lib. « Magnosque miser fuge tangere manes. » Ed. — *Infamantia bellum.* Quia Tydeus justas ultra iras sævierat, hominemque exuerat. — *Infamantia.* Hoe est, infamia quadam notantia et tradneentia. Petronius Satirieo: « Dum ergo juvenes sententias rident, ordinemque totins dictionis infamant, oportune subduxi me. » Id est, subsannant, exsibilant, irrident.

99. *Hanc tumulare feram! ne non mærentibus*, ete. Lang. Busl. Dan. Petav. Behott. 1, 2, Aldd. Lindenbrog. et Crue. *nec* non. « Suspeetæ sunt duæ bæ voces, qnia manifesto non bene hic sonant, et in optimo libro non sunt; sie vero in eo seriptum: *ver merentibus Argos*, etc. Quam eamdem eorruptam scripturam etiam in aliis minoris pretii membranis offendo, nbi supra seriptum eonspieitur: *in veritate lacrymandus.* Fuerit ergo Papinii genuina seriptio: *vere*, vel *vero mærentibus. Argos Exequiis*, ete. quia nempe ut homo inde profectus erat, redit ut fera bellua, absorpto humano eruori immortuus. Forte tamen planius: *ne* non. » Barth. Hoc ultimum exhibent Gevart. Amstel. Gronov. Bartb. et Delph. — Reg. B, *mærentibus Argis* exhibet; Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Feram.* Non hominem.

Exsequiis lacrimandus eat! mollique feretro
Infandam ejectans saniem? dimittite curam.
Nullæ illum volucres, nulla impia monstra, nec ipse,
Si demus, pius ignis edat. » Nec plura : sed ingens
Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum,
Transmissumque tamen clipei stetit orbe secundo.
Inde Pheres, acerque Lycus : sed cassa Pheretis
Hasta redit, Lycus excelso terrore comantem
Perstrinxit galeam : convulsæ cuspide longe
Diffugere jubæ, patuitque ingloria cassis.
Ipse nec ire retro, nec in obvia concitus arma
Exsilit, inque eadem sese vestigia semper
Obversus cunctis profert, recipitque, nec unquam
Longius indulget dextræ, motusque per omnes
Corpus amat : corpus servans, circumque, supraque
Vertitur. Imbellem non sic amplexa juvencum

100. *Exsequiis lacrimandus eat!* Unns Behot. *lacrymandus erat.* — *Mollique feretro Infandam ejectans saniem.* Suspeeta verba. An eruorem et eerebrum Menalippi ore Tydei exeepta?

102. *Nulla impia monstra.* Ita Tydenm Menalippi eadavere funestatnm dicit, ut eorpns ejus horreant etiam feræ eonsumere. LACT.

103. *Pius ignis edat.* Profanato scilieet corpore Tydei ipsius seelere, et feritate.

104. *Duro quod in ære moratum.* Ovidins, Metam. XII, 96 et seq. « Misit in Æaciden quod et æs, et proxima rnpit Terga novena bonm, decimo tamen orbe moratum. » Ad quem locum adductns est Nostri versns. Adi n. Ovid. t. IV, p. 312.

105. *Orbe secundo.* Clipei. Ostendit non uno tegmine elipeum Hippomedontis obductum fuisse.

107. *Excelso terrore.* Cristis excelsis terrorem incutientibns. Vide Theb. IV, et notata ad vers. 569 Incerti Epitom. Iliad. Hom. ad quem illustrandum adductns est Papinianns loens. Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. III, p. 564. ED.

108. *Perstrinxit galeam.* Reg. B, *Perstringit galeam* habet; Reg. C nostram lect. En.

109. *Ingloria.* Sine eristis. Ita Virgilins *gloriam* in insignibns ponit.

111. *Exsilit, inque eadem. Exilit, ast eadem* codex Burmanni. — *Inque eadem. Que* hie pro *sed*, quod Lueauo frequens.

112. *Recipit.* Irruit in hostes, reeipitque se. LACTANT.

114. *Corpus servans. Corpus adit* in quibusdam membranis Heinsii.

Infestante lupo, quum primum fœta tuetur
Mater, et ancipiti circumfert cornua gyro:
Ipsa nihil metuens, sexusque oblita minoris,
Spumat, et ingentes imitatur femina tauros.
Tandem intermissa jaculantum nube potestas
Reddere tela fuit: namque et Sicyonius Alcon
Venerat auxilio, Pisæaque præpetis Idæ
Turba subit, cuneumque replent: his fretus in hostes
Lernæam jacit ipse trabem: volat illa sagittis
Æqua fuga, mediumque nihil cunctata Politen
Transabit, et juncti clipeum cavat improba Mopsi.
Phocea tunc Cydona, Tanagræumque Phalantum,
Atque Erycem, hunc retro conversum, et tela petentem,
Dum spes nulla necis, crinito a vertice figit.

116. *Quum primum fœta tuetur.* Reg. B, *tunc primum feta tuetur* exhibet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Quum primum fœta tuetur.* Recens a partu: in primo enim partu major fœtus affectio.

118. *Sexusque oblita minoris.* Unus Behot. *sexus oblita*, omisso τῷ *que.*

120. *Tandem intermissa jaculantum nube potestas.* Nonnulli codd. cum Venett. 3, 4, *jaculatum nube*, omissa scilicet linea supra lit. *a.* — *Tandem intermissa*, etc. Hunc sic vertit locum *Cormiliolle:* « s'apercevant enfin que la grêle de traits, « qui fondait sur lui, commence à « se ralentir; plus furieux, Hyppomédon s'apprête à renvoyer sur « les Thébains les traits qu'il en a « reçus. » Ed.

121. *Reddere tela.* In se ab hostibus missa, in ipsos iterum retorquere. — *Sicyonius.* A Sicyone oriundus. Vide Thebaid. IV, 50, et notata ad lib. II, 179; tom. præc. pag. 179. Ed.

122. *Præpetis Idæ.* Vide Thebaid. VI.

123. *Turba subit.* *Turma subit* optimæ Barthii membranæ, et Venett. 3, 4, « Recte hic *Turma* restituerunt doctissimi viri. » Barth. — *His fretus in hostes.* Reg. B, *his letus in hostes* præbet; Reg. C nost. lect. Ed.

125. *Cunctata.* Morata. Lact.

126. *Mopsi.* « In optimo codicum est *Mopsi;* in alio *Molsi.* » Barth.

127. *Phocea.* Phocensem, ex Phocide. — *Tanagræum.* Ex Tanagris Bœotiæ oppido. Vide Theb. VII, 254; et ibi not. hujusce tom. pag. 30. Ed.

129. *Dum spes nulla necis.* Nihil mutemus, sanus hic locus: tantum τὸ *spes* non prima sua notione, sed pro *metu* accipe. Bernart. Eodem sensu Virg. vocem *sperare* pro timere usurpavit, Æn. I, 543, « At

Faucibus ille cavis hastam non ore receptam
Miratur moriens, pariterque et murmure plenus
Sanguis, et expulsi salierunt cuspide dentes.
Ausus erat furto dextram injectare Leonteus
Pone viros atque arma latens, positumque trahebat
Prenso crine caput : vidit, quanquam undique crebræ
Hippomedon ante ora minæ, sævoque protervam
Abstulit ense manum ; simul increpat : « Hanc tibi Tydeus,
Tydeus ipse rapit : post et confecta virorum
Fata time, magnosque miser fuge tangere manes. »
Ter Cadmæa phalanx torvum abduxere cadaver,
Ter retrahunt Danai. Siculi velut anxia puppis

sperate Deos, memores fandi atque nefandi. » Et Æn. IV, 419 : » Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. »

133. *Ausus erat furto dextram injectare Leonteus.* Reg. B, *dextram ejectare L.* babet ; Reg. C, *dextram injectare Leontes.* Ed. — *Furto.* Clam : loqnitur autem de cadavere Tydei, quod clam injecta manu Leontens abstrahere voluerit; satis ridicule inter tot pngnantium cuneos, quot modo nominati sunt a Papinio. De *furto* multis alibi. Eleganter » curam furari » sic dictum Petro Chrysologo, » fnrtim possidere » Hugoni Falcando, etc. Barth.

135. *Quanquam undique crebræ Hippomedon ante ora minæ.* Hæc Guyetus supposititia jndicat : quare jungit τὸ *vidit* cum τῷ *sævo* sequenti.

136. *Sævoque protervam.* » Optimus aliique libri *scævoque;* i. e. intorto : sed nihil muto. » Barth.

137. *Hanc tibi Tydeus, Tydeus ipse rapit.* Imitatio Virgiliana Æn. XII, 948 : » Pallas te hoc vulnere, Pallas Immolat. » Miram vim habet hæc repetitio.

138. *Post et confecta virorum Fata time, magnosque miser fuge tangere manes.* Virtus enim magnorum virorum etiam post mortem eorum timenda, reverentiamqne meretnr. Sic apud Cnrtium lib. ultimo, exstincto Alexandro, Ægyptii Chaldæique, jussi corpns suo more odoribns curare, primo nou sunt ausi admovere manus corpori ejus : deinde precati, ut jus fasque esset mortalibns attrectare eum, etc. — *Fuge tangere.* Noto Græcismo. Sic » fuge credcre » apud Lncretium de Nat. Rer. I, 1051 ; » fnge quærere, » et » fuge suspicari » apnd Horatium, ut et plura hnjnsce notæ. Virgilius Æneid. IX, 199 et seq. » Mene igitur socium summis adjungere rebus, Nise, fugis ? »

141. *Ter retrahunt Danai. Terque trahunt* Gryph. Plant. Lindenbrog. et Crnc. *Ter retrahunt* Dan. Petav. Laug. Behott. 1, 2, omnes Barthiani, Gevart. Amstel Gron, Barth. cæteri et Delph. et ita emen-

Seditione maris, nequicquam obstante magistro,
Errat, et averso redit in vestigia velo.
Non ibi Sidoniæ valuissent pellere cœpto
Hippomedonta manus: non illum impacta moverent
Tormenta oppositum, formidatique superbis
Turribus impulsus tentato umbone redissent.
Sed memor Elysii regis, noxasque retexens
Tydeos, in medios astu subit impia campos
Tisiphone: sensere acies, subitusque cucurrit
Sudor equis, sudorque viris: quanquam ore remisso

datum voluit Joannes Levineius ad Propert. IV, 10.

143. *Errat, et averso redit in vestigia velo. Errat et adverso* Petav. Behott. 1, 2, Aldd. nonnulli Lindenbrog. et Cruc. *Errat et averso* Dan. Lang. Buslid. Lipsian. optimæ Barthii membranæ, Venett. Grasser. Amstel. Gronov. Barthian. et Delph. — Reg. B, *averso r. in v. telo* habet; Reg. C nost. lect. Ed.

144. *Non ibi Sidoniæ. Non sibi Sidoniæ* optimus et nonnulli alii codd. Barthii; quod ille non improbat. — *Sidoniæ*. Thebanæ.

148. *Sed m. E. r. noxasque retexens.* Burm. Laur. Lipsian. Behott. 1, 2, et plerique Barthiani *recensens;* Petrens. Dan. Petav. Venett. Aldd. Colin. Basil. et recent. *retexens;* quod defendit etiam Dan. Heinsius ad Claudian. Bel. Gild. 325. — *Sed memor Elysii regis.* Id est, eorum quæ dixerat rex Elysius. Vide initio Theb. VII. — *Noxasque retexens Tydeos.* Mentem Statii adsequitur Lactantius notans non excidisse Tisiphones animo scelera quæ Tydeus parricidio perpetraverat, sive quod nuper Menalippi caput absumserat. Sed huic non congruit verbum *retexere*, quod est dissolvere, infectum atque irritum reddere. Horat. II, Sat. 3, 2: « scriptorum quæque retexens. » Seneca Epist. 94: « Omnia ista exempla, quæ oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt, et plenum malis sermonibus pectus exhauriendum. » Foret igitur potius, delens ex animo, quam in eo retinens. Ergo valeat, et recipiatur ex scriptis: *noxasque recensens*, id est, animo repetens recordata. Silv. V, 3, 20, Epiced. in patrem: « rerumque elementa recenses. » Theb. II, 706, Tydeus: « prædamque jacentem Comportat gaudens, ingentiaque acta recenset. » Et tamen Thebaid. III, 338, 706 et seqq. « multumque et ubique retexens, Legatum sese Graia de gente petendis Isse super regnis profugi Polynicis. » Sed hic scriptos sequimur. Gronov.

149. *In medios astu subit impia campos.* Optimæ Barthii membranæ: *subit incita campos.*

150. *Tisiphone: sensere acies*, etc. *Tesiphone: sensere aves* unus Behot.

151. *Ore remisso.* Ficto et temperato in moderationem.

Inachium fingebat Halyn : nusquam impius ignis,
Verberaque, et jussi tenuere silentia crines.
Arma gerit, juxtaque feri latus Hippomedontis
Blanda genas, vocemque venit : tamen ille loquentis
Extimuit vultus, admiraturque timorem.
Ille autem lacrimans, « Tu nunc, ait, inclyte, frustra
Exanimes socios, inhumataque corpora Graium,
(Scilicet is nobis metus? aut jam cura sepulcri?)
Protegis; ipse manu Tyria tibi captus Adrastus
Raptatur, teque ante alios, te voce, manuque
Invocat : heu qualem lapsare in sanguine vidi,
Exutum canos lacero diademate crines!
Ne procul hinc, adverte oculos : ubi plurimus ille

152. *Inachium fingebat Halyn. Inachium simulabat Halyn* Petr. *Hylam* optimus Barthianus. — *Impius ignis, Verberaque, et jussi tenuere silentia (tenuerunt sibila) crines.* Furiæ enim gestabant in manibus tædas ac flagella, et loco capillorum angues habebant.

155. *Blanda genas.* Non horrore terribilis.

156. *Admiraturque timorem.* Latebat enim causa; mirabatur in se timorem, quem antea non expertus erat, etiam si « undique crebræ ante ora minæ. »

157. *Ille autem lacrimans. Illa autem* Exc. Cantab. Taurin. Burmann. et uterque Behott. *Ille autem* Petrens. cæteri, et edd. vett. — *Ille.* Fictus Halys scilicet. — *Inclyte.* Post Amphiaraum et Tydeum summus erat Heroum apud Achivos Hippomedon, quanquam Poeta supra voce ipsius Tydei Capaneum prætulerit. Vet. Schol.

158. *Inhumata corpora.* Quæ Tydeo adjacebant, et cum eo tutabantur. Vet. Schol. — *Graium.* Tydei.

159. *Scilicet is nobis metus? Scilicet his nobis* Lindenbrog. et Cruc. *Scilicet is vobis* optimus Barthianus.

160. *Protegis, ipse manu Tyria tibi captus Adrastus. Tyria jam captus* Behott. 1, 2, Put. Laug. Buslid. Venett. Aldd. Lindenbr. plerique et Gevart. *Tyria tibi captus* Gronov. Barth. et Delph. — *Protegis.* Defendebat enim Hippomedon corpus Tydei, ne eo Thebani potirentur, ac insepultum maneret. — *Tibi. Tibi* ibi παρέλκει.

162. *Heu qualem lapsare in sanguine vidi.* Aldd. nonnulli, Lind. et Cruc. *versare in sanguine;* Lipsian. Laur. Buslid. Petav. Petrens. Taurin. Burm. omnes Barthiani, Gev. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *lapsare in sanguine.*

164. *Ne procul hinc, adverte oculos.* Reg. B, *nec procul hic* habet; Reg. C nostram leet. Ed.

Pulvis, ubi ille globus: paullum stetit anxius heros,
Librabatque metus: premit aspera virgo: « Quid hæres?
Imus? an hi retinent manes? et vilior ille
Qui superest? » Miserum sociis opus, et sua mandat
Prælia, et unanimi vadit desertor amici,
Respiciens tamen, et revocent si forte paratus.
Inde legens turbata trucis vestigia Divæ,
Huc illuc frustra ruit avius: impia donec
Eumenis ex oculis rejecta cærula parma
Fugit, et innumeri galeam rupere cerastæ.
  Adspicit infelix discussa nube quietos
Inachidas, currumque nihil metuentis Adrasti.
Et Tyrii jam corpus habent: jam gaudia magnæ
Testantur voces: victorque ululatus aderrat
Auribus, occultoque ferit præcordia luctu.
Ducitur hostili (pro dura potentia fati!)

166. *Librabatque metus.* Utrobique enim metus, ne aut Thebani potirentur Tydei corpore, aut captivus abdueeretur Adrastns: dnbitabat igitur, eui potius snbveniret, Tydeo, an Adrasto. — *Virgo.* Fnria sub alieno vnltu.

167. *An hi retinent manes? et vilior ille.* Optimns Barthisnus: *an vllior.* — *Manes.* Cadaver Tydei. — *Vilior ille Qui superest.* Adrastus.

168. *Miserum socii opus.* Suseeperat enim defendendum Tydei corpns.

170. *Revoeent.* Utrum se soeii soi validi revocent a protegendo Tydei codavere. LACTANT.

171. *Inde legens turbata trucis vestigia Divæ. Ille legens* unus Behot. *turbat cruscis vestigia divæ* optimns Barthiauus.

174. *Innumeri galeam rupere cerastæ.* Quom explicuere se serpentes eompressi, et priorem formam resumsit Furia.

177. *Et Tyrii jam eorpus habent. At Tyrii* optimæ et aliæ Barthii membranæ; quod ille probat.

178. *Vietorque ululatus aderrat.* Codex Lindenbrogii: *ululatus advertat;* duo alii ejnsdem, nonnulli Barthiani, Aldd. Colin. Plant. Lindenbrog. Gevart. et Amstel. *ululatus inerrat;* Petrens. Taurin. nterque Behot. Buslid. optimæ Barthii membranæ, Gronov. Barthian. et Delph. *ululatus aderrat.* — *Ululatus.* Est luetus et lætitiæ ululatus. Virgil. Æneid. IV, 168: « summoque ulnlarunt vertiee Nymphæ. » — *Aderrat.* Hoe verbum exstat et Silv. II, 2, 120, Vill. Surrentin. « et blaodi scopulis delphines aderraut. »

Tydeus ille solo, modo cui Thebana sequenti
Agmina, sive gradum, seu frena effunderet, ingens
Limes utrimque datus: nusquam arma, manusque quiescunt.
Nulla viri feritas: juvat ora rigentia leto,
Et formidatos impune lacessere vultus.
Hic amor, hoc una timidi, fortesque sequuntur
Nobilitare manus, infectaque sanguine tela
Conjugibus servant, parvisque ostendere natis.
  Sic ubi Maura diu populatum rura leonem,
Quem propter clausique greges, vigilantque magistri,
Pastorum lassæ debellavere cohortes;
Gaudet ager, magno subeunt clamore coloni,
Præcerpuntque jubas, immaniaque ora recludunt,
Damnaque commemorant, seu jam sub culmine fixus
Excubat, antiquo seu pendet gloria luco.

182. *Sive gradum, seu frena effunderet.* Mens: Sive pedes, sive eques sequeretur. Sequentia interpunetione sie illustro: *ingens Limes utrimque datus: nusquam arma, manusque quiescunt,* (*Nulla viri feritas*). BERNART.

183. *Nusquam arma manusque quiescunt: Nulla viri feritas.* Nusquam sunt jam ejns arma, jaenla, enses, et quiequid manns vibrare solent. Intrusa vero hæc videntur qnibusdam.

184. *Juvat ora*, ete. Vide in simili casu Theb. I, 616 et seqq. de monstro a Corœbo oeciso.

185. *Impune lacessere.* Deleetabat Thebanos seeure insultare eadaveri Tydei, quia nnllus superesset jam terror illius.

188. *Servant ostendere.* Græcismus ereber Papinio. Eod. lib. 386, « orantes servire. » Thebaid. VIII, 516: « habe exscindere »; v. 528: « præbuit libare. » Ibidem etiam « ibat fleetere. »

189. *Maura.* Multi enim leones in Mauritania regione Africæ quæ adjaeet Atlantieo Mari, quod habet ad Occidentem, et Mediterraneo, quod habet ad Septemtrionem: ab Oriente finitur Africa proprie dieta, a Meridie vero Atlante monte.

195. *Antiquo seu pendet gloria luco.* Olim ut cornua, sie etiam pelles ferarum quarumlibet ad arbores Diis suspendebant venatores, Dianæ inprimis ee Silvano seu Pani: De *cornibus* Propertins lib. II, Eleg. 19, 17 et seqq. « Ipse ego venabor; jam nunc me saera Dianæ Suseipere, et Veneri ponere vota juvat. Incipiam captare feras, et reddere pinu Cornua, et audaces ipse movere canes. » Ovid. Metam. XIII, 266, « telique habet instar in alta Quæ fuerant pinu vivacis cor-

At ferus Hippomedon, quanquam jam sentit inane
Auxilium, et seram rapto pro corpore pugnam,
It tamen, et cæcum rotat irrevocabilis ensem.
Vix socios hostemque, nihil dum tardet euntem,
Secernens : sed cæde nova jam lubrica tellus,
Armaque, seminecesque viri, currusque soluti
Impediunt, lævumque femur, quod cuspide fixum
Regis Echionii, seu dissimulaverat ardens,
Sive ibi nescierat : mœstum videt Hoplea tandem.
Tydeos hic magni fidus comes, et modo frustra
Armiger : alipedem prona cervice tenebat
Fatorum ignarum domini, solumque frementem

nna eervi. » Virgil. Ecl. VII, 30, Dianæ vovet « Ramosa Mycon vivacis cornna eervi. » De *pellibus* vero vide Epigrammata Græca Anthologiæ lib. VI. Ab hac similive dedicatione tales arbores saeræ erant, et ita dicebantur, et ad has in via oblatas gradum sistere, et vota reddere religiosorum viatorum mos erat. Ut notat Apuleius Florid. I. Appendebantur etiam pelles in lucis, ut terrori essent aliis leonibus.

196. *At ferus Hippomedon, quanquam jam sentit inane*, etc. Reg. B, *quanquam* non habet. Ed. — *At ferus*, etc. « Le bouillant Hippomédon s'aperçoit, mais trop « tard, qu'il ne pent plus être d'au« eun seeours à sou ami ; que c'est « en vain qu'il tentera d'enlever son « corps anx Thébains. Alors, sans « que rien puisse l'arrêter, il se jette « aveuglément au plus épais de la « mêlée. Sa foudroyante épée étin« celle en ses mains ; elle frappe, « elle abat tout ce qui s'oppose à « son passage. » Ed.

199. *Vix socios hostemque*. Codd. Lindenbrogii, *hostesque*. — *Euntem*. Illum, snpple.

201. *Soluti*. Aut fraeti, aut a frenis liberi.

202. *Impediunt*. Retardant. — *Femur*. Hippomedontis scilicet regis Echionii. Supra enim de telo Eteoclis dixit, femur Hippomedontis fuisse transfixnm, quod in ære moratnm transmissumque tantum. Lactant.

204. *Sive ibi nescierat*. In optimo Barthii codice : *Seu ubi nesciebat ;* unns Behot. *Sive ibi nescierat*. — *Sive ibi nescierat*. Cieero Tuscul. II : « Non sentiunt fortes viri in aeie vulnera. »

205. *Frustra Armiger*. Exstincto scilieet domino.

207. *Fatorum ignarum domini*. Equum dieit ignorasse mortem domini Tydei. Hoe autem solum indignatum eum fremitu, quod majorem voluptatem eaperet herus ex pedestribns pngnis, et se vacare sineret. Inepte hæc sub nomine Lactantii vetus enarrator de Ho-

Quod vacet : inque acies audentior ille pedestres,
Hunc adspernantem tumido nova pondera tergo
(Unam quippe manum domitis expertus ab annis)
Corripit, affaturque : « Quid o nova jussa recusas,
Infelix sonipes? nusquam tibi dulce superbi
Regis onus : non jam Ætolo satiabere campo,
Gaudentemque jubam per stagna Acheloia solves.
Quod superest, caros, i, saltem ulciscere manes,
Aut sequere; extorrem neu tu quoque læseris umbram
Captivus, tumidumque equitem post Tydea portes. »
Audisse, accensumque putes : hoc fulmine raptum
Abstulit, et similes minus indignatur habenas.
　Semifer aeria talis Centaurus ab Ossa
Desilit in valles : ipsum nemora alta tremiscunt,

pleo intelligit. Neque illud non inscitissime, quod equum dicat lugere mortem domini. At non loquebatur isti asino Papinius, quum scriberet : *Fatorum ignarum domini*. Barth. — *Frementem*. Poetis licet humanos sensus equis dare. Dicit ergo Poeta equum Tydei doluisse mortem domini, ut Virg. Æneid. XI, 89, « Post bellator equus, positis insignibus, Æthon It lacrimans. » Lactant.

208. *Audentior*. Tydeus.

209. *Nova pondera*. Novum equitem.

210. *Unam quippe manum*, etc. Unum sessorem, herum. Hic versus delendus videtur Guyeto.

213. *Non jam Ætolo satiabere campo*. In eodem Behot. codice, non *Etolio*. — *Ætolo*. Ex Ætolia enim eum adduxerat Tydeus. — *Satiabere campo*. Cursu vel pastu.

214. *Gaudentemque jubam*. « In libro scripto optimo : *Undantemque jubam*. » Barth. — *Stagna Acheloia*. Acheloum Ætoliæ fluvium.

215. *Quod superest, caros, i, saltem*. Unus Behot. *caros et saltem*.

216. *Aut sequere; ext. n. t. q. l. umbram*. Reg. B, *umbras* habet; Reg. C nost. lectionem. Ed. — *Aut sequere*. Hic versus, et sequens, spurii Guyeto videntur. — *Extorrem*. In exsilio degentem, quasi cujus umbra careat patria sepultura. — *Neu tu quoque*. Ut eum ego relinquens læsi manes Tydei. Lact.

218. *Fulmine raptum*. Intelligi vult Poeta exhortationes Hippomedontis equum sensisse, quum fugit eum in vindictam domini tantæ velocitatis nimietate correptum.

219. *Similes habenas*. Non impares domini viribus. *Habenas* enim pro rectore posuit. Lactant.

220. *Ossa*. Thessaliæ mons.

221. *Ipsum*. Hominem. Centauri enim biformes.

Campus equum : trepidi cursu glomerantur anhelo
Labdacidæ : premit ille super, nec opinaque ferro
Colla metens linquit truncos post terga cadentes.
Ventum erat ad fluvium : solito tunc plenior alveo,
Signa mali, magna se mole Ismenos agebat.
Illa brevis requies; illo timida agmina lassam
De campis egere fugam : stupet hospita belli
Unda viros, claraque armorum incenditur umbra.
Insiluere vadis : magnoque fragore solutus
Agger, et adversæ latuerunt pulvere ripæ.
Ille quoque hostiles saltu majore per undas
Irruit attonitis, (longum dimittere habenas)
Sicut erat, tantum viridi defixa parumper
Cespite, populeo commendat spicula trunco.

222. *Campus.* Subaudi, tremiscit equinam partem semiferi.

223, 224. *Labdacidæ : premit ille super, nec opinaque ferro.* Lang. Lindenbr. plerique, et Gev. *inopinaque;* Behott. 1, 2, Amst. Gron. Barth. Yeen. et Delph. *nec opinaque.* « In aliis libris pro *super* claris literis scribitur *diu;* quod est nugatorium. » Barth. — *Labdacidæ.* Thebani a Labdaco quondam Thebarum rege. — *Nec opinaque ferro Colla metens, linquit truncos post terga cadentes.* Innuit maxima celeritate oppressos, et tanta velocitate fugientibus abscissa capita, ut eo transeunte occisorum caderent corpora.

225. *Solito tunc plenior alveo, Signa mali.* In malum omen capiebatur, quum fluvii exundarent.

226. *Magna se mole Ismenos agebat.* Fluvius Bœotiæ. — *Se agebat.* Locutio Maroniana fastum et tumorem inferens, Æneid. IX, 696 : « Antiphates se primus agebat, etc. »

227. *Illo timida agmina lassam.* Lang. Buslid. Aldd. Colin. Plant. *tumida agmina;* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Lindenbrog. et recentt. *timida agmina.*

228. *Stupet hospita belli.* Reg. B, *stat hospita belli* præbet; Reg. C nost. lect. Ed. — *Stupet hospita belli Unda.* Satis insolenti significatione, pro aqua, seu fluvio in quo bellum geritur, ac prælium committitur.

230. *Magnoque fragore solutus.* Lang. Buslid. Aldd. nonnulli et Plant. *magno stridore;* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Lindenbrog. Crnc. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *magno fragore.*

231. *Adversæ.* Contra positæ. — *Pulvere.* Excitato ex soluto aggere.

233. *Attonitis.* Thebanis.

234. *Sicut erat.* Id est, armatus.

235. *Spicula.* Sua scilicet, ne eum in flumine impediant.

Tunc vero exanimes tradunt rapientibus ultro
Arma vadis : alii dimissa casside, quantum
Tendere conatus animæ valuere sub undis,
Turpe latent : multi fluvium transmittere nando
Aggressi ; sed vincla tenent, laterique repugnat
Balteus, et madidus deducit pectora thorax.
  Qualis cæruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quoties devexa profundi
Scrutantem delphina vident : fugit omnis in imos
Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas ;
Nec prius emersi, quam summa per æquora flexus
Emicet, et visis malit certare carinis.
  Talis agit sparsos, mediisque in fluctibus heros
Frena manu pariter, pariter regit arma, pedumque
Remigio sustentat equum ; consuetaque campo
Fluctuat, et mersas levis ungula quærit arenas.

237. *Alii dimissa casside.* Venett. *dimissa cuspide ;* Aldd. Colin. et Cruc. *demissa casside.* — Regg. B et C, *alii demissa casside* habent. Ed.

238. *Sub undis.* Hoc est, quantum poterant eorum spiritus sub undis durare. Luc. Phars. III, 697 : « animam servare sub undis. » Lact.

239. *Turpe latent.* Pro turpiter celantur. Lactant.

240. *Sed vincla tenent.* Calceamentorum stricturæ. Lactant.

241. *Et madidus deducit pectora thorax.* « In uno alteroque libro alia omnino scriptura est, *decludit ;* sed nos simplicem vulgatam τοῦ Ποιητοῦ agnoscimus : i. e. *gravat.* » Barth. — *Deducit pectora.* Mergit aut trahit fluminis alveo.

242. *Terror.* Supple, est.

245. *Viridesque metu.* Unus Behot. *viridisque metu.*

246. *Quam summa per æquora flexus.* In eodem Behot. codice : *per æquora fluxus.* — *Flexus.* Natat enim curvato et eminente extra aquas dorso.

247. *Emicet. Eminet* Dan. Pet. Lindenbr. et Cruc. *Emicet* in cæteris. — *Et visis malit certare carinis.* Plinius : « Hominem non expavescit delphinus, ut alienum : obviam navigiis venit, alludit exsultans, certat etiam, et quamvis plena præterit vela. » Vide eum Hist. Nat. IX, cap. 8.

249, 250. *F. m. p. pariter regit arma, pedumque Remigio sustentat equum*, etc. Jortinus conj. *pedum se Remigio sustentat equus*, improbante Burmanno. — *Pedumque Remigio.* Imitatio Virgiliana Æneid. VI, 19 : « remigio alarum. »

251. *Et mersas levis ungula quæ-*

Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphos, Antiphon Hypseus,
Hypseus Astyagen, evasurumque relicto
Amne Linum, ni fata vetent, et stamine primo
Ablatum tellure mori : premit agmina Thebes
Hippomedon, turbat Danaos Asopius Hypseus :
Amnis utrumque timet : crasso vada mutat uterque
Sanguine, et a fluvio neutri fatale reverti.
Jam laceri pronis volvuntur cursibus artus,
Oraque, et abscisæ redeunt in pectora dextræ.
Spicula jam clipeosque leves arcusque remissos

rit arenas. Behot. 1, *harenas;* Behot. 2, *habenas.* — *Quærit arenas.* Id est, quærit fundum, quo firmis pedibus insistat.

252. *Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphos, Antiphon Hypseus. Sternit Hyona* edd. vett. *Artiphus*, *Artipon* vetus scholiastes; *Antiphus*, *Antiphon* edd. vett.

253. *Hypseus Astyagen. Hypseus Astaciden* optimæ Barthii membranæ. — *Relicto.* Quia jam prope ripam evaserat fugiens. LACTANT.

254. *Et stamine primo.* Unus Behot. *e stamine;* alter Behot. *a stamine.* — *Et stamine primo Ablatum tellure mori.* Sensus: Nisi primo stamine, quod Parcæ nerant, negatum illi fuisset in terra mori. Respexit veterum stultum errorem, qui anus illas in ipsa nativitatis hora unicuique inevitabiles leges præscribere credebant. Catullus Carm. LXIV, 322 et seq. in Nuptiis Pelei: « Talia divino fuderunt carmine fata, Carmine perfidiæ quod post nulla arguet ætas. » Ubi vid. not. nost. edit. pag. 278. ED.

255. *Ablatum.* Negatum fatis ut in terra potius moreretur, quam in fluvio.

256. *Asopius Hypseus. Asopeus* Behot. 1. — *Asopius.* Asopo genitus. Vide Theb. VII, 424. ED.

257. *Amnis utrumque timet.* In eodem Behot. codice: *utrimque timet;* sed in margine *utrumque* eadem manu. « Non sollicito hanc lectionem; optimæ tamen et aliæ vetustissimæ membranæ *tenet* referunt. » BARTH. — *Amnis utrumque timet.* Id est, omnes qui erant in fluvio. — *Uterque.* Hippomedon et Hypseus.

258. *Sanguine, et a fluvio,* etc. « Paullo melius eædem membranæ: *e fluvio.* » BARTH. Ita etiam in uno Behot. — Hanc lectionem Reg. B habet, Reg. C nostram. ED. — *Et a fluvio neutri fatale reverti.* Uterque enim Hippomedon et Hypseus in fluvio perierunt.

259. *Jam laceri pronis volvuntur cursibus artus.* Reg. B exhibet: *Jam laceri volvuntur pronis cursibus artus*, Reg. C nostram lectionem. ED.

260. *Oraque, et abscisæ redeunt in pectora dextræ.* Membranæ Barthii: *et abcisæ.*

261. *Spicula, jam clipeosque, leves arcusque remissos Unda vehit.*

Unda vehit, galeasque vetant descendere cristæ.
Summa vagis late sternuntur flumina telis,
Ima viris : illic luctantur corpora leto,
Efflantesque animas retro premit obvius amnis.
Flumineam rapiente vado puer Agrius ulmum
Prenderat, insignes humeros ferus ense Menœceus
Amputat : ille cadens, nondum conamine ademto,
Truncus in excelsis spectat sua brachia ramis.
Hypseos hasta Sagen ingenti vulnere mersit :
Ille manet fundo, rediit pro corpore sanguis.
Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor
Heu miser, et tenuit; sed saucius ille levantem
Degravat amplexu : poterat resolutus Agenor
Emersisse vadis, puduit sine fratre reverti.

Piget et pudet minuta hæe mouere: et tamen nisi æternum caligare velis, legendum : *Spicula jam clypeosque leves arcusque remissos Unda vehit.* Bernart.

264. *Ima viris : illic luctantur corpora leto.* Venett. Aldd. Colin. et Basil. *illis luctantur;* optimæ Barthii membranæ: *leto luctantur corpora ubique.* — Reg. B habet : *Arma viris, illi cunctantur corpora leto*; Reg. C nostram lectionem. Ed.

265. *Efflantesque animas.* Doctrinam Homericam, Sinesio celebratam, sequitur. Nimirum in *aqua* exstinctorum *animas* corporibus interire, non valentes penetrare vim undæ, et per eam ad cælestia eniti. Vide Justo Lipsio, summo viro, notata libro III, Physiologiæ Stoicæ cap. 17. Barth. — *Efflantesque animas retro premit obvius amnis.* Id est, exeuntem spiritum aqua gutturi infusa retardabat, sive non sinebat spiritum exire de corpore. — *Efflantes.* Quasi anima esset ventus aut fletus.

266. *Fl. r. v. puer Agrius ulmum. Argiphus* Behot. 1, *Agiphus* Behot 2.

268. *A. i. c. n. conamine ademto.* In optimo Barthii codice : *conamine victo.* — *Nondum conamine ademto.* Quo tenebat ulmum.

269. *In excelsis spectat sua brachia ramis.* Abscissa enim in ramis remanserant.

270. *Hypseos hasta Sagen ingenti vulnere mersit. Tagen ingenti vulnere mergit* in eodem Barth. codice.

271. *Rediit pro corpore sanguis.* Quia super aquam apparuit sanguis, corpore deorsum eunte.

272. *Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor.* In eodem Barth. : *ripa fratrem erepturus*; unus Behot. *Dissiluit ripis*; alter Behot. *Desiliit ripis.*

274. *Resolutus.* Amplexu fratris liberatus flumen evadere.

275. *Emersisse vadis, puduit sine*

Surgentem dextra Chaletum, vulnusque minantem
Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex:
Jam vultu, jam crine latet, jam dextera nusquam,
Ultimus abruptas ensis descendit in undas.
Mille modis leti miseros mors una fatigat.
Induit a tergo Mycalesia cuspis Agyrten:
Respexit, nusquam auctor erat; sed, concita tractu
Gurgitis, effugiens invenerat hasta cruorem.
Figitur et validos sonipes Ætolus in armos,
Exsiluitque alte vi mortis, et aera pendens
Verberat: haud tamen est turbatus flumine ductor:
Sed miseratur equum, magnoque e vulnere telum

fratre reverti. Reg. B habet, *Emersisse vadis, piguit*, etc. Reg. C nostram lectionem. Ed.

276. *Surgentem dextra Chaletum*, etc. Codd. Lindenbrogii et Venett. *Caplethum*; optimus Barthianus, *Calerum*; alter ejusdem vetustissimus, *Chalebum*. Alius vero codex recentior, si Diis placet, aliquem de Hispania Carolum producit, habet enim additam glossam: « Hispania oriundum. » — Reg. B habet, *Surgentem dextra Capetum*; Reg. C nostr. lect. Ed.

277. *S. r. nodato gurgite vortex.* Behott. 1, 2, *notato gurgite.* — Reg. B habet, *S. r. nudato gurgite vortex*; Reg. C *Sordebat r. violato gurgite vortex.* Ed. — *Nodato gurgite.* Quia adstringit vertigo fluminis natantes, et non dat spatium evadendi.

279. *Ultimus abruptas ensis descendit in undas.* Ultimus arreptas Behot. 1. — Reg. B habet, *Ultimus abreptas ensi descendit ad umbras*; Reg. C nost. lect. Ed.

280. *Mille modis leti.* Omnes moriebantur quidem, verum diversis modis. Lucanus Phars. III, 689: « Mille modos inter leti, mors una timori est, Qua cœpere mori. »

281. *I. a. t. M. cuspis Agyrten.* Unus Behot. *cuspis Agisten.* — *Induit.* Totum pertransiit.

282. *Respexit, nusquam auctor erat; sed, concita tractu.* In eodem Behot. codice: *actor erat.* « Apage segniorem quam pro re vocem, et scribe cum optimis omnium membranarum: *concita raptu.* » Barth. — *Auctor.* Qui vulnus inflixerat nusquam apparebat, Virgil. Æn. IX, 748: « Neque enim teli, nec vulneris auctor. »

283. *Cruorem.* Id est, corpus ex quo duceret sanguinem. Lucan. Phars. III, 580 et seqq. « Irrita tela suas peragunt in gurgite cædes: Et quodcunque cadit frustrato pondere ferrum, Exceptum mediis invenit vulnus in undis. »

284. *Ætolus.* Tydei equus, quem Hippomedon conscenderat.

287. *S. m. e. magnoque e vulnere telum.* Idem codex Behot. ex-

Exuit ipse gemens, et sponte remisit habenas.
Inde pedes repetit pugnas, gressuque, manuque
Certior, et segnem Nomium, fortemque Mimanta,
Thisbæumque Lichan, Anthedoniumque Lycetum
Continuat ferro, geminisque e fratribus unum
Thespiaden : eadem poscenti fata Panemo,
« Vive superstes, ait, diræque ad mœnia Thebes
Solus abi, miseros non decepture parentes.
Di bene, quod pugnas rapidum dejecit in amnem
Sanguinea Bellona manu : trahit unda timentes
Gurgite gentili, nuda nec flebilis umbra
Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.

hibel : *telumque e vulnere magno.* — Reg. B, *S. m.* e. *magnoque ex vulnere telum* præbet, Reg. C nostram lecl. Ed.

289. *Manuque certior.* Motus enim equi minus certam reddebat manum.

290. *Certior, et segnem Nomium, fortemque Mimanta.* Unus Bebol. et *segnem Nonium*. Venelt. *fortemque minantem ;* Bebott. 1, 2, *fortemque Minanta.*

291. *Thisbæumque Lichan, Anthedoniumque Lycetum.* Reg. B habet, *Tebanumque Lychan, Anthedoniumque Lychelum ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Thisbæumque.* Quidam codices *Phœbeum, Pheleum, Thebanumque;* Plures *Thebæum.* Thebæus quidem pro Thebano novum, et nimis Græcissat. *Thisbœum* autem verum est. Hoc ipso libro, v. 768, interficitur a Parthenopæo quem « candida Thisbe miserat. » Habes Iliad. B inter Bœotos πολυτρήρωνα Θίσβην. Ovid. Metam. XI, 300 : « Quæ nunc Thisbæas agital mutata columbas. » (ubi vid. not. nost. edit. tom. IV, pag. 257. Ed.). Gronov. — *Anthedonium.* Ex Anthedone Bœotiæ urbe.

293. *Th. e. p. f. Panemo.* Behot. 1, *Panhemo ;* codex Lactantii, *Panhœmo*, et pro v. l. *Parthenio ;* Behot. 2, *Pathemo ;* Lactantius in Commenl. *Palæmon.*

294. *Vive superstes.* E contrario ait Virgil. Æneid. X, 600 : « et fratrem ne desere frater : » hic ut deserat fratrem hortatur.

295. *Non decepture.* Similitudine scilicet, quod solus sit.

299. *S. v. Tydeus inhumatus ad ignes.* Behot. 1, *Tydeus nec humatus.* — *Stridebit.* Hæc enim in sepulto cadavere umbras facere opinabantur. Vel. Schol. Tydeum sepulchro honoratum supra ex Pausania notatum est. De *stridore umbrarum* vide notata Casp. Gevartio ad lib. II, Silv. 1; et Josepho Antonio Salasio ad Petronium p. 336. Hunc etiam Papinii versum citat Priscianus lib. X, pag. 893, edit. Puschianæ. Barth. — *Inhumatus.*

Ibitis æquoreis crudelia pabula monstris:
Illum terra vehit, suaque in primordia solvit. »
  Sic premit adversos, et acerbat vulnera dictis.
Ac nunc ense furit, nunc tela natantia raptans
Ingerit: innuptæ comitem Therona Dianæ,
Ruricolamque Gyan, cum fluctivago Ergino,
Intonsumque Hersen, contemtoremque profundi
Crethea, nimbosam qui sæpe Caphareos arcem
Euboicasque hiemes parva transfugerat alno.
Quid non fata queant? trajectus pectora ferro
Volvitur in fluctus: heu cujus naufragus undæ!
  Te quoque sublimi transnantem flumina curru,
Dum socios, Pharsale, petis, resupinat ademtis
Dorica cuspis equis: illos violentia sævi
Gurgitis, infelixque jugi concordia mergit.
  Nunc age, quis tumidis magnum expugnaverit undis

Miserrima mors in aquis existimata ex Homeri disciplina, quod igneam animam aquis exstingui crederent.

301. *Illum terra vehit, suaque in primordia solvit.* Solus Petrens. *in primordia solvet.* — Reg. B hanc habet lectionem, Reg. C nostram. Ed. — *Primordia solvit.* Hoc est, quum corpus non fuerit concrematum redigetur in pulverem, et redibit in principium sui: quia omnis caro dicitur esse terrena. — *Sua in primordia.* Elementa, ex quibus componitur.

302. *S. p. a. et acerbat vulnera dictis.* Bebot. *acerbat funera.*

303. *Ac nunc ense furit*, etc. *Et nunc* Dan. Petav. Lang. Busl. Lips. et edd. vett. *Ac nunc* Behott. 1, 2.

305. *R. G. cum fluctivago Ergino.* In iisdem codd. *fluctivago Hergino;* omnes meliores Barth. Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *fluctivago Erigino.* — *Ruricolamque Gyan.* Omnia hæc reguntur a verbo *resupinat* infra posito.

307. *C. n. qui sæpe Caphareos arcem. Capheros* unus Bebot. — *Caphareos arcem.* De Caphareo et Eubœa supra diximus. Circa Eubœam autem, et maxime circa Caphareum, gravissimæ tempestates. Vide Theb. VII, 371, hujusce tom. pag. 45. Ed.

310. *Heu cujus naufragus undæ.* Exclamatio indignantis. Perit in fluvio, qui marina naufragia sæpe evaserat.

311. *T. q. s. transnantem fl. curru.* In eodem Behot. *tranantem flumina cursu*, et pro v. l. *curru.*

312. *Dum socios, Ph. petis.* Ad quos confugiebat petens auxilium.

315. *N. a. q. t. magnum expu-*

Hippomedonta labor, cur ipse excitus in arma
Ismenos, doctæ nosse indulgete sorores :
Vestrum opus ire retro, et senium defendere famæ.
  Gaudebat Fauno nymphaque Ismenide natus
Maternis bellare tener Crenæus in undis :
Crenæus, cui prima dies in gurgite fido,
Et natale vadum, et virides cunabula ripæ.
Ergo ratus nihil Elysias ibi posse sorores,
Lætus adulantem nunc hoc nunc margine ab illo
Transit avum : levat unda gradus, seu defluus ille,
Sive obliquus eat ; nec quum subit obvius, ullas
Stagna dedere moras, pariterque revertitur amnis.

gnaverit undis. Lipsian. et nonnulli alii cudd. *inclinaverit undis.*

317. *Ismenos.* Fluvius, supra. — *Doctæ sorores.* Musæ.

318. *V. u. i. r., et senium defendere famæ.* Nonnulli cudd. Lindenbrugii : *seniumque repellere ;* alii codd. cum Lindenbrug. et Croc. *et senium depellere ;* Lang. Busl. Lipsian. Behott. 1, 2, et edd. vett. *et senium defendere.* — *Senium defendere.* Virgilius, Eclog. VII, 47 : « Solstitium pecori defendite. » Apud Horat. I, Od. 17, 3 : « æstatem capellis defendere. » Et apod Silium, Punic. V, 490 : « defendere nescia murti Dedecus », ut veterrimus liber. Plautos Mostellar. act. IV, sc. 2, 19 *et seqq.* « Heus ecquis hic est, maximam qui his injuriam foribus defendat? » hoc est, a foribus. Sic apud Euripidem Troasin : *παιδί τ' οὐ δυναίμεθ' ἂν Θάνατον ἀρῆξαι.* « A puero mortem arcere non possimus. »

320. *Maternis.* Ismenis enim nympha, Crenæi mater, filia erat Ismeni fluvii.

323. *Elysias sorores.* Parcas in Elysiis campis dominantes.

324. *Adulantem.* Adulatur, alludit, ac blanditur : interdum supplicat. Lactant. — *Lætus adulantem ; etc.* *Adulare* proprie de canibus dicitur, quando et cauda adludunt et lingua mulcent ; hinc *adulare* idem esse videtur ac lambere, quod de fluminibus frequentatur. De aquarum blando adlapsu idem verbum adhibuit Avienus, Descript. orbis terræ, v. 337 et seq. ubi de Syene : « utque Syenen Cærulos accedens diti loca flumine adolat, etc. » ad quem versum illustrandum Papinii locum addoxit Wernsdorfius de cujus notatis hæc deprompsimus ; vid. Poet. Latin. Min. tom. V, pag. 166. Ed.

325. *Avum.* Ismenom.

326. *Sive obliquus eat, etc. Sive obliquus erat* Lang. Buslid. Lips. Aldd. Col. Basil. et plerique — *Subit obvius.* I. e. contra fluvium natat.

327. *S. d. m. pariterque revertitur amnis.* « Omnino legendum : *pariterque revertitur amni.* » Barth

Non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
Blandior, æstivo nec se magis æquore Triton
Exerit, aut caræ festinus ad oscula matris
Quum remeat, tardumque ferit delphina Palæmon.
Arma decent humeros, clipeusque insignis, et auro
Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis.
Sidonis hic blandi per candida terga juvenci
Jam secura maris, teneris jam cornua palmis
Non tenet: extremis alludunt æquora plantis.
Ire putes clipeo, fluctusque secare juvencum.
Adjuvat unda fidem, pelago nec discolor amnis.
Tunc audax pariter telis, et voce proterva
Hippomedonta petit: « non hæc fœcunda veneno
Lerna, nec Herculeis haustæ serpentibus undæ.

— *Revertitur amnis.* Cum natante puero in originem suam recurrit. LACTANT.

328. *N. A. t. h. inguina pontus.* « Nihil pote melius hac lectione scriptorum librorum: qui supposuerant *inguina portus*, litare debuerant bonæ menti. Glaucum intelligit, cui Anthedon patria. » BEAN. — *Anthedonii hospitis.* Glauci, qui de piscatore factus est Deus marinus. Vide Theb. VII, 335.

329. *Triton.* Vide Theb. V, 705.

330. *Caræ matris.* Inus seu Leucothues. Vide Theb. I, 13.

331. *Tardumque ferit delphina Palæmon.* Sic Theb. I, 121 et seq. « Ipsa suum genitrix curvo delphine vagantem Arripuit frenis, gremioque Palæmona pressit. » Deos marinos vehi piscibus, maxime delphinis, fabulantur Poetæ.

332. *Clipeusque insignis.* Pluribus historiis insculptus et coloribus variatus.

333. *Aoniæ cælatur origine gentis.* Id est, insculpta ferebat primordia populi Thebani.

334. *Sidonis.* Europa: et tangit fabulam raptæ Europæ a Jove. — *Sidonis* vero, quia Agenor Europæ pater imperabat Sidoniis.

336. Vide notata de hoc loco ad vers. 35 Tibulli lib. III, Eleg. 4, « ima videbatur talis illudere palla. » nost. edit. pag. 211. ED.

337. *Ire putes.* Ad cælaturæ laudem mobilitatem immobilibus dedit. Sic Virgilius Æneid. VIII, 691 et seq. « pelago credas innare revulsas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos. »

338. *A. u. f. pelago nec discolor amnis.* Optimus codex Barthii: *pelago jam discolor amnis.* — *Non discolor.* Non dissimilis mari multarum incremento aquarum. LACT.

341. *Lerna.* Lerna palus Argolidis, in qua Hercules Hydram confecit.

Sacrum amnem, sacrum, (et, miser, experiere,) Deumque
Altrices irrumpis aquas » : nihil ille, sed ibat
Cominus : opposuit cumulo se densior amnis,
Tardavitque manum : vulnus tamen illa retentum
Pertulit, atque animæ tota in penetralia sedit.
Horruit unda nefas : silvæ flevistis utræque :
Et graviora cavæ sonuerunt murmura ripæ.
Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore,
« Mater! » in hanc miseri ceciderunt flumina vocem.
At genitrix, cœtu glaucarum cincta sororum,

342. *Sacrum amnem, sacrum (et, miser, experiere), Deumque. Deum qui* Lang. Buslid. optimus Barthianus, Petav. Aldd. Lindenbr. plerique et Cruc. *Deumque* Dan. Behott. 1, 2, et edd. Gronov. Barth. et Delph. — *Deum*. Io genitivo plurali pro Deorum, Bacchi scilicet et Herculis. Quædam editiones habent *Deum qui*, male.

343. *A. i. a. nihil ille, sed ibat.* Behot. 1, *nihil ipse.*

344. *C. o. c. se densior amnis.* Nonnolli codd. et edd. vett. *sed densior.* — *Opposuit cumulo sed densior amnis.* Fieri non potest qoin attentus lector hic hæreat, cui adjotorium libri veteres; *se densior.* Perspicue rectum, ideoqne non timide in contextu recepi. » Bern.

345. *T. m. v. t. illa retentum.* « Manoscripti aliqoi mutaot in *receptum*, sed hallucinantur. Neque sic optimos noster. » Barth. — *Retentum.* Qood opposito aquarum cumulo conatos est fluvios retardare.

347. *Utræque.* Utriusque ripæ.

348. *C. s. m. ripæ.* Optimus Barth. *rippæ.* — *Cavæ.* Quia loca concava naturaliter gravius sonant.

350. *Vocem. Mater*, scilicet. Soperveniens enim unda extremum spiritum elausit : qoippe in flovio occisus Crenæus. Seo qoom vocem hanc *mater* edidisset, soffocarunt hanc aqoæ os intrantes. Pariter autem matrem in ore habebat jam suffocandos Pætus apud Propertiom lib. III, Eleg. 7, 17 et seq. « Pæte, quid ætatem nomeras, quid cara natanti Mater in ore tibi est? non habet unda Deos. » Pariter et Halcyonem conjugem Ceyx apod Ovidium Metam. XI, 562 et seq. « sed plurima naotis in ore Halcyooe coojux. » Barth.

351. *At genitrix cœtu.* Reg. B habet haoc lect. Reg. C, *at genitrix cetu.* — *At genitrix.* Ismenis mater Creoæi. — *Cœtu glaucarum cincta sororum.* Vide fabulam Aristæi Virg. Georg. IV, ubi rem describit majore apparatu. — *Glaucarum cincta sororum. Glaucus* color incertus qoalis fuerit. Fluviorom Diis ac Nymphis semper fere adscribitur. Claudian. I, in Prob. et Olybr. Cons. VI, 214 : « Glaoca nitent hirsuto lumina vultu » ad qoem vide notata : nostræ edit. tom. I, pag. 126. Ed.

Protinus icta malo, vitrea de valle solutis
Exsiliit furibunda comis, ac verbere crebro
Oraque, pectoraque, et viridem scidit horrida vestem.
Utque erupit aquis, iterumque, iterumque trementi
Ingeminat, Crenæe, sono: nusquam ille, sed index
Desuper, ah miseræ nimium noscenda parenti,
Parma natat: jacet ipse procul, qua mixta supremum
Ismenon primi mutant confinia ponti.
Fluctivagam sic sæpe domum, madidosque penates
Halcyone deserta gemit, quum pignora sævus
Auster, et algentes rapuit Thetis invida nidos.
Mergitur orba iterum, penitusque occulta sub undis

352. *P. i. m. vitrea de valle solutis.* Put. Pet. Aldd. Colin. Plant. Lindenbr. et Crue. *vitrea de rupe;* Dan. Lang. Gevart. Gron. Barth. plerique et Delph. *vitrea de valle.* « Omnes libri nostri, aliqui etiam aliorum, *vitrea de valle* legunt. Plausibilior sane hæc lectio, de internis vallibus in fluvio, qualia loca describunt in iis poetæ, ut in Tiberi Claudianus, Panegyr. Probini. » Barth.

353. *Furibunda.* Attonita. Lact.

354. *Oraque pectoraque.* Ut mos erat in luctu.

356. *Ingeminat, Crenæe, sono,* etc. Behut. 1, *Cronee;* edd. vett. *Crenee.* « Non probo, quod malunt nonnulli libri, *Crenæa.* » Barth.

357. *Desuper, ah miseræ,* etc. *Desuper ha miseræ* in quibusdam Barthianis.

358. *Qua mixta supremum Ismenon primi mutant confinia ponti.* Id est, in qua parte se mari jungebat Ismenus, mutans colorem et saporem.

360. *Fluctivagam sic sæpe,* etc. *Fluctuvagam* optimæ Barthii membranæ. — *Fluctivagam madidosque penates.* Halcyones enim nidos faciunt in maris litoribus.

361. *Halcyone.* Plin. Hist. Nat. X, cap. 47: « Eo maxime sunt insignes Halcyones: dies earum partus, maria, quique navigant, novere: fetificant bruma, qui dies halcyonides vocantur, placido mari per eos, et maxime navigabili, Siculo maxime. In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utique tractabile. Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt. » Fabulantur autem poetæ Halcyonem fuisse Ceycis uxorem, quæ quum delatum ad se corpus mariti, qui naufragio perierat, vidisset, doloris impatientia, in mare se præcipitavit, ac ambos miseratione Thetidis in aves marinas, quæ Halcyones vocantur, esse conversos. Vide Ovid. Met. XI, et Lucianum in Halcyone.

362. *Algentes nidos.* Halcyon enim parit circa brumam.

Limite non uno, liquidum qua subter eunti
Lucet iter, miseri nequicquam funera nati
Vestigat, plangitque tamen : sæpe horridus amnis
Obstat, et obducto caligant sanguine visus.
Illa tamen præceps in tela offendit et enses,
Scrutaturque manu galeas, et prona reclinat
Corpora : nec ponto submota intrabat amaram
Dorida, possessum donec jam fluctibus altis
Nereïdum miserata cohors ad pectora matris
Impulit : illa manu ceu vivum amplexa reportat,
Insternitque toris riparum, atque humida siccat
Mollibus ora comis, atque hæc ululatibus addit :
« Hoc tibi semidei munus tribuere parentes ?
Nec mortalis avus ? sic nostro in gurgite regnas ?

364. *Liquidum qua subter eunti Lucet iter.* Transitus enim Deorum semper lucidus. Quod videre est in pluribus Papinii locis.

565. *Lucet iter.* Apud Propertium, II Eleg. 14, 17 : « ante pedes cæcis lucebat semita nobis. »

367. *Obstat.* Non sponte, sed limo et cadaveribus turbatus.

369. *Et prona reclinat Corpora.* Resupinat, ut mortuorum vultus possit rimari, et Crenæum agnoscere.

370. *Corpora : nec ponto*, etc. *Corpora : nunc ponto*, etc. legit Marklandus ad Silv. V, 2, 35. — *Amaram Dorida.* Id est, salsum mare : Doris enim, utpote Dea marina, sumitur pro mari. Virg. Ecl. X, 5 : « Doris amara suam non intermisceat undam. »

371. *Possessum.* Subactum, in potestatem redactum, h. e. submersum.

372. *Nereïdum miserata cohors.* Quod maris ingenio fit, artificiose et poetice tribuit Nereidibus Poeta. Nereides autem Deæ marinæ.

376. *Semidei.* Faunus et Ismenis. Semidei autem propter rationem allatam Theb. VI, 92 et seqq. quia licet Fauni et Nymphæ diutissime viverent secundum Veterum opinionem, moriebantur tamen.

377. *Nec mortalis avus.* Ismenus; nam fluvii semper fluunt, et immortales habentur. — *Nostro.* Ex mortali puella in Nympham mutata genuerat eum, ideoque mori Crenæum oportebat. Vet. Schol. Sed male : nam Ismeni filia hæc erat, et ex Fauno pepererat istum Crenæum. Barth. Aristoteles dicit post certa annorum millia et Nymphas et Faunos perire, quia commistione mortalium provenerunt. Vet. Commentat. — *Regnas.* Regno tibi per me et meum patrem debito. Faunus erat pater Crenæi, mater amnis Ismeni filia, quam non nominat noster Poeta. Vet. Schol.

Mitior heu misero discors, alienaque tellus,
Mitior unda maris, quæ juxta flumina corpus
Rettulit, et miseram visa exspectasse parentem.
Hinc mei vultus? hæc torvi lumina patris?
Hi crines undantis avi? tu nobile quondam
Undarum, nemorumque decus, quo sospite major
Diva, et nympharum longe regina ferebar.
Heus ubinam ille frequens modo circa limina matris
Ambitus? orantesque tibi servire Napææ?
Cur nunc te melius sævo mansura profundo
Amplexu misero tumulis, Crenæe, reporto,
Non mihi? nec tantæ pudet, heu! miseretque ruinæ,
Dure parens? quæ te alta et ineluctabilis imo

378. *Mitior heu misero discors*, etc. « In optimo libro *miseræ* legitur, quod probo. Male nonnulli omittunt hunc versum. » BARTH. Pro *discors* Heinsius ad Sabini Heroid. Epist. I, 35, malit *dissors*. — *Mitior heu misero discors, alienaque tellus*. Legendum censet Nic. Heinsius *dissors*. Dissortem et alienam tellurem vocat respectu aquarum, e quibus originem Crenæus trahebat. Censetque idem Heinsius multos apud poetas locos eodem modo restituendos in quibus *discors* pro *dissors* irrepserit. Hunc vide in Notis in Epistolas tres Sabini. Cf. ad Ovid. nost. edit. tom. I, p. 20. ED.

380. *Retulit, et miseram*, etc. « Melior scriptura est in optimo libro : *Reppulit;* supra enim dixit : *ad pectora matris Impulit.* » BARTH.

381. *Hæc torvi lumina patris.* Fauni. Faunis enim torvi oculi.

382. *Undantis avi.* Ismeni.

383. *Undarum.* Propter Ismenon. — *Nemorum.* Propter Faunum.

385. *Heus ubinam ille frequens modo circa limina matris. Heu ubinam* in quibusdam codd. Vide Thebaid. VIII, 175, et Heinsium ad Ovid. Heroid. Epist. IV, 150. — Reg. B habet, *Heu ubinam ille frequens modo circa limina fratris ;* Reg. C nostr. lect. — *Heus ubinam*, etc. Legendum, *heu! ubinam*, etc. Sic Theb. V, 350, « Heu! ubi nunc furiæ? » Et lib. VIII, 174 : « Heu! ubi laurigeri currus? » Silvarum III, 5, 44 : « Heu! ubi nota fides? » Ita et alii poetæ.

386. *Ambitus.* Quia rogabant tibi in matrimonium sociari. LACT. — *Napææ.* Nymphæ pratorum.

387. *C. n. t. m. s. mansura profundo.* « Male nonnemo librariorum hæc turbat *mansure* rescribendo. » BARTH. — *Te melius mansura profundo.* Melius fuerat in mari me exstingui.

390. *Dure parens.* Verba convertit ad Ismenon patrem, excitatque ad vindicandam nepotis mortem. — *Quæ te alta*, etc. Credebantur Dii fluviorum incolere spe-

Condidit amne palus? quo jam nec cruda nepotis
Funera, nec nostri valeant perrumpere planctus?
Ecce furit, jactatque tuo se in gurgite major
Hippomedon : illum ripæque undæque tremiscunt,
Illius impulsu nostrum bibit unda cruorem.
Tu piger, et trucibus facilis servire Pelasgis.
Ad cineres saltem, supremaque justa tuorum
Sæve veni, non hic solum accensure nepotem. »
His miscet planctus, multumque indigna cruentat
Pectora : cæruleæ referunt lamenta sorores.
Qualiter Isthmiaco nondum Nereida portu
Leucothean planxisse ferunt, dum pectore anhelo

lucas quasdam in fundo aquarum suarum.

391. *Nepotis.* Crenæi, per Ismenidem filiam.

393. *E. f. j. tuo se in gurgite major.* « Omnino vera est scriptura optimi codicum : *tuo te in gurgite major.* In tuo gurgite te potentior. » BARTH.

394. *H. i. r. u. tremiscunt.* Unus Behot. *tremescunt.*

395. *Nostrum cruorem.* Per cædem Crenæi, filii mei, et nepotis tui.

396. *T. p. e. t. f. servire Pelasgis.* Lang. Lipsian. et edd. vett. *servile Pelasgis.* — *Pelasgis.* Græcis seu Argivis.

397. *A. c. s. supremaque justa tuorum.* Aldd. Colin. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *busta tuorum;* Dan. Petav. Lipsian. Behott. 1, 2, Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *justa tuorum.* — *Justa tuorum. Justa* dicuntur sollemnia funerum. LACTANT.

398. *Sæve veni, etc.* « In optimo et uno alio libro *Sere veni.* Nihil muto tamen. » BARTH. — *Non hic solum accensure nepotem.* Hoc dicit propter Hypseum alterum Ismeni nepotem, quem etiam occidit Capaneus. Juvat vero hic incogitantiam Papinii notare. Hic convicium dicit Ismeno filia, ut prorsus ignoranti quidquid de cæde filii et aliorum gestum sit. At quum jam occidendus esset nepos iste ipsius, facit obstantes et inhibere volentes Hippomedontem undas : « Opposuit cumulo se densior amnis Tardavitque manum. » An per somnum hoc fecit bonus Ismenus? an vero non insolens prorsus talium dormitavit optimus Noster Papinius? hoc potius arbitror. BARTH.

401. *Qualiter.* Tangit fabulam Palæmonis et Leucothoes. — *Isthmiaco.* Corinthiaco. — *Nondum Nereida.* Quum nondum in Deam marinam fuisset mutata. Vide Thebaid. I, 13.

402. *Leucothean planxisse ferunt.* Fabulam Ino et Melicertis tangit, pueris jam decantatam, vel ex uno Ovidio Metam. IV, quem

Frigidus in matrem sævum mare respuit infans.
At pater arcano residens Ismenos in antro,
Unde auræ, nubesque bibunt, atque imbrifer Arcus
Pascitur, et Tyrios melior venit annus in agros,
Ut lamenta procul (quanquam obstrepit ipse) novosque
Accepit natæ gemitus, levat aspera musco
Colla, gravemque gelu crinem, ceciditque soluta
Pinus adulta manu, dimissaque volvitur urna.
Illum per ripas annoso scrupea limo

non exscribo : illud obiter sciat juventus, Ino hanc, Matutam matrem, ab antiquis dictam; eamdemque esse cum Aurora. Cicero Tuscul. I, « Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nobis? » Lucretius De Nat. Rer. V, 655, « Tempore item certo roseam Matuta per oras Ætheris auroram defert, et lumina pandit. » Si de Matuta plura desideras, adi Plutarchum in Camillo, et Problem. Ciceronem de Nat. Deor. III; Livium lib. VI. Bernart.

403. *Mare respuit.* Quod hauserat. — *Infans.* Palæmon.

404. *Antro.* Vid. sup. vs. 390. — *Arcano.* Nemini unquam couspecto.

405. *Unde auræ.* Nubes enim, ventique, ac cælestis arcus fiunt e vaporibus eductis ex fluminibus et aquis.

406. *Pascitur, et Tyrios melior venit annus in agros. Nascitur* Lipsian. et Venett. *melior venit amnis* Lang. Buslid. Petav. Aldd. Colin. Lindenbrog. plerique et Gevart. *melior venit annus* optimus codex Barthii, Behott. 1, 2, unus Lindenbrogii, Gronov. Barth. et Delph. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *Pascitur et Tyrios*, etc. — *Et Tyrios.* Thebanos. — *Annus.* Id est, fertilitas, annona, messis.

407. *Ut lamenta procul (quanquam obstrepit ipse) novosque.* Reg. B habet, *Ut lamenta procul quanquam strepit ipse novosque;* Reg. C nostram lection. En. — *Obstrepit.* Aquarum strepitu. — *Quanquam obstrepit ipse.* Quanquam strepitus aquarum impediebat auditum, tamen auribus filiæ lamenta percepit. Lactant.

408. *Musco.* Musco enim frequenter replentur ortus fluminum. Hinc poetæ fingunt capita Deorum fluviorum musco cingi.

410. *P. a. m. dimissaque volvitur urna.* Jortinus conj. *demissaque volvitur urna.* — Reg. B habet nostram lect. Reg. C, *demissaque volvitur urna.* En. — *Pinus adulta manu.* Quia hæ arbores frequenter in fluviorum ripis crescunt, ideo Poeta ponit in manu Ismeni pinum. — *Dimissaque volvitur urna.* Urnis enim innixi repræsentantur fluviorum Dei, ex quibus aqua effunditur. Virg. Æneid. VII, 792 : « Cælataque amnem fundens pater Inachus unda. »

411. *Scrupea Ora.* Hoc dicit, quia lapillulis et calculis replentur fluvii.

Ora exertantem silvæ, fluviique minores
Mirantur : tantus tumido de gurgite surgit,
Spumosum attollens apicem, lapsuque sonoro
Pectora cæruleæ rivis manantia barbæ.
Obvia cognatos gemitus, casumque nepotis
Nympharum docet una patrem, monstratque cruentum
Auctorem, dextramque premit : stetit arduus alto
Amne, manuque genas, et nexa virentibus ulvis
Cornua concutiens, sic turbidus ore profundo
Incipit : « Huncne mihi, Superum regnator, honorem,
Quod toties hospesque tuis et conscius actis,
Nec memorare timor, falsa nunc improba fronte

412. *Fluviique minores.* Quasi nunquam eatenus visum, et parentem videlicet, et receptorem suum. Crassa ignorantia. Et sane non adfuerunt eatenus illi fluvii ulli concilio Deorum. Cui advocati (ut fieri solitum constat ex Claudiano et Sidonio, veridicis præter cæteros talium auctoribus) poterant spectari toti, seniores sedentes, juniores erecti; Claud. XXXVI, de Raptu Proserp. III, 13 et seq. « Nec non et senibus fluviis concessa sedendi Gloria, plebeio stat cætera more juventus. » Sidonius Paneg. Soceri, Aviti Augusti : « Inde priores Consedere Dei, fluviis quoque contigit illo, Sed senibus, residere loco. » Omnes igitur illi vel nulli affuerunt concilio, vel cæci fuerunt, non visa magnitudine sui illius vicini; vel post ejus visum sunt prognati demum. Barth.

413 et 414. *Mirantur : tantus tumido de gurgite surgit, Spumosum attollens apicem, lapsuque sonoro.* Reg. B habet, *Spumosum attollens apicem, lapsuque sonoro Mirantur: tantus tumido de gurgite surgit;* Reg. C nostram lect. nisi : *lapsusque sonoro.* Ed.

416. *Cognatos.* Filiæ scilicet. — *Nepotis.* Crenæi.

418. *Dextramque premit.* Ut incitet magis, vel ut melius et promtius advertat auctorem necis.

419. *A. m. g. et n. virentibus ulvis.* Petrens. *virentibus ulmis.* — Reg. B nostr. lect. præbet, Reg. C *virentibus ulmis.* Ed. — *Ulvis.* Ulvæ enim et junci nascuntur in fluviorum ripis.

420. *Cornua concutiens.* Tauriformes enim fluvii. — *Concutiens.* Iracundiæ signum.

422. *Quod toties hospesque tuis et conscius actis.* Behot. 1, *tuus et.* — *Hospesque tuis et conscius actis.* Qui recepi tua stupra, et libidinum tuarum conscius fui.

423. *Falsa nunc improba fronte Cornua.* Innuit fabulam Antiopes Nyctei filiæ, quam Juppiter stupravit in taurum, vel Satyrum, ut alii conversus : cornuti enim etiam Satyri. Eamdem fabulam tangit No-

Cornua, nunc vetitam currus disjungere Phœben,
Dotalesque rogos, deceptaque fulmina vidi,
Præcipuosque alui natorum? an vilis et illis
Gratia? ad hunc certe repsit Tirynthius amnem:
Hac tibi flagrantem Bromium restinximus unda.
Adspice, quas fluvio cædes, quæ funera portem,
Continuus telis, altoque adopertus acervo.
Omne vadum belli series tenet: omnis anhelat
Unda nefas, subterque animæ supraque recentes
Errant, et geminas jungunt caligine ripas.
Ille ego clamatus sacris ululatibus amnis,
Qui molles thyrsos, Bacchæaque cornua puro

ster Silv. I, 2, 135, Epith. Stellæ: « Falsas huic pennas et cornua sumeret æthræ Rector. »

424. *Nunc vetitam currus disjungere Phœben*. Tangit fabulam Alcmenæ, qua dum frueretur Juppiter, tres noctes continuatæ sunt ut conciperetur Hercules. Unde « ter noctem Herculeam » Theb. XII, 301.

425. *Deceptaque fulmina vidi*. Quia indisposite fulmen Semelen exstinxit. Primam ergo fabulam Europæ dicit. Secundam Alcmenæ, in qua ter geminata est nox. Tertiam Semeles, quam fulmine suo Juppiter incendit. Quartam Ledæ, quam Juppiter prope flumen vitiavit, mutatus in cygnum.

426. *Præcipuosque*. Increpans dicit præcipuos se Jovis filios educasse, id est, Herculem Liberumque. Unde cum Semele matre certum est Liberum fulminatum, sed a Jove Mercurioque perceptum, et femori Jovis insutum, ad nascendi esse tempora reservatum.

427. *Tirynthius*. Hercules.

428. *Flagrantem Bromium*. Bacchus enim, quum natus est, *merus ignis* fuit, a Nymphis aqua infusa compositus. Barth.

429. *Funera portem*. Cadaverum molem. Lactant.

430. *Continuus telis, altoq.* etc. Aldd. Colin. Gryph. etc. *quæ funera portem Continuus? telis*, etc. — Reg. B habet, *alioque*, etc. Reg. C nostram lect. Ed.

431. *Belli series*. Cadavera et arma hinc et inde sparsa, et continuo fluvii alveo perlata, vocat *seriem belli*.

433. *Errant*. Nondum enim conditis ac humatis corporibus, errare animas Veteres putabant. — *Jungunt caligine*. Id est, turbidas faciunt.

434. *Sacris ululatibus*. Orgiis Bacchi.

435. *Qui molles thyrsos, Bacchæaque cornua puro*. *Qui molles thirsos* Lang. Buslid. Lips. et edd. vett. — Reg. B habet, *Qui molles thirsos Bacchiaque*, etc. Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Qui molles thyrsos, Bacchæaque cornua*.

Fonte lavare feror, stipatus cædibus arctas
In freta quæro vias : non Strymonos impia tanto
Stagna cruore natant, non spumifer altius Ebrus
Gradivo bellante rubet : nec te admonet altrix
Unda, tuasque manus, jampridem oblite parentum
Liber? an Eous melius pacatur Hydaspes?
At tu, qui tumidus spoliis, et sanguine gaudes
Insontis pueri, non hoc ex amne potentem
Inachon, aut sævas victor revehere Mycenas,
Ni mortalis ego, et tibi ductus ab æthere sanguis. »
Sic ait infrendens, et sponte furentibus undis
Signa dedit : mittit gelidus montana Cithæron
Auxilia, antiquasque nives, et pabula brumæ

Thyrsi enim et cornua Bacchantium insignia. — *Puro Fonte lavare.* Ad ea expianda et lustranda.

436. *F. l. f. s.* c. *arctas.* Regg. B et C, *artas* habent. En.

437. *Strymonos.* Strymon Thraciæ fluvius. — Hodie *Stromona*, *Radini* vel *Ischar* vocatur. En.

438. *Ebrus.* Ebrus ejusdem Thraciæ fluvius.

439. *Gradivo bellante.* In Thracia enim sedem fixisse Mars dicitur. Unde etiam Nostro Theb. III, 220 et seq. « Ille furentes Bistonas, et Geticas populatus cædibus urbes. » — *Altrix Unda.* Vide supra v. 343.

440. *Tuasque manus.* An χεῖρες, an copias? hæc vox enim utrumque significat.

441. *Liber, an Eous*, etc. Behot. 1, et *Eous.* — *An Eous melius pacatur Hydaspes.* Tangit fabulam, qua dicitur Bacchus bello Indiæ illato Indos subegisse. Hydaspes enim fluvius Indiæ qui in Acesinem influit. — *Eous.* Quia tota India ad orientem spectat.

442. *At tu.* Convertit orationem ad Hippomedontem.

443. *Pueri.* Crenæi. Miseratione *puerum* vocat. Ut Virgilius, Æneid. XII, 943 : « Pallantis pueri, » quem alibi magnum Heroem repræsentaverat. — *Potentem.* Quem tu me potentiorem censes, quoniam nepotem meum occidisti. Sed non redibis ad eum de me triumphans. Vet. Schol.

444. *Inachon.* Inachus Argolidis fluvius. — *Mycenas.* Mycenæ Argolidis urbs, et origo gentis Hippomedontis : Infra de eodem : « Cui gentis origo Mycenæ. »

445. *Ni mortalis ego.* Suspectus versus Guyeto : ἐπίχει.

446. *S. a. i. et s. furentibus undis.* Optimus codex Barthii, *frementibus undis.*

447. *Signa dedit.* Furoris sui nuda dedit indicia. — *Cithæron.* Mons Bœotiæ. — Ismenon in vindictam filii velut auxilia misit exercitus.

448. *Auxilia.* Fluenta nivium. — *Pabula brumæ.* Nives.

14.

Ire jubet: frater tacitas Asopos eunti
Conciliat vires, et hiulcis flumina venis
Suggerit: ipse cavæ scrutatur viscera terræ,
Stagnaque, torpentesque lacus, pigrasque paludes
Excutit, atque avidos tollens ad sidera vultus
Humentes nebulas exhaurit, et aera siccat.
Jamque super ripas utroque exstantior ibat
Aggere, jam medium modo qui superaverat amnem
Hippomedon intactus aquis humerosque manusque,
Miratur crevisse vadum, seseque minorem.
Hinc atque hinc tumidi fluctus, animosaque surgit
Tempestas instar pelagi, quum Pleiadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.
Non secus æquoreo jactat Theumesius amnis

449. *Frater.* Ejusdem regionis fluvius. — *Tacitas.* Vel sine strepitu; vel occultas, per latentia spiramina terrarum. — *Asopos.* Fluvius Bœotiæ.

450. *Hiulcis.* Semiapertis. Vet. Schol. Virg. Georg. II, 353: « hiulca siti findit canis æstifer arva. » Hinc Servius: nimiis caloribus fissa. Catull. Carm. LXVIII, 62: « Quum gravis exustos æstus hiulcat agros. » Barth.

451. *Suggerit: ipse cavæ scrutatur viscera terræ.* Reg. B, *Suggerit ipsa cave*, etc. habet; Reg. C nostram lect. Ed.

453. *Excutit, atque*, etc. *Excitat* Lindenbrog.

454. *Aera siccat.* Pluviæ enim ex nebulis conceptæ terræ funduntur. Dicit ergo aquarum semina omnia ad incrementa hujus fluminis affuisse conversa. Lactant.

455. *Jamque super ripas utroque exstantior ibat.* Reg. B, *Jamque super ripas ultroque*, etc. habet; Reg. C nostr. lect. Ed.

456. *Aggere.* Riparum altitudine. Lactant.

458. *Seseque minorem.* Quia aquis fere tegebatur.

460. *T. i. p. q. Pleiadas haurit. Pliades* Behot. 1, *Pliadas* Behot. 2. — *Pleiadas.* Pleiades sidus tempestuosum. Vide Theb. I, v. 26 et ibi notata, tom. præc. pag. 11. Ed. — *Haurit.* Supple, pelagus vel mare.

461. *Nigrum.* Turbidum, tempestatem significantem. Etenim si lucidus oriatur serenitatem significat, ut Virgil. Æneid. III, 517: « Armatumque auro circumspicit Oriona. Lactant. — *Oriona.* Sidus procellosum.

462. *Non secus æquoreo jactat Theumesius amnis.* Reg. B habet, *N. s. æ. j. Teumesius ignis;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Theumesius.* Thebanus vel Bœotus a Theumeso Bœotiæ monte.

Hippomedonta salo, semperque umbone sinistro
Tollitur, et clipeum nigrante supervenit æstu
Spumeus assultans, fractaque refunditur unda,
Et cumulo majore redit : nec mole liquenti
Contentus, carpit putres servantia ripas
Arbusta, annosasque trabes, ejectaque fundo
Saxa rotat : stat pugna impar, amnisque virique,
Indignante Deo : nec enim dat terga, nec ullis
Frangitur ille minis, venientesque obvius undas
Intrat, et objecta dispellit flumina parma.
Stant terra fugiente gradus; et poplite tenso
Lubrica saxa natant, genibusque obnixus, et hærens
Subruta fallaci servat vestigia limo,
Sic etiam increpitans : « Unde hæc, Ismene, repente
Ira tibi? quove has traxisti gurgite vires

463. *Umbone sinistro*. Quia brachio sinistro insertus.

467. *Contentus, carpit putres servantia ripas*. «Vera omnino est scriptura optimi libri : *carpitque putres servantia ripas*, etc.» Barth. *Contemtus, carpit putres* Dan. — *Servantia*. Possidentia. Lactant.

469. *Pugna impar*. *Stare* dicit, quum neuter adhuc sit victor. Sic Theb. VIII, 383, de Marte : «Stat medius campis, etiamnum cuspide sicca Bellipotens.» Vet. Schol.

470. *Indignante Deo : nec enim dat terga, nec ullis*. Reg. B habet, *I. D. n. e. d. terga, nec illis*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Indignante Deo*. Ismeno, *indignante*, hominem sibi tamdiu resistere.

471. *Ille*. Hippomedon ultra modum animosus. Non enim nesciebat se cum Deo pugnare, nec posse victoriam consequi.

472. *I. e. o. dispellit flumina parma*. Lindenbrog. Dan. Petav. et Behot. 2, pro v. l. *dispergit flumina*; Behott. 1, 2, Laur. Busl. Gronov. Barthian. et Delph. *dispellit flumina*.

473. *Stant terra fugiente gradus*, etc. Reg. B, *Stat terra fugiente gradus* exhibet; Reg. C nostr. lection. Ed. — *Terra fugiente*. Quia magis ac magis crescebant aquæ, et sic terra veluti recedere, seu fugere, Hippomedonti videbatur.

474. *Lubrica saxa natant*, etc. «Optimi duo codd. scribunt *saxa tenent*; quod et verum puto.» Barth. — Reg. B, *Lubrica saxa tenet*; Reg. C habet nostr. lect. Ed.

475. *Subruta*. Eversa, id est, subter euntia. Lactant. — *Fallaci limo*. Qui creditos sibi gressus decipiebat, et nutare faciebat.

477. *Quove has traxisti gurgite vires*. Contemtim; non enim per se tam validus Ismenus.

Imbelli famulante Deo? solumque cruorem
Femineis experte choris, quum Bacchica mugit
Buxus, et insanæ maculant trieterida matres? »
  Dixerat : atque illi sese Deus obtulit ultro
Turbidus imbre genas, et nube natantis arenæ :
Nec sævit dictis, trunca sed pectora quercu
Ter, quater, oppositi, quantum ira Deusque valebant,
Impulit assurgens : tandem vestigia flexit,
Excussumque manu tegimen, conversaque lente
Terga refert : instant undæ, sequiturque labantem
Amnis ovans : necnon saxis, et grandine ferri

478. *Imbelli famulante Deo?* etc. *Imbelli famulate Deo* Marklandus ad Silv. II, 6, 80, et ita etiam multi codd. et edd. vett. probante Barthio. — Reg. B habet hanc lectionem, Reg. C nostram. Ed. — *Imbelli Deo*. Baccho. — *Solumque cruorem Femineis experte choris*. Quia Bacchantes, furore Bacchi correptæ, quidquid obvium iis fieret, discerpebant, ac se ipsas lacerabant.

479. *F. e. c. q. Bacchica mugit*. *Bacchia* Behot. 1, et duo codd. quos citat doctissimus Gavel in Miscel. Obss. tom. X, p. 439. Vide Achill. II, 4.

180. *B. e. i. m. trieterida matres?* Unus Behot. et nonnulli Barthiani *trieterica*. — *Buxus*. Tibia. Vide Theb. VII, 171. — *Et insanæ maculant trieterida matres*. Exprobrat factum Agaves, quæ filium Pentheum in Bacchi orgiis laceravit. — *Trieterida*. Quia Bacchi sacra seu Orgia tertio quoque anno celebrabantur.

481. *Deus*. Ismenus.

482. *Turbidus imbre genas, et nube natantis arenæ*. Lang. Aldd. Colin. Plant. Lindenbr. nonnulli et Cruc *et mole natantis*. — *Et nube natantis arenæ*. Id est, natantis limi squalore sordentis : ad demonstrandam violentiam torrentis fluminis, fundo limum excitum in superficie aquarum rotare poeta monstravit. Lactant.

483. *Nec sævit dictis, trunca sed pectora quercu*. Behot. 1, *truncas in pectora quercus*.

484. *Ter, quater, oppositi, quantum ira Deusque valebant*. *Ter quater oppositas*. Behot. 1, *Ter quater opposita* Behot. 2. — Reg. B, *T. q. o. q. ira Deusque valebat* habet; Reg. C nostr. lect. Ed. — *Oppositi*. Hippomedontis. Ut ostenderet viri fortis constantiam, dicit tarde eum cessisse vel numini.

485. *Tandem vestigia flexit*. Hippomedon, supple.

486. *Excussumque manu tegimen*. Lang. Buslid. Lindenbr. plerique et Gevart. *tegmen*; Behott. 1, 2, Gronov. Barthian. et Delph. *tegimen*.

488. *Grandine ferri*. Telorum

Desuper infestant Tyrii, geminoque repellunt
Aggere : quid faciat bellis obsessus et undis?
Nec fuga jam misero, nec magnæ copia mortis.
  Stabat gramineæ producta crepidine ripæ
Undarum ac terræ dubio, sed amicior undis
Fraxinus, ingentique vadum possederat umbra.
Hujus opem (nam qua terras invaderet?) unca
Arripuit dextra ; nec pertulit illa trahentem ;
Sed majore supra, quam stabat pondere victa
Solvitur, et qua stagna subit radice, quibusque
Arentem mordebat humum, demissa superne
Injecit trepido sese, ripamque, nec ultra
Passurum subitæ vallavit ponte ruinæ.

multitudini, ne grando in terras rarius cadere putaretur. Lactant.

490. *A. q. f. bellis obsessus et undis.* In uno Barth. *bellis oppressus.* — *Quid faciat bellis obsessus et undis?* Sic vertit *Cormiliolle :* « Assailli tout à la fois par la guerre et les flots,... que fera-t-il? L'infortuné!... l'espoir de la fuite ou d'une mort glorieuse lui est également interdit. »

491. *Nec magnæ.* Heroe dignæ.

492. *Crepidine ripæ. Crepido* dicitur moles eminentior in ripis.

493. *Und. ac t. dubio.* Incertum erat utrum arbor hæc esset in fluvio, an extra, in ipsa scilic. ripa.

495. *Hujus opem*, etc. « In alio libro scriptum est : « *opes*, i. e. ramos ; » sed nihil mutandum. » Barth. — *Hujus.* Arboris. — *Nam qua terras.* Interpositio per interrogationem. Lactant.

496. *Nec pertulit.* Non sustinuit arbor Hippomedonta trahentem.

497. *Sed majore supra*, etc. *Sed majore super* Behott. 1, 2. — *Pondere victa.* Trahentis scilicet gravitate avulsa est.

499. *Arentem mordebat humum, demissa superne.* Reg. B, *A. m. h. dimissa superne* exhibet ; Reg. C nostram lect. Ed. — *Mordebat.* Intelligitur non firmiter inhæsisse aut innatam fuisse. Ideo mordere dixit humum ; i. e. leviter astringere.

500. *Injecit trepido sese...* Reg. B, *Injecit sese trepido.* Ed. — *Nec ultra Passurum.* Libri non discrepant : nec tamen mihi persuadent locum sincerum esse : judicent docti.

501. *Passurum subitæ vallavit ponte ruinæ. Prensurum* Gronovius in Diatr. p. 24, e codice Palatino. Vide Handium ad h. l. « In optimo libro vera hic scriptura superesse videtur : *nec ultra Passa virum :* i. e. emergere, aut se attollere. Vera lectio corrupta est a quodam Italo aut Gallo. Sagax Bernartius, qui vidit aliquid corruptum, sed se expedire non potuit vulgari cœno. » Barth. — In quibusdam codd. *vallavit pena.*

Huc undæ coeunt, et ineluctabile cœnum
Vorticibusque cavis sedit, crescitque barathrum.
Jamque humeros, jam colla ducis sinuosa vorago
Circuit : hic demum victus suprema fateri
Exclamat : « Fluvione, pudet! Mars inclyte merges
Hanc animam? segnesque lacus et stagna subibo,
Ceu pecoris custos, subiti torrentis iniquis

502. *Huc undæ coeunt et ineluctabile cœnum.* Reg. B habet, *H. u. c. c. ineluctabile cœno;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Huc undæ coeunt.* In locum stantis arboris unda successit Lucan. III, 633 : « Inque locum puppis cecidit mare. » Lact.

503. *Vorticibusque cavis sedit.* « Hic etiam præstare ausim veritatem codicis scripturæ, quæ clare refert : *Vorticibus recavis.* » Barth. « Omnino iterum hæc emendanda sunt secundum auctoritatem illius optimi codicis. Scribe : *ineluctabile cœnum Vorticibus recavis cedit, crescitque baratrum.* Sic cohæret, ut debet ordo loquendi. » Barth.

504. *Sinuosa vorago.* Cœnosæ altitudinis motus. Lactant.

505. *Circuit : hic,* etc. *Circumit* unus Behot.

506. *Fluvione, pudet! Mars inclyte merges Hanc animam.* Nullum enim genus mortis magis Heroes reformidabant : tum quod, ut supra diximus, igneam animam aquis extingui crederent, quum quod vilem mortem esse crederent, ac insepultos errare, donec terra contegerentur, omnibus persuasum erat. Ideoque Homerus Iliad. Φ, inducit Achillem virum generosissimum ac in periculis intrepidum mortem in aqua reformidantem : quam quidem etiam *tetram* vocat. Et Virgilius Ænean quantumvis cætera magnanimum ac fortem in fluctibus a Junone excitatis tantopere expalluisse canit. Vide Servium super Virgil. Æneid. I, et Synesium Epistola quarta, ubi refert factum quorumdam militum, qui quum navem, in qua erant, gravissima tempestate jactari ac naufragium minari viderent, gladios strinxerunt; et interrogati cur id facerent, responderunt se, ut milites, decere, quum in tabulato navis essent, animam in aerem efflare, non autem in undam hiantes. Ovidius, Trist. I, Eleg. 2, vs. 51 et seqq. « Nec letum timeo : genus est miserabile leti : Demite naufragium, mors mihi munus erit. Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem In solida moriens ponere corpus humo; Et mandare suis aliquid, sperare sepulcra, Et non æquoreis piscibus esse cibum. »

507. *Hanc animam? segnesque lacus et stagna subibo.* Reg. B, *H. a. s. l. c. stagna subito* exhibet ; Reg. C nostr. lect. Ed. — *Segnes lacus et stagna.* Intelligit Inferorum fluvios.

508. *C. p. c. subiti torrentis iniquis.* In eodem Behot. codice : *subiti torrentis iniqui;* et pro v. l. *subitis.* — *Torrentis. Torrentia* dicuntur flumina, quæ, subjecta montibus,

Interceptus aquis? adeone occumbere ferro
Non merui? » Tandem precibus commota Tonantem
Juno subit : « Quonam miseros, sator inclyte Divum,
Inachidas, quonam usque premes? jam Pallas et odit
Tydea, jam rapto tacuerunt augure Delphi.
En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ
Argolicique lares, numenque ante omnia Juno,
(Sic ego fida meis?) pelagi crudelibus ibit
Præda feris? certe tumulos, supremaque victis
Busta dabas : ubi Cecropiæ post prælia flammæ?
Theseos ignis ubi est? » Non spernit conjugis æquas
Ille preces : leviterque oculos ad mœnia Cadmi
Rettulit, et viso sederunt flumina nutu.
Illius exsangues humeri, et perfossa patescunt
Pectora : ceu ventis alte quum elata resedit

facillime aquarum augentur incrementis. — *Iniquis.* Magnis, sive vim inferentibus. LACTANT.

510. *Non merui? Tandem precibus commota Tonantem.* « Non sollicito hanc lectionem; nam sensus est: Juno commota Tonantem subit precibus : in optimo tamen libro est : *precibus motura.* » BARTH.

512. *Jam Pallas et odit Tydea.* Ob feritatem in Menalippum.

513. *Rapto augure.* Amphiarao. Vide sub finem Theb. VII.

516. *Sic ego fida meis.* Tua negligentia aut odio facis, ut ego contemnar, aut pro infido numine habear. Notum autem Junonem Argis præcipue cultam. Vet. Schol.

517. *Præda.* Insepultum Ismenus in mare rapiet.

518. *Busta dabas*, etc. *Justa dabas* legit Marklandus ad Silv. III, 2, 142. — *Busta dabas.* Pro *Busta* legendum *Justa* censet Nicolaus Heinsius. Familiaris ista vox Statio. — *Ubi Cecropiæ post prælia flammæ? Theseos ignis ubi est.* Hoc dicit ob Creontem, qui vetuerat, ne corpora Argivorum in prælio occisorum sepulturæ mandarentur; sed Theseus, eo interemto, hoc illis humanitatis officium præstitit. — *Cecropiæ.* Id est, Atticæ, a Cecrope Athenarum conditore. Hoc videbitur Theb. XII.

520. *Ad mœnia Cadmi.* Thebana.

521. *Retulit, et viso sederunt flumina nutu.* « Non sollicitarem hanc scripturam, quanquam idem verbum statim sequatur, memor moris Papiniani : at optimus codex habet : *et viso ceciderunt.* » BARTH.

523. *Pectora : ceu ventis alte quum elata resedit.* « Non possum prorsus contemnere duorum librorum scripturam : *alte cum flata.* An scriptum Papinio *inflata?* Nihil mutamus. » BARTH. Edd. vett. *alte con-*

Tempestas, surgunt scopuli, quæsitaque nautis
Terra, et ab infestis descendunt æquora saxis.
Quid ripas tenuisse juvat? premit undique nimbo
Telorum Phœnissa cohors: nec tegmina membris
Ulla, omnisque patet leto: tunc vulnera manant,
Quique sub amne diu stupuit cruor, aere nudo
Solvitur, et tenues venarum laxat hiatus,
Incertique labant undarum frigore gressus.
  Procumbit, Getico qualis procumbit in Hæmo
Seu Boreæ furiis, putri seu robore quercus
Cælo mixta comas, ingeutemque aera laxat.
Illam nutantem nemus, et mons ipse tremiscit,
Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.
  Non tamen aut ensem, galeamve audacia cuiquam
Tangere: vix credunt oculis, ingentiaque horrent
Funera, et adstrictis accedunt cominus armis.
Tandem adiit Hypseus, capulumque in morte tenenti

flata. — *Resedit.* Peracta sive finita.

525. *Terra, et ab infestis descendunt æquora saxis.* Nic. Heinsius in Advers. lib. IV, cap. 3, p. 583 legit: *et ab insessis descendunt æquora saxis.* Vide ad Theb. VII, 743.

527. *Phœnissa.* Thebana, ob Phenices Thebarum conditores.

529. *Stupuit cruor.* Sanguis Hippomedontis, qui frigore fluvii gelatus morte, solutus aeris calore vulneribus manat. LACTANT.

530. *Solvitur, et tenues venarum laxat hiatus.* Reg. B habet, *Solvitur et teneros;* Reg. C nostram lect. ED. — *Laxat.* Nudat, sive liberum facit, quem ante obtexerant rami.

531. *Incertique labant undarum frigore gressus.* Reg. B, *Incertique labant undarum et frigore gressus præbet;* Reg. C nostram lect. ED.

532. *Procumbit, Getico qualis procumbit in Hæmo.* Edd. vett. *in Æmo;* Behott. 1, 2, *in hemo.* — Reg. B habet, *Procumbit Getico qualis procumbit in Hæmon;* Reg. C, *in Hemo.* — *Hæmo.* Hæmus mons Thraciæ. Vid. not. ad Theb. VII, 42. ED. — *Getico.* Id est, Thracio, Getæ enim Thraciæ populi.

535 et 536. *Illam nutantem n. e. m. i. t. Qua tellure cadat.* Ovid. Met. X, 372: « utque securi Saucia trabs ingens ubi plaga novissima restat; Quo cadet in dubio est, omnique a parte timetur. » Conf. Seneca, in Thyest. vs. 697. ED.

536. *Ordine.* Pro *longo ordine.* — *Silvas.* Id est, arbores.

540. *Tandem adiit Hypseus, capulumque in morte tenenti. Tandem adit ipse Hypseus* unus Barthianus.

Extrahit, et torvos laxavit casside vultus :
Itque per Aonios alte mucrone corusco
Suspensam ostentans galeam, et clamore superbit :
« Hic ferus Hippomedon : hic formidabilis ultor
Tydeos infandi, debellatorque cruenti
Gurgitis. » Agnovit longe, pressitque dolorem
Magnanimus Capaneus, telumque immane lacerto
Hortatur librans : « Ades o mihi, dextera, tantum
Tu præsens bellis, et inevitabile numen,
Te voco, te solam Superum contemtor adoro. »
Sic ait, et voti sese facit ipse potentem.
It tremebunda abies clipeum per et ærea terga

— Reg. B, *Tandem Hypseus adiit, cælumque in morte tenenti* habet; Reg. C, *Tandem adit Ipseus capulumque in morte tenenti.*

541. *E. e. t. laxavit casside vultus.* « In optimo libro clare scriptum est : *laxat vi casside.* » Barth. — *Laxavit.* Nudavit, galeam adimendo.

543. *Et clamore superbit.* Id est, superbe clamat.

544. *Hic ferus Hippomedon : hic formidabilis ultor.* Reg. B habet, *Hic ferus Hippomedon, sic formidabilis ultor;* Reg. C nostr. lect. Ed.

547. *Magnanimus Capaneus, telumque immane lacerto.* Reg. B, *Mag. Cap. telumque immane receptum;* Reg. C nostram lect. Ed.

548. *Ades o mihi, dextera, tantum Tu præsens,* etc. Sic idem Capaneus Thebaid. III, 615 : « Virtus mihi numen et ensis Quem teneo, » ubi vide notata, tom. præc. p. 340.

550. *Superum contemtor.* Ibidem lib. III, 602 : « diu tuto Superum contemtor, et æqui Impatiens. »

551. *Sic ait, et voti sese facit ipse potentem.* Reg. B habet, *S. a. e. v. sese facit ipsa potentem ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Et voti sese facit ipse potentem.* Id est, Hypseum interfecit, quod maxime optabat, et in votis habebat.

552. *It tremebunda abies clipeum per et ærea terga.* « Distingue et scribe : *It tremebunda acies clipeum per et ærea terga Loricæ :* ita enim consensu scribunt optimi duo codices, et nos Papinio relictum omnino arbitramur : τὸ *per* voci suæ subjectum fascinavit librarios. » Barth. Multi codd. et edd. vett. habent : *It tremebunda abies, clipeumque per ærea,* etc. — *Clipeumque per ærea terga.* Mirum hanc lectionem tam diu toleratam, quum et inepta esset, et scripti meliorem ostenderent. Quid est enim per loricam deprehendere clipeum? At nos in omnibus fere membranis invenimus : *clipeum per et ærea.* Nec vero satisfaciunt *terga loricæ,* quamvis teneant codices. Margo Aroudel. « vel *texta.* » Quod verum est. Scribe : *clipeum per et ærea texta*

Loricæ, tandemque animam sub pectore magno
Deprendit : ruit haud alio quam celsa fragore
Turris, ubi innumeros penitus quassata per ictus
Labitur, effractamque aperit victoribus urbem.
Cui super assistens, « Non infitiamur honorem
Mortis, ait : refer huc oculos, ego vulneris auctor.
Lætus abi, multumque aliis jactantior umbris. »
Tunc ensem, galeamque rapit, clipeumque revellit
Ipsius, exanimemque tenens super Hippomedonta,
« Accipe, ait, simul hostiles, dux magne, tuasque
Exuvias : veniet cineri decus, et suus ordo
Manibus : interea justos dum reddimus ignes,
Hoc ultor Capaneus operit tua membra sepulcro. »
  Sic anceps dura belli vice mutua Graiis
Sidoniisque simul nectebat vulnera Mavors.

Loricæ : nam sic Thebaid. V, 354 : « quin et squallentia texta Thoracum et vultu galeas intrare soluto Non pudet. » Pro eodem lib. III, 585, « magnorumque æren suta Thoracum et tunicas chalybum squallore crepantes. » Gronov.

553. *Animam.* Hypsei. Lact.

555. *Ictus.* Machinarum, seu tormentorum bellicorum.

557. *Super assistens.* Hypseo, scilicet. — *Non infitiamur honorem Mortis, ait.* Vinci enim et occidi, a fortibus viris gloriæ et honori tribuebatur. Virgilius Æneid. X, 830, « *Æneæ* magni dextra cadis. » Ovid. Met. V, 191 et seq. « Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras A tanto cecidisse viro. »

558. *M. a. r. h. o. ego vulneris auctor.* Unus Behot. pro *auctor* habet *actor.* — *Refer huc oculos.* Ad me respice. Lactant.

559. *Lætus abi, multumque aliis jactantior umbris.* Quod a fortissimo viro occisus fuisti.

560. *Tunc ensem, galeamque rapit, clipeumque revellit.* Reg. B habet, *T. e. g. r. clipeumque repellit ;* Reg. C nostr. lect. Ed.

561. *Ipsius, exanimemque tenens,* etc. « In optimo libro longe alia scriptura : *exanimumque quatiens.* Dicas scripsisse Papinium : *exanimum quatiens.* » Barth. — *Ipsius.* Hypsei, scilicet.

563. *Cineri decus.* Funus, exsequiæ. Cremabantur enim mortuorum corpora.

565. *Hoc ultor Capaneus,* etc. *Hoc ultro Capaneus* unus Behot. — *Ultor.* Tuæ mortis ; quod erat solatio mortuis. — *Hoc sepulcro.* Id est, armis hostis tuisque, quæ tibi vice sepulcri eruut.

566. *Dura belli vice.* Hinc enim et inde magni duces ceciderant.

567. *S. s. nectebat vulnera Ma-*

Hic ferus Hippomedon, illic non segnior Hypseus
Fletur, et alterni præbent solatia luctus.
Tristibus interea somnum turbata figuris
Torva sagittiferi mater Tegeatis Ephebi,
Crine dato passim, plantisque ex more solutis,
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas

vors. Marklandus ad Silv. V, 1, 18 correxit: *nectebat funera Mavors.* Vide Valer. Flacc. VI, 427, 631.

569. *Et alterni præbent solatia luctus.* Nullom enim Veteribus majus in calamitatibus solatium, quam quum auctores etiam ipsi affligerentur, et in adversam inciderent fortunam.

570. *Tristibus interea somnum turbata figuris. Tristibus interea somni* Aldd. Gryph. Plant. Gevart. Lindenbr. nonnulli et Delph. *Tristibus interea somnum* Lang. Lips. Dan. Petav. Behott. 1, 2, optimus Barth. Cantab. Petrens. Gronov. Barth. — *Somni turbata figuris.* Omnes scripti: *somnum turbata*, id est, per somnum. Nec enim feres, credo, quod homo doctus hic annotaverat, *somnum* esse genitivum pluralem loco *somnorum*, quum credibile sit sæpius hanc Atalantæ obversatam esse speciem. Sic vs. 616: «Sic quoque venatrix, animumque innupta remansi;» nam ita membranæ, ubi vulgo, *animoque.* Nihil frequentius utique poetis. Gronov.

571. *Mater.* Atalanta. — *Tegeatis.* Parthenopæi Arcadis, a Tegea Arcadiæ urbe.

572. *Crine dato passim, plantisque ex more solutis.* «Liviueius perperam in Papinio legere maluit: *Crine vago passim.* Alios non nominamus: etiam Bernartius correctum aliquid voluit, sed eum non intelligimus, neque ipsemet se satis, puto.» Barth. *Crine dato passum* Bernartius; *palmis ex more* unus Behot. — *Crine dato passim.* Ut fit in luctu. Lugentes enim mulieres crines nodo solvebant. — *Solutis.* Id est, nudis. Veteres enim in plerisque superstitionis ritibus calceos tollebant, maxime quum magnas calamitates imminere credebant. Sic Matronæ ædem Vestæ nudis pedibus adibant. Sic etiam bello Gallico Vestales «nudo pede fugientia sacra comitantur,» ut ait Florus. Tertullianus: «Quum stupet cælum et aret annos nudipedalia denuntiantur.» Vel *plantæ solutæ* hic, quum calceamenti vinculum laxatur aut detrahitur; quod usurpatum fuisse in sacris quibusdam refert Servius ad illum Æn. IV, vs. 518: «Unum exuta pedem vinclis.» Solent, inquit, et resolutoria sacrificia ab auspicibus fieri, et ad Junonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis.» Soluti enim non vincti ad ea admittebantur. Ideirco in plerisque lictor clamitabat: «Hostis, vinctus, mulier, virgo exesto,» ait Festus lib. V.

573. *Ante diem.* Tempus enim matutinum accommodum precibus et sacris. Virgilius, Æneid. XI, 4:

Purgatura malum fluvio vivente soporem.
Namque per attonitas curarum pondere noctes
Sæpe et delapsas adytis, quas ipsa dicarat,
Exuvias, seque ignotis errare sepulcris
Extorrem nemoris, Dryadumque a plebe fugatam,
Sæpe novos nati bello rediisse triumphos,
Armaque, et alipedem notum, comitesque videbat,
Nusquam ipsum : nunc ex humeris fluxisse pharetras,
Effigiesque suas, simulacraque nota cremari.

« Vota Deum victor primo solvebat Eoo. » Statius infra, 604 : « armatæ ruit ad delubra Dianæ Rore sub Eoo. » — *Ladonis*. Ladou fluvius Arcadiæ. Vide Thebaid. IV, 289, et ibi uot. tom. præc. pag. 404. Eo.

574. *Purgatura malum fluvio vivente soporem*. Veteris fuit superstitionis meticulosa somuia vivis aquis, ac ablutione corporis, præsertim capitis purgare, ut colligitur ex Æschylo, et docuit Aristophanes in Batrachis : *ὡς θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω*, *ut divinum somnium abluam*. Propertius lib. III, Eleg. 10, 13 : « Ac primum pura somnum tibi discute Nympha. » Persius Sat. II, 16 : « et noctem flumine purgas. » Adhæsit hæc superstitio Philosophis. Eunapius in Ædesio : *Τόν τε οὖν παῖδα καλεῖ, τὴν ὄψιν καὶ τὸ πρόσωπον ἀποσμῆξαι βουλόμενος.* « Vocavit autem puerum, os et vultum abluere volens. » Somoiaverat auteu ille. — *Vivente*. Id est, flueotc, ad differentiam aquæ mortuæ, seu nou flueutis.

575. *Curarum pondere*. Magnitudioe : quia illi maxime turbantur, qui magnis curis urgeutur. Lact.

576. *Sæpe et delapsas adytis*, etc. Dan. *dilapsas aditis*. *Quas ipsa dicarat Exuvias*. Id est, pelles aut cornua ferarum : erat euim venatrix Atalanta. Taogit hunc morem Plutarchns Quæst. Rom. et scribit templis omnibus Dianæ cornna cervorum affigi moris fuisse ; quod et ad aliorum Deorum templorum fores id ipsum factitatum, ut discimus ex Symmacho lib. V, Ep. 63 : « Nam ut bonori numinum datur cornua sacrare cervorum, et aprinos deutes liminibus affigere ; ita amicorum cultui dedicantur libamina silvarum. »

578. *Extorrem nemoris*. *Extorrem nemorum* Exc. Cantab. Petreus. et Burm. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Eo. — *Extorrem*. Exsulem ; *extorris* enim dicitur exsul, quasi exterris, id est, extra terram. Lact. — *Dryadumque*. Quia, ut venatrix, admittebatur inter Dryades.

579. *Nati rediisse triumphos*. Per *triumphos* hic iutelligi credo spolia bostibus a filio detracta, quæ ferri per quietem tanquam in triumpho videbat Atalanta : in triumphis enim spolia exuviæque bostiles ferebantur ex more Romano.

581. *Ipsum*. Filium. Lact.

582. *Simulacraque nota cremari*.

Præcipuos sed enim illa metus portendere visa
Nox miseræ, totoque erexit pectore matrem.
Nota per Arcadias felici robore silvas
Quercus erat, Triviæ quam desacraverat ipsa
Electam turba nemorum, numenque colendo
Fecerat: hic arcus, et fessa reponere tela,
Armaque curva suum, et vacuorum terga leonum

Hoc somnium portendebat mortem Parthenopæi, quia erat matri simillimus, ut vidimus Theb. IV, 336, dicit enim Atalanta filio: « vultusque recedant ore mei. »

583. *P. s. e. i. m. portendere visa.* Lang. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *portendere visa est; τὸ est* non habetur in Behott. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Præcipuos.* Post alias noctes hæc somniis gravior videbatur. Lactant.

584. *Nox miseræ, totoque erexit pectore matrem.* « In optimo exemplari est: *totoque exegit pectore.* » Barth. *totoque erexit corpore* Behott. — *Nox miseræ.* In qua videt somnium, quod poeta sequentibus versibus narrat.

585. *Felici robore.* Fructiferi roboris. Enarratio somnii noctis ultimæ. Lactant.

586. *Triviæ.* Dianæ. — *Quam desacraverat ipsa.* Antiquissima Veterum superstitio, qua solebant consecrare arbores, iisque nomina Deorum imponere. Plinius, Hist. Nat. XII, cap. 2: « Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos, et in iis silentia ipsa adoramus. » Tacitus de antiquis Germanis cap. 9: « Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant. » Et de Gallis speciatim Maximus Tyrius ait, Celtas excelsam quercum coluisse et Jovis nomine appellasse.

587. *Electam turba nemorum, numenque colendo.* *Ejectam* Petav. Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Electam* Behott. 1, 2, Dan. Petr. et Exc. Cantab. *numenque colendum* Lang. Dan. Lipsian. Put. Petav. et edd. vett. *colendo* Petrens. Cantab. et Behott. 1, 2. — *Numenque colendo Fecerat.* Ipsa ei religionem addiderat cultu suo. Martialis interpres optimus lib. VIII, Epigr. 24, 5 et seq. « Qui fingit sacros auro vel marmore vultus, Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit. »

588. *F. h. a. et fessa reponere tela.* Behot. *imponere tela.*

589. *Armaque curva suum, et vacuorum terga leonum.* Nonnulli codd. *fulvorum terga leonum.* Cf. I, 484, et VI, 719. — Reg. B habet, *A. c. s. et vacuorum torva leonum;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Arma curva suum.* Dentes, ut Virgilius, Æneid. XII, 5: « Tum demum movet arma leo. » Gallice *défenses.* — *Armaque curva suum.* Arma sunt dentes vel ungues ferarum. Ed.

Figere, et ingentes æquantia cornua silvas.
Vix ramis locus : agrestes adeo omnia cingunt
Exuviæ, et viridem ferri nitor impedit umbram.
Hanc, ut forte jugis longo defessa redibat
Venatu, modo rapta ferox Erymanthidos ursæ
Ora ferens, multo proscissam vulnere cernit
Deposuisse comam, et rorantes sanguine ramos
Exspirasse solo : quærenti Nympha cruentas
Mænadas, atque hostem dixit sævisse Lyæum.
Dum gemit, et planctu circumdat pectus inani,

590. *Figere.* Virgilius, Æneid. IX, 408 : « sacra ad fastigia fixi. » — *Et ingentes æquantia cornua silvas.* Vide quæ diximus supra vs. 195. Apuleius tangit hunc morem Florid. I : « Aut quercus cornibus onerata. »

591. *Vix ramis locus : agrestes adeo omnia cingunt.* « Denuo hic perditam omnibus scriptis editisque libris veritatem Papinianæ scriptionis unus servavit nobis optimus ille codex noster; clarissime enim in eo scriptum est : *Vix radiis locus.* » Barth. — Reg. B, *Vix ramis locus agrestis : adeo omnia cinqunt* exhibet; Reg. C nostr. lectionem. Edit.

592. *Et viridem ferri nitor impedit umbram.* Supra v. 588 : « hic arcus et fessa reponere tela. »

594. *Erymanthidos ursæ.* Erymanthus mons Arcadiæ, nunc *Dimizana* dictus. Ed.

595. *Multo proscissam vulnere.* Miserat enim sanguinem quum cæderetur.—*Cernit.* In somno scilicet.

596. *Rorantes sanguine ramos.* Dryadis Nymphæ, secundum Veterum opinionem, credentium singulis arboribus singulas Dryadas attribui, quarum ævi mensura eadem quæ arboris.

597. *Quærenti.* Causam proscissæ arboris.

598. *Mænadas.* Bacchantes. — *Lyæum.* Bacchum. Hoc autem dixit, quia Bacchus ejusque Mænades erant Thebani : idque funesti quid Partheuopæo portendebat : fuit enim occisus a Thebanis; infra etiam dicit Atalanta v. 627 et seqq. « quid in nostris, nemoralis Delia, silvis Mænades hostiles, Thebanaque numina regnant? » Totum autem hunc locum imitatur Claudianus, XXXVI, de Raptu Proserp. lib. III, 74 et seqq. « Stabat præterea luco dilectior omni Laurus, virgineos quæ quondam fronde pudica Umbrabat thalamos : hanc ima parte recisam Vidit, et incomtos fœdari pulvere ramos; Quærentique nefas Dryades dixere gementes Tartareas furias debellavisse bipenni. »

599. *Dum gemit, et planctu circumdat pectus inani.* Unus Behot. *planctu pectus circumdat inani;* optimus codex Barthii : *circumdit pectus.* — *Planctu inani.* Somniabat enim se sibi pectus tundere.

Abrupere oculi noctem, mœstoque cubili
Exsilit, et falsos quærit per lumina fletus.
Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit,
Verbaque sollicitas matrum solantia curas
Addidit, armatæ ruit ad delubra Dianæ,
Rore sub Eoo, notasque ex ordine silvas,
Et quercum gavisa videt : tunc limine Divæ
Adstitit, et tali nequicquam voce precatur :
« Virgo potens nemorum, cujus non mollia signa
Militiamque trucem, sexum indignata, frequento,
More nihil Graio; nec te gens aspera ritu
Colchis, Amazoniæve magis coluere catervæ :

600. *Abrupere oculi noctem*. Somnum oculi evigilantes abruperunt. Notatio evigilantis non tamen plena. Non enim semper oculi, dum aperiuntur, somnum exeuntiunt : videbimus enim alios profundius dormire, qui apertis oculis nesciunt diem. Vet. Schol.

601. *Quærit per lumina*. Non enim veræ fuerant lacrimæ, ideoque falsos fletus quærit manu in oculis, nec eos invenit.

602. *Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit. Ergo ut inane nefas* omnes fere codd. et edd. vett. *Ergo ut in amne nefas* optimus Barth. *Ergo ut in amne nefas* alius Barth. Lectio nostra debetur Schutto in Obss. lib. II, 29, hinc receperunt Gevart. Dan. Heinsius in Amstel. Gronov. Barth. et Delph. — *Ut in amne nefas merso ter crine piavit*. Ter purgari solebant Veteres, si quo piaculo erant polluti, vel igne, vel sulfure, vel aqua. Vide sub finem libri præcedentis, et supra vs. 574.

604. *Addidit, armatæ*, etc. *Addit et armatæ* unus Barthianus.

605. *Sub Eoo*. Matutino tempore. Lactant. — *Notas silvas*. Arborum singularum notitiam adscribit Atalantæ, quas quum recenset, quercum etiam suam illæsam reperit.

606. *Et quercum gavisa videt : tunc limine Divæ*. Reg. B habet, *E. q. g. v. tunc limine Diræ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Quercus*. Quam viderat fuisse præscissam.

608. *Signa*. Venatoris insignia.

609. *Militiamque trucem*. Sic vocat Venationem. Erat et *militia Veneris*, ut et Dianæ. Horatius ad Venerem, lib. III, 16 : « late signa feret militiæ tuæ. »

610. *More nihil Graio*. Mulieres enim apud Græcos nec venabantur, nec arma tractabant. — *Aspera*. Ubi homines immolabantur sacris. Lactant.

611. *Colchis*. Dicit Colchos Dianam coluisse, quod hæc confundatur cum Hecate, quæ fuit Persei Colchorum regis filia, quo interemto, patruo Æetæ nupsit, ex quo Medeam suscepit. Hæc autem fuit animi plane virilis, venationi, me-

Si mihi non unquam thyasi, ludusve protervæ
Noctis, et inviso quamvis temerata cubili,
Non tamen aut teretes thyrsos, aut mollia gessi
Pensa, sed in tetricis et post connubia lustris,
Sic quoque venatrix, animumque innupta remansi:
Nec mihi secretis culpam occultare sub autris
Cura, sed ostendi natum, posuique trementem

dicinæ, ac veneficiis addictissima, quas artes filiam docuit, ut tradit Dionysius Milesius in Argonauticis, et exinde vetus Scholiastes Apollonii in Argonaut. III. Hinc fieri potest, ut a Colchis inter Deos relata fuerit, ac culta, ut Medea filia. — *Amazoniæve catervæ.* Amazones enim colebant numina, quæ suis moribus congruebant, sic Dianam et Palladem, ut videmus Thebaid. XII, 531: « Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ. » Ubi loquitur de Amazonibus.

612. *Si mihi non unquam thyasi, ludusve protervæ.* In quibusdam codd. *thyrsi.* — In Reg. B versus hic desideratur. Edit. — *Thyasi.* Thyasus, saltatio, et chorea, ac pompa quæ Baccho exhibebatur. Virgilius Ecl. V, 30, « Instituit Daphnis thyasos inducere Baccho. » Item thyasus multitudo rei divinæ causa collecta, turba numine percita, chorus. — *Ludusve protervæ Noctis.* Orgia Bacchi seu Bacchanalia noctu agitari solita, in quibus multa turpia fiebant.

614. *Non tamen aut teretes thyrsos*, etc. Et hic contra nonnulli habent *thyasos.* Joannes Wowerius Notis ad Sidonii Panegyricum Majoriano dictum *thyrsos* huic loco, *thyasos* superiori asseruit. — *Thyrsos.* Hastas pampineas. Lactant.

615. *Pensa, sed in tetricis*, etc. « Agnoscunt hanc lectionem (*in tetricis*) etiam optimæ illæ membranæ. At in aliis offendimus: *in tectis.* Nihil mutamus. » Barth. — *Tetricis.* Severis, sive horribilibus. Lactant. — *Et.* Id est, etiam.

616. *Sic quoque venatrix, animumque innupta remansi.* Optimæ Barthii membranæ, Dan. Petav. et edd. vett. *animoque innupta;* Behott. 1, 2, Laog. Buslid. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *animumque innupta.* — Reg. B habet, *S. q. v. animoque innupta remansi;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sic quoque venatrix.* Quum virgo esse desiissem, in honorem tamen numinis tui venandi studia non mutavi.

617. *N. m. s. culpam occultare sub antris.* Duo codd. Barthiani *puerum occultare;* Behot. 1, *crimen occultare;* Behot. 2, *crinem occultare*, et pro v. l. *culpam.* — *Culpam.* Apud Virginem Deam nuptias vocat *culpam.*

618. *Cura, sed ostendi natum.* Excerpta Fabri: *offendi prolem.* — Reg. B habet hanc lectionem, Reg. C nostram. Edit. — *Ostendi.* Tibi supple. — *Trementem.* Infantes enim tremunt, mox ut nati sunt, quum e loco calido frigidiori aeri exponuntur.

Ante tuos confessa pedes : nec degener ille
Sanguinis, inque meos reptavit protinus arcus;
Tela puer lacrimis et prima voce poposcit.
Hunc mihi (quid trepidæ noctes, somnusque minantur?)
Hunc, precor, audaci qui nunc ad prælia voto
Heu nimium tibi fisus abit, da visere belli
Victorem, vel, si ampla peto, da visere tantum.
Hic sudet, tuaque arma ferat : preme, Diva, malorum
Signa : quid in nostris, nemoralis Delia, silvis
Mænades hostiles, Thebanaque numina regnant?
Hei mihi! cur penitus, (simque augur cassa futuri,)
Cur penitus, magnoque interpretor omine quercum?
Quod si vera sopor miseræ præsagia mittit,

619. *Confessa*. Innocentiæ proximus est, qui culpam fatetur.

620. *Reptavit protinus*. Signum virtutis Martiæ, statim natum infantem arma non expavescere. Imitatus est Claudianus de suo Honorio III Consulatu VII, 22 : « Reptasti per scuta puer, regumque feroces Exuviæ tibi ludus erant. » Sidonius Paneg. Anthemii : « Reptabat super arma patris. »

621. *Tela puer lacrimis et prima voce poposcit. Telaque per lacrimas* correxit Marklandus ad Silv. III, 1, 160. — In Reg. B versus hic desideratur. Ed.

622. *Hunc mihi (quid trepidæ noctes somnusque minantur)? Nunc* unus Behot. *minatur* in eodem et quibusdam Lindenbrogii.

625. *Victorem, vel, si ampla peto, da visere tantum.* Post hunc versum in antiquiore Behot. legitur: *Si non victorem, da tantum cernere victum :* tum sequitur : *Hic sudet*, etc. — *Ampla*. Majora. — *Da v. tantum*. Si victorem non possum, restitue quæso Diva vel victum.

626. *H. s. t. a. f. preme, Diva, malorum*. Exc. Cantab. *dira malorum Signa*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Tuaque arma*. Venationis, id est, sagittas. — *Preme*. Compesce nefanda somniorum omina. Lact.

627. *Quid in nostris*, etc. Vide supra vs. 598. — *Quid*. Quare. — *Nemoralis*. Alludit ad Nemorensem Dianam quæ apud Ariciam Italiæ urbem colebatur.

628. *Mænades hostiles*, etc. Reg. C habet, *Mænalis hostiles;* Reg. C nostram lect. Edit. — *Mænades*. Bacchæ, quoniam in somnis quercum viderat, a Libero patre et Bacchis forte præscissam. Lactant. — *Thebanaque numina*. Turpia intellige; ut Bacchus nunquam sobrius, et monstra alia Thebanorum facinora intelliguntur.

630. *Cur penitus*. Quare me vehementer huc trahit suspicio, ut putem orbitatem mihi significari, arboris casu. Lactant.

Per te, maternos, mitis Dictynna, labores,
Fraternumque decus, justis hunc fige sagittis
Infelicem uterum : miseræ sine funera matris
Audiat ille prior. » Dixit, fletuque soluto,
Adspicit et niveæ saxum maduisse Dianæ.
Illam Diva ferox etiamnum in limine sacro
Expositam, et gelidas verrentem crinibus aras

632. *Maternos labores.* Vel Latonæ, vel omnium parturientium, quibus præest. — *Dictynna.* Cognomentum Dianæ : quæ sic dicta est *ἀπὸ τῶν δικτύων, a retibus :* nam venatu gaudet Dea. Phornutus refert « Dictynnam » vocari, quod huc suos dejiciat radios : nam *δίκειν jacere* significat : Diana autem eadem quæ luna. Scholiastes Ranarum Aristophanis dicit Nympham, quæ Britomartys vocabatur, incidisse venando in retia et hinc se expedire non potuisse : liberatam vero a Diana templum Dianæ Dictynnæ consecravisse. Hæc etiam hujus cognominis ratio traditur. Dictynna Cretensis Nympha, Dianæ comes, cum vim Minois, stuprum illi infeçre tentantis, effugere non posset, in mare se præcipitem dedit : illata vero est inter retia piscatorum, quæ Græce *δίκτυα* dicuntur, e quibus ejus corpus eductum est. Quum autem postea Creta insula gravi peste afflicta esset, erecto Dianæ templo sub cognomine Dictynnæ, a retibus, a peste liberata est. Vide Callimachum in Dianæ Hymno, Strabonem l. X. Lege Euripidis in Hippolyto commentatores, Pausaniam in Laconicis et Phocicis. Diodorus Siculus Dictynnam aliam esse a Diana sentit.

633. *F. d. justis hunc fige sagittis.* « In aliis lectum *cunctis* pro *justis.* Sed præstare puto vulgatam, quam et libri confirmant. » BARTH. Lipsian. exhibet *cũctis.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. ED. — *Fraternumque decus.* Apollinis.

635. *Audiat ille prior. Audiat ille precor* Lang. Buslid. Lipsian. Behott. 1, 2, et edd. vett. *Audiat ille prior* Dan. Petav. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. et ita ex codd. emendant Burmann. ad Ovid. Met. VIII, 499, et Marklandus ad Silv. V, 1, 181.

636. *Saxum.* Simulacrum. — *Maduisse.* In malum omen accipiebatur, cum simulacra Deorum sudabant, ut videre est apud scriptores. Vide Thebaid. IV. Quibusdam maduisse, plorasse.

637. *I. D. f. etiamnum in limine sacro.* « Voculam *in* optimæ aliæque membranæ omittunt. Eam lectionem veram putamus, et Papinio convenientiorem. » BARTH.

638. *E. e. g. verrentem crinibus aras.* In quibusdam edd. vett. *verentem crinibus aras;* Bernartius correxit ex codd. — *Verrentem crinibus aras.* Crinibus enim passis templa matronæ in supplicationibus verrebant, ut jam diximus, et id sequentibus testimoniis firmatur. Livius lib. III, « Stratæ passim ma-

Linquit, et in mediis frondentem Mænalon astris
Exsuperat gressu, saltumque ad mœnia Cadmi
Destinat, interior cæli qua semita lucet
Dis tantum, et cunctas juxta videt ardua terras.
Jamque fere medium Parnassi frondea præter
Colla tenebat iter, quum fratrem in nube corusca
Adspicit haud solitum visu. Remeabat ab armis
Mœstus Echioniis, demersi funera lugens
Auguris. Irrubuit cæli plaga sidere mixto,
Occursuque sacro pariter jubar arsit utrimque,
Et coiere arcus, et respondere pharetræ.
Ille prior: «Scio Labdacidas, germana, cohortes,

tres erinibus templa verrentes, veniam irarnm eælestium exposeunt.» Apnleius Met. V, «Tune Psyche uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis.» Claudianus, XXIX, v. 225: «Numinibus votisque vacas, et supplice erine Verris humum.»

639. *Mænalon*. Montem Areadiæ.

640. *Ad mœnia Cadmi*. Thebas.

641. *Destiuat, interior cæli qua semita lucet*. Reg. B habet, *D. i. e. qua semita ducit;* Reg. C uostram leet. Ed. — *Qua semita lucet*. Düs eam partem tantum ad transitum datam significat, quæ summum aerem infimumque eonjungit, qui loeus est cirea eirculum lunæ. De quo Lucanus, lib. IX, vs. 5 sq.: «Qua niger astriferis conneetitur axibus aer, Quodque patet terras inter lunæque meatus.» LACTANT.

643. *Parnassi*. Montis Phocidis. — *Præter*. Id est, seeus: Galliee: *le long*.

644. *C. t. i. quum fratrem in nube corusca*. Dan. Petav Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *fratrem nube;* Beholt. 1, 2, optimus aliique eodd. Barthiani, Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *fratrem in nube*.

645. *Adspicit haud solitum visu*. Reg. B habet, *Adspicit haud solito visu;* Reg. C nostram leet. Ed. — *Haud solitum visu*. Non eo vultu quo solebat.

646. *M. E. demersi fuuera lugeus*. Unus Behol. *dimersi*. — *Echioniis*. Thebanis, ab Echione uno ex Spartis.

647. *Irrubuit*, etc. Deos mutuo oceursu lueem effundere, quasi solis jubar, credidit antiquitas; quod ex Ægyptiorum theologia habebat, qui inopinato visa luce numinum congressus notabant. Iudicavit id hoe loeo Papinius noster poetarum doetissimus.

648. *Occ. sac. pariter jubar arsit utrimque*. Barth. legit: *arsit utrumque*. — Versus ille et subsequens: *Et coiere arcus, et respondere pharetræ*, in Reg. B desiderantur.

650. *Ille prior. Scio Labdaci-*

Et nimium fortes ausum petis Arcada pugnas.
Fida rogat genitrix : utinam indulgere precanti
Fata darent! en ipse mei, pudet, irritus arma
Cultoris, frondesque sacras, ad inania vidi
Tartara, et in memet versos descendere vultus :
Nec tenui currus, terræque abrupta coegi,
Sævus ego, immeritusque coli. Lugentia cernis
Antra, soror, mutasque domos : hæc sola rependo
Dona pio comiti : nec tu peritura movere
Auxilia, et mœstos in vanum perge labores.
Finis adest juveni : non hoc mutabile fatum;
Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt. »
« At decus extremum misero, confusa vicissim

das, etc. « *Labdacias* scribendum cum optimis membranis; et ita Lactantius. Librorum nonnulli hic delirant, etiam qui addita litera *Labdacidas* rescribunt. » BARTH. — Reg. B habet, *Labdacias*; Reg. C eamdem lect. ED. — *Labdacias*. Thebanas a patre Labdacio. LACT. — *Labdacidas, germana, cohortes*. Primum illud vocabulum, quoties usurpat Statius, format a *Labdacides*. Itaque infra : *indignantesque fremebant Labdacidæ*. » Itaque non magis potest dici *Labdacides cohors* quam *Tyndarides Helena* aut *Priamides Polyxena*. Atque etsi a *Labdacis* dici possit eo casu *Labdacidas*, credibile tamen est eo abstinuisse propter ambiguitatem. Scribe : *Labdacias, germana, cohortes*. GRONOV.

651. *Ausum*. Supplendum, aggredi, impetere, aut aliud verbum.

653. *Pudet, irritus*. Quia Amphiarao auxilium ferre non potuit. LACT.

654. *C. fq. s. ad inania vidi*. Behott. 1, 2, *et inania*. — *Cultoris*. Amphiarai.

656. *Terræque abrupta coegi*. Id est, nec potui hiatum terræ obdere, aut occludere.

657. *Sævus ego, immeritusque coli*, etc. Reg. B habet, *Sævus ego, immeritosque coli*; Reg. C nostram lect. ED.

658. *Antra*. Fatidica scilicet Parnassi, vel Cyrrhæ.

662. *Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt*. Reg. B habet, *Nec te de dubiis*, etc. Reg. C, *Nec te nunc dubii fallunt oracula fratris*. ED. — *Dubiis*. Ut facere solebat, unde Λοξίας appellatus.

663. *At decus extremum misero, confusa vicissim*. Reg. B habet : *Sed decus extremum certe*, etc. Reg. C nostram lect. ED. — *Confusa vicissim*. Interposuit suam Poeta personam, quam verbis Dianæ expressit : ordo ergo et sensus talis est : Si mihi cum non licet de prælio liberare, certe extremum decus et so-

Virgo refert, duræque licet solatia morti
Quærere : nec fugiet pœnas, quicunque nefandam
Insontis pueri scelerarit sanguine dextram
Impius : et nostris fas sit sævire sagittis. »
Sic effata movet gressus, libandaque fratri
Parcius ora tulit, Thebasque infesta petivit.
At pugna ereptis major crudescit utrimque
Regibus, alternosque ciet vindicta furores.
Hypseos hinc turmæ, desolatumque magistro
Agmen, at hinc gravius fremit Hippomedontis ademti
Orba cohors : præbent obnixi pectora ferro :
Idem ardor rabidis externum haurire cruorem,
Ac fudisse suum : nec se vestigia mutant.
Stat cuneo defixa acies, hostique cruento
Dant animas, et terga negant : quum lapsa per auras
Vertice Dircæi velox Latonia montis

latia mortis concedam, ne inultus occumbat. Ut sit parenthesis ex persona Poetæ : *confusa vicissim Virgo refert.* Lactant.

664. *V. r. duræque licet solatia morti.* Unus Behot. *diræque licet solatia mortis.* Reg. B habet, *Veræque licet solatia morti.*

666. *I. p. scelerarit sanguine dextram.* In eodem Behot. codice : *sceleraret sanguine.*

667. *Et nostris.* Etiam nostris.

669. *Parcius ora tulit.* Reg. B habet, *Parcius ira tulit;* Reg. C nostr. lect. — *Parcius ora tulit.* Vel quia tristis ob repulsam, quam non speraverat, vel ob fatum Parthenopæi.

672. *Hypseos hinc turmæ.* Reg. B habet, *Hypseus hinc turmæ;* Reg. C nostram.

673. *Agmen, at hinc gravius*, etc. Dan. Petav. Lang. Buslid. Aldd. Lindenbrog. plerique et Gevart. *at hic;* Petrens. Cantab. Behott. 1, 2, Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *at hinc.*

674. *O. c. præbent obnixi pectora ferro.* Dan. *obnoxi pectora;* unus Behot. *obnixi corpora.*

675. *Idem ardor rabidis*, etc. *Idem ardor rapidis* in eodem.

676. *Ac fudisse suum. Ac fudisse solo* unus Behot. — *Nec se vestigia mutant.* Id est, nemo de eo loco, in quo stabat, pellebatur. « Ils ne « quittent point leurs postes. »

677 et 678. *Stat cuneo defixa acies, hostique cruento Dant animas, et terga negant*, etc. Reg. B habet, *Stat cuneo defixa acies, hostemque cruento Dant animas et terga natant.* Eo.

679. *Dircæi montis.* Id est, Ci-

Adstitit : agnoscunt colles, notamque tremiscit
Silva Deam, sævis ubi quondam exerta sagittis
Fœcundam lasso Nioben consumserat arcu.
Illum acies inter medias, jam cæde superbum,
Nescius armorum, et primas tunc passus habenas
Venator raptabat equus, quem discolor ambit
Tigris, et auratis adverberat unguibus armos.
Colla sedent, nodis et castigata jubarum
Libertas, nemorisque notæ sub pectore primo
Jactantur, niveo lunata monilia dente.

thæronis, ex quo dicitur Diana cum Apolline occidisse Niobes liberos. Vide Ovidium Metam. — *Latonia*. Diana Latonæ filia.

680. *A. a. c. notamque tremiscit.* Lipsian. Dan. Petav. *pictamque tremiscit.* « Quod ex alio, iram secundum glossam indicante, corruptum conjectare licet. Nihil omnino mutandum, et addicunt optimæ membranæ. Fuerat in quibusdam forte olim membranis : *cinctamque tremiscit.* » Barth. — *Notam.* Cæde liberorum Niobes.

681. *Exerta.* Id est, nudato pectore, ut expeditius arcum tractaret.

682. *Fœcundam lasso Nioben consumserat arcu.* Reg. B, *Fœcundam læso Nioben* præbet, etc. Reg. C nostram lect. Edit. — *Fœcundam lasso Nioben consumserat arcu.* Nota Niobes fabula, ejusque superbia, qua in se iram Apollinis et Dianæ convertit, unde sagittis liberos ejus confixerunt, ac interemerunt. — *Fœcundam.* Quia ipsi quatuordecim erant liberi. — *Lasso.* Tot occisis.

683. *Illum acies inter medias.* « Melior aliquanto sonus poeticis auribus obvenit lectione optimi codicis : *Illum inter medias acies.* » Barth. — Reg. B habet, *Illum acies inter cœptas ;* Reg. C, *Illum inter densas acies.* Ed. — *Illum.* Parthenopæum. Lactant.

685. *Discolor.* Maculosus. — *Ambit.* Operit. Lactant.

686. *Tigris*, etc. Vide Theb. VI, 722. *Tigris* vero pro pelle tigridis. — *Unguibus armos.* Currente equo mota pellis equi armos cædebat.

687. *Calla sedent, nodis et castigata jubarum.* Carolus Paschalius de Coronis lib. X, cap. 18, conjectabat : *Calla sedent, non est incastigata jubarum Libertas.* — *Colla sedent (sedent) nodis.* Sic distinxit Lactantius, et explicat, plena sunt musculis. Virgil. Georg. III, 81 : « Luxuriatque toris animosum pectus. » Alii interpretes τὸ *nodis* jungunt cum *et castigata.* — *Et castigata jubarum Libertas.* Jubæ nodis compressæ sunt et nodatæ, ne luxuriarent nimis et effunderentur. Quod sequor.

688. *Nemoris notæ.* Seu venationis. Apri enim venando capti.

689. *Niveo lunata monilia dente.* An monile eburneum, aut phaleræ eburneæ, vel monile confectum ex

Ipse bis OEbalio saturatam murice pallam,
Lucentesque auro tunicas, hoc neverat unum
Mater opus, tenui collectus in ilia vinclo,
Cornipedis lævo clipeum demiserat armo,
Ense gravis nimio : tereti juvat aurea morsu
Fibula, pendentes circum latera aspera cinctus,
Vaginæque sonum, tremulumque audire pharetræ
Murmur, et a cono missas in terga catenas.
Interdum cristas hilaris jactare comantes,

dentibus suum formatis in modum lunæ curvatæ in cornua, quæ equi pectori appenderat? Quod ultimum secutus sum. — Calpurnius Sicul. Egl. VI, 43, sqq. « rutiloque monilia torque Extrema cervice natant: ubi pendulus apri Deus sedet, et nivea distinguit pectora luna. Ed.

690. *Bis saturatam*. Intelligit dibapham purpuram bis tinctam. — *OEbalio murice*. Ad oram enim OEbaliæ seu Laconiæ capiebantur etiam murices et purpuræ, ut in ora Phœniciæ, unde etiam purpura Laconiæ in pretio.

691. *Hoc neverat unum*. Ex more prisco, ut notavimus Theb. IV, 175, quo matres texebant ac nebant chlamydes filiorum militares. — *Unum*. Quia nisi victa pietate in filium nunquam opera feminea attigisset, ut quæ virilia exerceret, ut venationem.

692. *Collectus*. Cinctus sive strictus. Lactant.

693. *C. l. cl. demiserat armo*. Unus Behot. *dimiserat armo*.

694. *Ense gravis nimio : tereti juvat aurea morsu*. *Ense gravis tereti, nimio juvat* omnes Barthiani, Aldd. Basil. et Plant. *Ense gravis nimio, tereti juvat* Behott. 1, 2, Cantab. Dan. Lindenbrog. Gevart. Gronov. Barth. plerique et Delph. Schottus in Obss. Hum. lib. II, cap. 29, ex codd. legit : *Ense gravis nimio tereti ligat*, etc. et ita in suo codice reperit Gronovius. Vide Syllog. Epist. Tom. II, pag. 537. — Reg. B habet, *Ense gravis nimio tereti jubet aurea morsu ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Ense gravis nimio*. Hunc versum et tres sequentes suppositos censet et rejicit Guyetus. Et certe nimium luxuriat Poeta in hac Partheuopæi descriptione ; nam ad quid referret illud *audire?* an ad illud *juvat?* — *Juvat*. Andreas Schottus legit *ligat* ex scriptis codicibus ; nec aliter invenit Gronovius in Pirchemeri membranis.

696. *V. s. tremulumque audire pharetræ*. Lang. Lipsian. Dan. Pet. Aldd. Colin. Plant. Lindenbr. plerique et Gevart. *tremulæque audire pharetræ ;* Behott. 1, 2, Amstel. Gron. Barth. et Delph. *tremulumque audire pharetræ*. — *Vaginæ sonum*, etc. An supplendum, juvat audire sonum vaginæ. etc.

697. *Interdum cristas hilaris jactare comantes*. Reg. B habet, *Interdum cristas hilares jactare comantis*. Ed. — *A cono missas in terga*

Et pictum gemmis galeæ jubar : ast ubi pugna
Cassis anhela calet, resoluto vertice nudus
Exoritur : tunc dulce comæ, radiisque micantes
Dulce nitent visus, et, quas dolet ipse morari,
Nondum mutatæ rosea lanugine malæ.
Nec formæ sibi laude placet, multumque severis
Asperat ora minis : sed frontis servat honorem
Ira decens : dat sponte locum Thebana juventus,
Natorum memores, intentaque tela retorquent :
Sed premit, et sævas miserantibus ingerit hastas.

catenas. A cono enim galeæ descendebant catenæ, quæ collum militis ab ictu defendebant.

699. *Et pictum gemmis galeæ jubar.* Veteres galeas interdum gemmis et auro ornabant. Ovid. de Pont. III, v. 103. « Scuta sed et galeæ gemmis radieutur et auro. » Prudentius in Psychomachia : « Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis. »

701. *E. t. d. c. radiisque micantes.* « Nonnulli libri, ut et optimus omnium, *radiisque trementes* legunt; quod tamen merito præterierim. » Barth. Behot. 1, Burm. Petrens. et Exc. Cantab. etiam, *trementes;* Behot. 2, *nitentes;* Burm. pro v. l. *meantes.* Lectio *trementes* Burmanno placuit. Conf. Propert. IV, 6, 26, ibi Bronkhus. et Passer. Cic. Divin. I, 11, et Theb. II, 505 necnon Barth. ad Nemes. Ecl. II, 76. — Reg. B habet, *radiisque frementes;* Reg. C, *radiisque trementes.*

702. *Dulce nitent visus, et, quas dolet ipse morari. Dulce nitent oculi* optimæ Barthii membranæ : « Pariter hic veritatem restituit unicus ille codex, *quam dolet ipse morari* referendo. » Barth. Reg. B habet, *et, quas dolet ipse morari;* Reg. C nostram lect. Ed.

704. *Nec formæ sibi laude placet.* Ut quæ feminam magis deceret, quam virum : ideo illam efferabat severis minis, et ne timiditatis argueretur.

705. *Sed frontis servat honorem Ira decens.* Omnia pulchrorum pulchra sunt, ut dicebat Socrates, et ut lib. VI, v. 623 dixerat poeta Parthenopæi lacrimas suam habere gratiam, sic hic dicit iram ejus « Non potuisse frontis ejus venustatem exstinguere, sed ipsam servare. »

707. *Natorum memores.* Ne filiis suis paria acciderent, si ipsi necem Parthenopæo pæne adhuc puero intulissent. Scelus enim putabatur talem perimere, et timebatur Nemesis. Vet. Schol. — *Intentaque tela retorquent.* Tela contra Parthenopæum parata ætatis ejus misericordia revocantur.

708. *Et s. miser. ingerit hastas.* Virgilianum hunc videtur Noster usurpasse. Æn. IX, v. 763, « hinc raptas fugientibus ingerit hastas. » Cf. Calpurnii Sic. Ecl. X, 64 Poet. Lat. Min. tom. I, pag. 562. Ed.

Illum et Sidoniæ juga per Theumesia nymphæ
Bellantem, atque ipso sudore et pulvere gratum
Laudant, et tacito ducunt suspiria voto.
Talia cernenti mitis subit alta Dianæ
Corda dolor, fletuque genas violata, « Quod, inquit,
Nunc tibi, quod leti quæram Dea fida propinqui
Effugium? hæcne ultro properasti ad prælia, sæve
Ac miserande puer? cruda heu festinaque virtus
Suasit, et hortatrix animosi gloria leti.
Scilicet angustum jamdudum urgentibus annis
Mænalium tibi, parve, nemus, perque antra ferarum
Vix tutæ sine matre viæ, silvestria cujus
Nondum tela procax, arcumque implere valebas.
Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, surdasque fores, et limina lassat.

709. *Illum et Sidoniæ juga per Theumesia nymphæ*. Reg. B habet, *Illum et Sidonia et Teumesiæ vertice Nymphæ*; Reg. C nostr. lect. Ed. — *Sidoniæ nymphæ*. Thebanæ. — *Juga per Theumesia*. Theumesus mons Bœotiæ, ut jam sæpius diximus.

710. *Atque i. s. et pulvere gratum*. Claud. VII, de III Cons. Hon. 37, « grato respersus pulvere belli » ad quem vide notata nost. Claud. tom. I, pag. 223. Ed.

711. *Et tacito ducunt suspiria voto*. Ut ei nubant, vel vincat.

712. *Talia cernenti mitis*, etc. In veteribus membranis Barthii vox *mitis* ita mirifice scripta est ut et legi possit *uncis*.

713. *Quod inquit*. Dubitantis est. Lactant.

715. *Effugium? hæcne ultro properasti ad prælia, sæve*. Reg. B, *properasti in prælia, sæve* exhibet; Reg. C nostram lectionem. Edit.

716. *Cruda*. Immatura. Lact.

718. *Scilicet angustum*, etc. Hunc versum et septem sequentes pro nothis habet Guyetus.

720. *Vix tutæ sine matre viæ*, etc. « In optimis nostris membranis contraria pæne sententia est, quam ego tamen veram esse negare non ausim : *Vix tutæ cum matre viæ*. » Barth.

722. *Et nunc illa*. Mater scilicet Atalanta. Lactant. — *Ingentem plangit ad aras Invidiam*. Supple, factura, ut Lucanus lib. II, v. 36: « Nullis defuit aris Invidiam factura parens. »

723. *I. s. f. et limina lassat*. Behot. 1, *et limina luxat*; Behot. 2, *et limina pulsat*. « Ineptiunt libri qui in Papinio lectionem mutatum veniunt. Barth. — *Surdas*. Quæ non audiunt. — *Limina lassat*. Rogando fatigat, ut Horatius lib. I, od. II,

Tu dulces lituos, ululataque prælia gaudes,
Felix, et miseræ tantum periture parenti. »
  Ne tamen extremo frustra morientis honori
Affuerit, venit in medios caligine fulva
Septa globos, primumque leves furata sagittas
Audacis tergo pueri, cælestibus implet
Coryton telis, quorum sine sanguine nullum
Effugit. Ambrosio tunc spargit membra liquore,

v. 26: « prece qua fatigent Virgines sanctæ minus audientem Carmina Vestam. « Lactant.

724. *T. d. l. ululataque prælia gaudes.* In Lactantii Commentario legitur: *ululandaque prælia.* — *Tu dulces lituos, ulul. prælia gaudes.* Supple, tractare vel audire, aut aliud verbum: *Gaudere* enim non jungitur accusativo sed ablativo. Plura tamen poetis conceduntur.

725. *Felix, et miseræ tantum periture parenti.* Petav. unus Behot. Aldd. Colin. Lindenbr. plerique et Gevart. *moriture parenti;* Dan. alter Behot. nonnulli Barth. Exc. Cantab. Petrens. Amst. Gron. Barth. et Delph. *periture parenti.* — Reg. B babet, *moriture;* Reg. C nostram. lect. Ed. — *Moriture parenti.* Matri tuæ tantum peribis, cui soli morte tua ingeres luctum.

726. *Ne tamen extremo*, etc. Unus Bebot. *Non tantum.*

727. *Affuerit, venit in medios caligine fulva. Abfuerit* Lang. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. omnes Barthiani, Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Plant. Lindenbrog. nonnulli et Gevart. *Adfuerit*, vel *Affuerit* Exc. Cantab. Petrens. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. Dan. *caligine furva.* Vide Nic. Heinsium ad Ovid. tom. II, pp. 62, 63. — *Caligine fulva.* Virg. Æneid. XII, v. 792: « Fulva pugnas de nube videntem. » Lucr. VI, 460, « Fulvæ nubis caligine crassa. » « Fulvam caliginem, » dixit quoque Valerius Cato in diris.

728. *Septa globos, primumque leves furata sagittas.* Reg. B babet, *Septa globos, primumque levis furata sagittas;* Reg. C nostr. lect. Ed.

730. *Coryton telis*, etc. *Coriton* Lactantius; et ita legit Barthius. — *Coryton telis. Coryton* theca arcus solius dicitur, sicut *pharetra* sagittarum, et *sagma* scuti: nunc vero *coryton* pro pharetra posuit. Lact. — Sil. Ital. Punic. II, 106: « Coryti fratrum ex humeris calamique paterni pendebant, volucerque chalybs, Minoia tela. » Ed.

731. *Effugit. Ambrosio*, etc. *Decidit* nonnulli codd. cum Aldd. Colin. Lindenbrog. et Cruc. *Effugit* vero Dan. Petav. Bebott. 1, 2, Exc. Cantab. Venett. Gronov. Barthian. cæteri et Delph. — Reg. B habet, *Decidit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Ambrosio.* Divino, conservante ab omni damno. Ambrosius succus autem Poeticis Divis, omnis divinus favor, omne auxilium salutare. Sic apud Maronem, Venus vulnerato filio Ænea Æneid. XII, 419: « Spargitque salubres Ambrosiæ succos, et odoriferam Panacæam. »

Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantusque sacros, et conscia miscet
Murmura, secretis quæ Colchidas ipsa sub antris
Nocte docet, monstratque feras quærentibus herbas.
Tunc vero exerto circumvolat igneus arcu,
Nec se mente regit, patriæ, matrisque, suique
Immemor, et nimium cælestibus utitur armis.
Ut leo, cui parvo mater Gætula cruentos
Suggerit ipsa cibos, quum primum crescere sensit
Colla jubis, torvusque novos respexit ad ungues,
Indignatur ali, tandemque effusus apertos
Liber amat campos, et nescit in antra reverti.
Quos, age, Parrhasio sternis, puer improbe, cornu?
Prima Tanagræum turbavit arundo Chorœbum

732. *Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus*. Reg. B habet, *S. e.* n. *q. violetur vulnere corpus*; Reg. C nostram lect. Ed.

733. *Ante necem*. Letalem ictum. — *Cantusque sacros, et conscia miscet Murmura*. Existimabant veteres eam esse in verbis quibusdam ac carminibus vim, ut eorum ope mira quædam facere posse crederent; de quo argumento vide Plinium lib. VII, cap. 2, et vide supra quid de Diana aut Hecate diximus.

735. *Nocte*. Nox enim accommoda magiæ exercendæ.

737. *Nec se mente regit, patriæ, matrisque, suique*. Reg. B habet, *N. s. m. r. patriam, matrisque suique*; Reg. C nostram lect. Ed.

739. *Gætula*. Gætulia regio Africæ mediterranea, quæ nunc vocatur *Biledulgerid*. — Hunc locum Nostri haud dubie ante oculos habebat Claudianus quum hæc, VII, de Cons. Honorii v. 77 et sqq. « Ut leo, quem fulvæ matris spelunca tegebat, Uberibus solitum pasci, quum crescere sensit Ungue pedes, et terga jubis, etc. » Ed.

740. *S. i. c. quum primum crescere sensit*. Dan. Heinsius ad Claudian. III, Cons. Honor. 79, citat: *crescere sensu*, nisi sit error typothetæ.

741. *Colla jubis, torvusque novos respexit ad ungues*. *Terga jubis* in quibusdam. — Reg. B habet, *Colla jubis, torvosque novos respexit ad ungues*; Reg. C nostram lect. Ed.

742. *Indignatur*. Cum leo unguibus aptum venationi se jam senserit, indignatur matris venationibus nutriri. Lactant.

744. *Parrhasio*. Arcadio, a Parrhasiis Arcadiæ oppido.

745. *Prima Tanagræum*. *Prima Tenacreum* unus Behot. — *Prima Tanagræum*. Eubœum, Tanagreus civitas est Eubœæ, ut ipse in cata-

Extremo galeæ, primoque in margine parmæ
Angusta transmissa via: stat faucibus unda
Sanguinis, et sacri facies rubet igne veneni.
  Sævius Eurytion, cui luminis orbe sinistri
Aspera tergeminis acies se condidit uncis.
Ille trahens oculo plenam labente sagittam
Ibat in auctorem: sed Divum fortia quid non
Tela queant? alio geminatum lumine vulnus
Explevit tenebras: sequitur tamen improbus hostem,
Qua meminit, fusum donec prolapsus in Idam
Decidit: hic sævi miser inter funera belli
Palpitat, et mortem, sociosque, hostesque precatur.
  Addit Abantiadas, insignem crinibus Argum,

logo, l. VII, v. 254: « Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ. »

746. *Margine parmæ*. Inter limitem scuti vel galeæ. LACTANT.

748. *Sacri veneni*. Sagittæ venenatæ, quæ a Diana ei subministratæ erant.

749. *Sævius Eurytion, cui luminis orbe sinistri*. *Sævit in Eurythion*, vel *Eurytion*, Lang. Buslid. Petav. Venett. Aldd. Basil. Lindenbrog. plerique et Gevart. *Sæviit Eurythion* nonnulli codd. Barthiani; *Sævus Eurythion* Dan. *Sævit in Eurityon* optimæ Barthii membranæ; unde ille *Hinc it in Eurythion* conjectabat; sed nihil a vulgata: *Sævit in Eurytion*, mutandum censebat. *Sævius Eurition* Behot. 1, *Sævius Eurichion* Behot. 2. Multi codd. et edd. vett. *sinistro*. — Reg. B habet, *S. E. c. luminis orbe sinistro;* Reg. C eamdem lect. ED.

750. *Aspera tergeminis acies se condidit uncis.* Regg. B et C, *Callida tergeminis*, etc. exhibent. ED.

752. *Ibat in auctorem*. *Ibat in actorem* optimæ Barthii membranæ.

754. *Explevit tenebras*. Reg. B habet, *Explebit tenebras;* Reg. C nostram lect. — *Explevit tenebras.* Id est, ambos illius oculos excæcavit. — *Hostem*. Parthenopæum.

757. *Palpitat, et mortem, sociosque, hostesque precatur*. Multi codd. Barthiani: *socios hostesque pretatur*, omisso τῷ *que* priore loco. Optimæ ejusdem membranæ, *hostemque precatur*. — Reg. B habet, *Palpitat et mortem socios hostemque precatur;* Reg. C nostram lect. ED. — *Palpitat*. Σπαίρει, πάλλει. Noster Theb. VIII, v. 439, « Jam palpitat arvis Phædimus. » Lib. XII, v. 71, « His arduus ignis Palpitat. » Prudentius Passione Agnetis: « Cæcus corusco lumine corruit, Atque in plateæ pulvere palpitat. » Calpurn. Ecl. II, de victima: « Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus. » Hinc et cordis palpitatio. — *Et mortem sociosque hostesque precatur*. Ut se quam citissime conficiant.

758. *Addit*. Occidit. — *Abantia-*

Et male dilectum miseræ Cydona sorori.
Illi perfossum telo patefecerat inguen :
Huic geminum obliqua trajecit arundine tempus.
Exstitit hac ferrum, velox hac penna remansit;
Fluxit utrimque cruor : nulli tela aspera mortis
Dant veniam : non forma Lamum, non infula Lygdum,
Non pubescentes texerunt Æolon anni.
Figitur ora Lamus, flet saucius inguina Lygdus,
Perfossam telo niveam gemis, Æole, frontem.
Te præceps Eubœa tulit, te candida Thisbe
Miserat, hunc virides non excipietis Amyclæ.

das. Abantis filios, quos supra memoravit, « Non ego Abantiadas. »

759. *Et male dilectum.* Quia dilectus inter vos non pietatis est, sed libidinis. Notandum ergo quod hic *male* scelerate significat, quia incestum ostendit : ideo quasi impii ipsius tantum mortem expressit. LACTANT.

760. *Illi perfossum telo patefecerat inguen.* « Libri sunt veteres, qui hunc versum non agnoscunt, ut Behott. 1, 2, et optimus omnium ille noster. Ut iis assentiamur non admodum boni ingenii ipse facit hic νοθεύων. » BARTH. — Et in Reg. B vs. ille desideratur, sicut in Reg. C.

762. *Exstitit hac ferrum, velox hac penna remansit.* Unus Behot. *hac pinna.* — Reg. B habet, *Exilit hac ferrum velox, velox hac pinna remansit;* Reg. C nostr. lect. En.

764. *D. v. n. f. L. non infula Lygdum.* In eodem Behot. codice : *non infula Lidum.* Pro *Lamum* multi codd. et edd. vett. habent *Lanum.*

766. *F. o. L. fl. s. inguina Lygdus.* Behot. 1, *Lydus* pro *Lygdus.*

768. *Te præceps Eubœa tulit, te candida Thisbe.* Multi codd. et edd. vett. *Thysbe*, vel *Tysbe;* Behott. 1, 2, *Thispe.* — Reg. B habet, *Te præceps Eubona tulit*, etc. Reg. C nost. lect. En. — *Præceps.* In præcipitio posita, sive in montis latere ædificata. — *Candida.* Propter columbas. LACT. — *Eubœa.* Insulâ : vide Theb. VII, 235. — *Caudida Thisbe.* Vide ibidem. *Candida* autem, ob candidas columbas, nam alibi « Dionæis avibus circumsonam » appellarat. Notum illud Ovidii Metam. XV, 715, « Niveisque frequens Sinuessa columbis. » Et illud Martialis : « Quæque gerit similis candida turris aves. »

769. *M. h. v. non excipietis Amyclæ.* « Omnino scripsit Papinius, ut est in optimo aliisque duobus bonitate ei proximis codicibus, non *recipietis.* » BARTH. — *Amyclæ.* Erat itaque ejusce etiam nominis urbs in Bœotia, aut Phocide aut Eubœa, ex quibus locis copiæ venerant auxilio Thebanorum. Nam Amyclæ Laconiæ sequebantur partes Argivorum, ut vidimus l. IV, 223, in Catalogo

Nunquam cassa manus, nullum sine vulnere fugit
Missile : nec requies dextræ, sonitumque priori
Jungit arundo sequens : unum quis crederet arcum?
Aut unam sævire manum? modo dirigit ictus,
Nunc latere alterno dubius conamina mutat,
Nunc fugit instantes, et solo respicit arcu.
Et jam mirantes, indignantesque coibant
Labdacidæ, primusque Jovis de sanguine claro
Amphion, ignarus adhuc, quæ funera campis
Ille daret : « Quonam usque moram lucrabere fati,
O multum meritos puer orbature parentes?
Quin etiam menti tumor atque audacia gliscit,
Congressus dum nemo tuos pugnamque minorem

copiarum Argivarum. Erant et quidem aliæ Amyclæ in Italia inter Cajetam et Trinacriam, quas a serpentibus deletas tradit Plinius : quæque *tacitæ* dicuntur Virgilio, quia quum sæpius nuntiatum esset hostes adesse, falsumque hoc nuntium inventum fuisset, lege cautum fuit, ne quis hanc famam spargeret; unde postea urbs fuit ex improviso capta. Hinc natum proverbium : « Loqui volo ; nam scio Amyclas tacendo periisse. » — *Virides*. Forsan a copia silvarum, vel pratorum.

770. *Nunquam cassa manus, nullum sine vulnere fugit*. Reg. B habet, *Nunquam cassa manus, nullum sine numine fugit;* Reg. C, *nullum sine vulnere fudit*. Ed.

772. *Unum quis crederet arcum?* Ex tot, uno quasi momento, occisis, plures, non unus solum, sagittarii credebantur.

773. *Aut unam sævire manum?* etc. *Aut unam sævisse manum* unus Behot. — *Modo dirigit*. Recta modo obversus in hostem sagittas dirigit.

774. *Nunc latere alterno*. Nunc ex hoc, nunc ex altero latere sese invertens, sagittas hostibus Thebanis immittit.—*Dubius*. Ut nesciant, nec cavere possint, unde incidant sagittæ. — *Conamina*. Intentionem sagittas emittendi. Vet. Schol.

775. *Nunc fugit instantes*, etc. Ut Parthi solebant.

777. *Labdacidæ*. Thebani.

778. *Amphion*. Filius Amphionis, Zeti fratris. — *Quæ funera*. Quantas mortes. Lactant.

779. *Ille daret : Quonam usque moram lucrabere fati*. Reg. B habet : *I. d. q. u. moram luctabere fati;* Reg. C nostr. lect. Ed.

780. *O multum meritos puer orbature parentes? O multum miseros* optimus aliique duo Barthiani, Dan. Petav. Lindenbr. et Cruc. *O multum meritos* Petrens. Exc. Cantab. Lipsian. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Basil. Gronov. plerique et Delph.

Dignatur bellis, iramque relinqueris infra.
I, repete Arcadiam, mixtusque æqualibus illic,
Dum ferus hic vero desævit pulvere Mavors,
Prælia lude domi : quod si te mœsta sepulcri
Fama movet, dabimus; leto moriere virorum. »
  Jamdudum hunc contra stimulis gravioribus ardet
Trux Atalantiades, nec dum ille quieverat, infit:
« Sera etiam in Thebas, quarum hic exercitus, arma
Profero : quisnam adeo puer, ut bellare recuset
Talibus? Arcadiæ stirpem, et fera semina gentis,
Non Thebana vides : non me sub nocte silenti
Thyas Echionio genitrix famulata Lyæo
Edidit : haud unquam deformes vertice mitras

783. *Dignatur bellis, iramque relinqueris infra.* Reg. B habet, *Dignatur bellis, iraque relinqueris infra;* Reg. C, *iramque relinqueris ultra.* Ed. — *Infra.* Nec dignus ira hostis, contemptibilis. Lactant.

784. *I, repete Arcadiam. Arcadias* unus Behot.

786. *Prælia lude domi*, etc. Ludendo cum æqualibus pugnas simula, sed vero præliorum furori cave ne te committas. Si tamen gloriosæ mortis famam affectas, hanc ut assequaris faciam : manu mea, sicut alii jam viri fortes, morieris. Conf. quæ dicta sunt in Varr. lectt. ad Virg. Æneid. XI, 857. Ed.

788. *Jamdudum hunc contra stimulis*, etc. « Melius, faventibus nonnullis libris, omittatur vocula *hunc;* non enim solum viro loquenti, sed rei ipsi indignatur Parthenopæus. » Barth.

789. *Trux Atalantiades. Atlantiades* unus Behot. — Reg. B habet, *T. A. nec dum ille quierat et infit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Trux Atalantiades.* Parthenopæus. — *Ille.* Amphion.

790. *Sera etiam.* Etiam tarde ad hoc bellum veni, quamvis puer sim Parthenopæus dicit, Thebanorum debilitati etiam puerilia arma sufficere. Lactant.

792. *Talibus.* Ignavis, imbellibus, comitibus mollis Dei seu Bacchi. — *Fera semina gentis.* Ex arboribus enim et lapidibus orti Arcades, ut credebant. Vide Theb. IV, 275 et sq.

793. *Sub nocte silenti.* Orgia enim Bacchi noctu celebrata.

794. *Thyas.* Bacchæ Thyades etiam vocabantur. — *Echionio.* Thebano. — *Lyæo. Lyæus* Bacchi cognomentum.

795. *Deformes.* Quod mitræ virum non decerent. — *Vertice mitras.* Mitra incurvum pileum, de quo dependent buccarum tegmina. Et oratorie crimen objectum est ex habitus qualitate. Virg. Æneid. IX,

Induimus, turpique manu jactavimus hastam.
Protinus adstrictos didici reptare per amnes,
Horrendasque domos magnarum intrare ferarum:
Et quid plura loquar? ferrum mea semper et arcus
Mater habet, vestri feriunt cava tympana patres.»
Non tulit Amphion, vultumque et in ora loquentis
Telum immane rotat: sed ferri lumine diro

v. 616: « Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ. » LACTANT.

796. *Induimus, turpique manu jactavimus hastam.* « Omnino scribendum, accedente auctoritate codicis primarii: *turpesque manu jactavimus hastas.* » BARTH. « Si codd. hanc lectionem bono numero firmaverant, non rejicerem: at vulgatam lectionem improbandi nullam necessitatem video; ne loquar de sibilo tot vocum suo epitheto destitui: passim *hasta* de *Thyrso.* Virgil. Ecl. V, 31. Catul. Epithal. Thet. et Pel. vs. 256. » BURMANN. *Turpemque manu jactavimus hastam* conjectabat Jortin. et sane non multum interest in codd. inter *turpēque* et *turpique*. Pro *jactavimus* multi codd. habent *tractavimus.* — *Turpique manu jactavimus hastam.* Emendat Cruceus *turpem.* Objicit enim Parthenopæus Thebanis mollitiem et usum Bacchicæ supellectilis, ut mitram et thyrsum, quem « mollem hastam » periphrasi vocat, eadem ratione qua versu superiori « deformes mitras » appellat.

797. *Protinus adstrictos*, etc. Virgil. Æn. IX, 603: « natos ad flumina primum Deferimus, sævoque gelu duramus et undis. » De hac dura et militari educatione locus est insignis apud Claudianum, De III Consulatu Honorii, Carm. VII, 39, sqq. En.

798. *Horrendasque domos*, etc. Reg. B habet, *Horrendasque domus;* Reg. C nostr. lect. En.

800. *Mater habet, vestri feriunt cava tympana patres.* Behott. 1, 2, ab al. m. Dan. Petav. Lang. Busl. Lipsian. et edd. vett. *vestræ feriunt cava tympana matrés*, Behot. 1, *vestrique ferunt cava tympana patres;* Bebot. 2, *vestri feriunt cava tympana patres.* Vocem *matres* perperam mutant libri nonnulli in *patres.* — *Vestri feriunt cava tympana patres.* Objicit etiam Thebanis usum tympani, ut probrosum, et mollis animi indicem ut videre etiam est apud Virgilium Æneid. IX, 619: « Tympana vos buxusque vocant. » Itaque mirum est tympana in militia olim usurpata. Legimus enim apud Parthos tympano pugnæ signum datum. Justinus lib. XLI. Cæterum tota hæc Parthenopæi oratio adumbrata ex illa Numani apud Virgilium Æneid. IX, 603, sqq. ubi vide quæ adnotata sunt, nost. edit. tom. IV, p. 61, sqq.

801. *Non tulit Amphion, vultumque et in ora loquentis. Amphion ultum sed in* conjectabat Barth.

802. *Telum immane rotat: sed ferri lumine diro. Telum immane parat* vet. cod. Lindenbr. Buslid.

Turbatus sonipes, sese dominumque retorsit
In latus, atque avidam transmisit devius hastam.
Acrior hoc juvenem stricto mucrone petebat
Amphion; quum se medio Latonia campo
Injicit ante oculos: omni stetit obvia vultu.
Hærebat juveni devinctus amore pudico
Mænalius Dorceus, cui bella, suumque timorem
Mater, et audaces pueri mandaverat annos.
Hujus tum vultum Dea dissimulata profatur:

et nonnulli Barthiani; *Telum immane jacit* Lipsian. — Reg. B *sed ferri lumine duro* exhibet Reg. C eamdem lect. Ed. — *Lumine diro*. Convenienti hastæ; sive aspero, quod lux ferri oculos terreat. Lact.

804. *Avidam*. Scilicet, sanguinis. — *Avidam hastam*. Magno quippe impetu missam. Affectus humanos armis tribui novum non est. Sic apud Plautum Miles Gloriosus, Act. I, sc. 1, vs. 4, sqq. consolari vult gladium suum, quod tanto tempore non faciat, quod facere velit *fartum ex hostileus*.

806. *Latonia*. Diana, Latonæ filia.

807. *Injicit ante oculos: omni stetit obvia vultu*. Sola Venet. 3, *omni stetit anxia vultu;* Jort. conj. *Dorcei stetit obvia vultu*. — Reg. B habet, *Jecit et ante oculos omnis stetit; omnia vultu;* Reg. C nostr. lect. Ed. — *Omni obvia vultu*. Id est, se spectandam præbuit. Nihil de vivo vultu mutavit in conspectu rectissimo. — Sic cum Lactantio locum plerique exponunt; verum ego non adsentior. Nam si Diana se spectandam præbuisset, quid opus fuerit eam statim in Dorcei figuram mutari? opinor igitur deam se ita *toto vultu*, id est, toto corpore interposuisse, ut Parthenopæus Amphioni non amplius appareret, ipsa tamen nequaquam spectaretur, utpote quam nubes, solitus Deorum et Dearum amictus, circumcingeret. Ed.

808. *Pudico*, casto. Lactant.

809. *Mænalius*. Arcas, a Mænalo Arcadiæ monte.

810. *Mandaverat*. Commendaverat. Lactant.

811. *Hujus tum vultum Dea dissimulata profatur*. *Hujus tum vultu* Dan. *Hujus tum in vultum* optimus et duo alii Barthiani. *Hujus tum vultum* Dan. Petav. Busl. Petrens. Exc. Cantab. Burm. Venett. 3, 4, Ald. Colin. Plant. Lindenbr. plerique et Amst. *vultu* legi jussit Gronovius, ut in Dan. eumque secuti sunt Daum. Veen. et Delph. non vero Editores Bipontini. — Reg. B habet, *Hujus tum vultu Dea dissimulata profatur;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Vultum Dea dissimulata*. Dicimur *dissimulare*, quod non præferimus, quod cupimus celatum. Ut alibi noster, Silv. IV, 2, 44: « tamen ore nitebat Dissimulatus honos; » quem ipse suppresserat, vetuerat parere. Ergo Diana non potest dici *dissimulata vultum*

« Hactenus Ogygias satis infestasse catervas,
Parthenopæe, satis : miseræ jam parce parenti,
Parce Deis, quicunque favent. » Nec territus ille,
« Hunc sine me, (nec plura petam,) fidissime Dorceu,
Sternere humi, qui tela meis gerit æmula telis,
Et similes cultus, et frena sonantia jactat.
Frena regam : cultus Triviæ pendebitis alto
Limine, captivis matrem donabo pharetris. »
Audiit, et mixto risit Latonia fletu.

Viderat hanc cæli jamdudum in parte remota
Gradivum complexa Venus, dumque anxia Thebas
Commemorat, Cadmumque viro, caræque nepotes
Harmoniæ, pressum tacito sub corde dolorem
Tempestiva movet. « Nonne hanc, Gradive, protervam
Virginitate vides mediam se ferre virorum

Dorcei, quem adsomserat et præ se ferebat. Lege : *Hujus tum vultu Dea dissimulata ;* id est : snb hujus figura vel facie latens Dea. Nam se dissimulabat ipsa. Et sane Dan. eodex habet *vultu*. GRONOV.

812. *H. O. satis infestasse catervas.* « Melins aliquanto optimus codex : *infestasse cohortes.* » BARTH. — *Ogygias.* Thebanas.

813. *Parce parenti.* Bene furenti filio nomen matris apposuit, ut ablatio cari nominis puerom festinato suo retardaret interitu, ut vel matri parceret : quippe quam pro gloria sua contemnere cupiebat.

814. *Parce Deis, quicunque favent,* etc. Reg. B habet, *Parce, Dei quicunque favent ;* Reg. C nostram lect. Eo. — *Parce Deis.* Sic Theb. II, 689.

815. *Hunc sine me (nec plura petam), fidissime Dorceu.* Codex Lindenbrogii, *non plura.* — In Reg. B hic versns desideratur. Eo.

818. *Cultus.* Ornatus Amonis, spolia detracta. *Triviæ pendebitis alto Limine.* Ex more jam observato, qno hostiles exuviæ Diis consecrabantur.

819. *Limine, captivis,* etc. *Culmine* pro *Limine* mallet Marklandos ad Silv. IV, 3, 137.

824. *Harmoniæ, pressum tacito sub corde dolorem.* « Plerique libri delirant *Harmionæ* et *Hermione* scribentes. Apollodorus de Cadmo lib. III, Ζεὺς ἔδωκεν αὐτῷ γυναῖκα Ἁρμονίαν, Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος θυγατέρα. Nihil tritius. » BARTH.

825. *Tempestiva.* Oportuna. Horatius : « Desine matrem tempestiva sequi viro. » LACTANT.

826. *Mediam se ferre.* Ad vim et gravitatem pertinet. Vet. Schol. Sane gradum non levem hæc locutio infert. Virgil. Æneid. II, 456 : « Qua se, dnm regna manebant,

Cœtibus? utque acies audax, et Martia signa
Temperet? en etiam donat, præbetque necandos
Tot nostra de gente viros : huic tradita virtus,
Huic furor? agrestes superest tibi figere damas. »
  Desiluit justis commotus in arma querelis
Bellipotens, cui sola vagum per inane ruenti
Ira comes, reliqui sudant ad bella Furores.
Nec mora, quum mœstam monitu Latoida duro
Increpat assistens : « Non hæc tibi prælia Divum
Dat pater, armiferum ni protinus improba campum
Deseris, huic æquam nosces nec Pallada dextræ. »
  Quid faciat contra? premit hinc Mavortia cuspis;
Hinc plenæ tibi, parve, colus; Jovis inde severi

Sæpius Aodromache ferre iocomitata solebat. » Barth.

828. *Temperet*. Dispooat, aut ordinet. Lactant.

829. *Tot nostra de gente viros: huic tradita virtus*. « Nulla oos causa movet torbare hanc lectionem. At noo uous librorum veterum *inclita virtus* præferuot. Asserit vulgatam veramque scripturam Aoctor ipsemet, infra vs. 835, *Non hæc tibi prælia Divum Dat pater*. » Barth. — *Huic tradita virtus, Huic furor?* Sua enim cuique Deo a Jove attributa munia. Cæterum quæ dicit hic Venus nota ex præcedentibus libris.

830. *Huic furor? agrestes superest tibi figere damas*. Uterque Behot. et optimus Barth. *tibi figere dammas*. — Reg. B habet, *Huic furor agrestis superest tibi figere damas*; Reg. C nostr. lect. Ed.

831. *Desiluit justis*, etc. *Dissiluit* Behot. 1. — Hanc lectionem habet Reg. B; Reg. C nostram. Ed.

833. *Ira comes*. Fortes eoim plerumque iracundi.

834. *Latoida*. Diauam Latonæ filiam.

835. *Non hæc tibi prælia Divum Dat pater*. Non tibi datum est a Jove præesse bello, sed taotom venationi, quæ est species belli, et usum armorum requirit.

836. *Dat pater, armiferum*. *Dat pater, armigerum* Dan. Pet. et edd. vett. *armiferum* vero Lang. Busl. Lipsiao. Behott. 1, 2, et optimi Bartbiani. — *Improba*, id est, soperba, ferox.

837. *Pallada*. Minerva etiam præerat bello, quam sibi multo inferiorem Mars prædicat, immemor sane illius pugnæ ad Trojam, quum ipsi Diomedi, a Minerva adjuto, cedere coactus est, si fides tribuenda Homero, Iliad. V, 850 sqq. Ed.

838. *Quid faciat contra? premit hinc Mavortia cuspis*. « Aliter distioguuot meliores codices : *Quid faciat? Contra premit*, etc. Placet ea lectio. » Barth.

839. *Parve*. Parthenopæe. — *Colus*. Id est, finita tibi vita.

Vultus; abit solo post hæc devicta pudore.
At pater Ogygias Mavors circumspicit alas,
Horrendumque Dryanta movet, cui sanguinis auctor
Turbidus Orion, comitesque odisse Dianæ.
Inde furit primum : hic turbatos arripit ense
Arcadas, exarmatque ducem : cadit agmine longo
Cyllenes populus, Tegeesque habitator opacæ,
Æpitiique duces fugiunt, Pheneique phalanges.

840. *Vultus: abit solo post hæc devicta pudore.* Petrens. Taurin. et Buslid. *evicta;* Lang. Lipsian. Dan. Petav. Buslid. et edd. vett. *devicta.* In Burm. diversa plane lectio apparet: *post hæc cunctata-pudore.* — Reg. B babet, *evictæ;* Reg. C eamdem lect. Ed. — *Devicta* (*evicta*). Tacit. Annal. IV, « Sed precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium ascivit. » Lib. XV, 64, de Paulina Senecæ uxore: « Deinde, oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evictam. »

841. *Ogygias.* Thebanas.

842. *H. D. m. cui sanguinis auctor.* Unus Behot. *actor.* — *Dryanta.* Hujus mentio Theb. VII, v. 255 in catalogo ducum Thebanorum.

843 et 844. *Turbidus Orion, comitesque odisse Dianæ. Inde furit primum: hic turbatos arripit ense.* Barthius interpungit: *comitesque odisse Dianæ Inde furit. Primum,* etc. — Reg. B habet, *hinc turbatos atripit ense;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Turbidus Orion.* Quia hic Dryas Orionis fuit filius, qui immissu Dianæ scorpii ictu periit: turbidus autem quia stella ejus tempestatem movet; sive fortis vel incontinens, quippe qui nimio amore Dianæ flagravit. — *Comitesque odisse Dianæ.* Sensus patet; verborum autem constructionem explicare haud ita facile est; et hærere me confiteor. Sic fortasse exponendum: illi pater Orion, et *patrium* erat odisse, etc. Sed admodum dura videtur ellipsis. Ed. — *Inde furit primum.* Ex illa causa, quia patrem ejus Diana sagittis occiderat. Unde Horat. « Virginea domitus sagitta. » Lactant.

845. *Arcadas.* Comites Dianæ. Lact. — *Exarmatque ducem.* Non Parthenopæum, sed alium Arcadum ducem sub ipso.

846. *Cyllenes populus.* Arcades, a Cyllene monte Arcadiæ. — *Tegees.* Tegee, seu Tegea urbs Arcadiæ.

847. *Æpitiique duces fugiunt, Pheneique phalanges; Ephiciique duces, Telephecæque phalanges* Dan. *Epytiique duces fugiunt, Thelephecæque phalanges* Behot. 1; *Epiciique duces fugiunt, Thelephecæque phalanges* Behot 2; *Æpytiique duces fugiunt, Theneique phalanges* optimus codex Barthii; *Epiciique duces, Thefpheleæque phalanges* omnes alii Barthiani; *Epitiique duces, celephecæque phalanges* Taurin. *Ephitiique duces, Thelepheque phalanges* Burm. *Æpitiique truces fugiunt* conj. Barthian. *Æphitiique*

Ipsum autem et lassa fidit prosternere dextra,
Nec servat vires : etenim huc jam fessus, et illuc,
Mutabat turmas : urgent præsagia mille
Funeris, et nigræ præcedunt nubila mortis.
Jamque miser raros comites, verumque videbat
Dorcea, jam vires paullatim abscedere sentit,
Sentit et exhaustas humero leviore pharetras.
Jam minus atque minus fert arma, puerque videtur
Et sibi, quum torva clipei metuendus obarsit
Luce Dryas : tremor ora repens ac viscera torsit.

duces pereunt Telephecæque phalanges Petreus. *Æpitiique duces fugiunt, Tegeæque phalanges* Ald. 1, *Æpitiique duces fugiunt, Pheneique phalanges* Laug. Buslid. Lips. Petav. Ald. 2, Colin. Gryph. 1, 2, Basil. Plant. et recentt. *pereunt Tegeæque phalanges* habet etiam codex Schotti. — Reg. B habet, *Æpytiique duces Delphusiacæque phalanges*; Reg. C, *Telephecæque phalanges*. — *Fugiunt Pheneique phalanges*. Gronovius dicit τὸ *fugiunt* non esse in sincerioribus libris, sed tantum *Telephææ phalanges* : unde legendum conjicit : *Thelpusææque phalanges*. Thelpusa urbs et ager in Arcadia. Vide Pausaniam in Arcadicis.

848. *Ipsum autem*. Hic versus et tres sequentes suspecti Guyeto. — *Ipsum*. Dryanta.

849. *Nec servat vires : etenim huc jam fessus, et illuc*. Reg. B habet, *Nec servat vires etenim huc fessus et illuc*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Nec servat vires*. Parthenopæus scilicet, dum hostes insequitur.

850. *Mutabat turmas*. Huc et illuc vagabatur inter ordines. — *Urgent præsagia mille Funeris*, etc. Sic Thebaid. V, 546 : « Jam certa malorum Mentis ab augurio. » Livius lib. XXV, « Ad Romanos quidem nondum fama tantæ cladis pervenerat, sed tamen mœstum quoddam silentium erat, et tacita divinatio, qualis jam imminentis mali præsagientibus animis esse solet. »

851. *F. e. n. præcedunt nubila mortis*. Optimæ Barthii membranæ : *procedunt nubila*. — *Præcedunt nubila mortis*. Circumvolant : id est, mens Parthenopæi turbabatur vicinæ mortis adventu. Lactant.

852. *Jamque miser raros comites, verumque videbat*. Reg. B habet : *Jamque miser raro comites, superumque videbat*; Reg. C nostr. lect. Ed. — *Verumque videbat Dorcea*. Non eum, in quem Diana transformata fuerat.

853. *Dorcea, jam vires paullatim abscedere sentit*. Reg. B *abscedere sensit* exhibet Reg. C nostr. lectionem. Ed.

855. *Jam minus*, etc. Hunc versum et septem sequentes spurios judicat Guyetus.

856. *Clipei metuendus obarsit Luce*. Effulsit, vel resplenduit; quia ejus *nivea arma tridentem Atque*

Arcados: utque feri vectorem fulminis albus
Quum supra respexit olor, cupit hiscere ripam
Strymonos, et trepidas in pectora contrahit alas:
Sic juvenem sævi conspecta mole Dryantis,
Jam non ira subit, sed leti nuntius horror.
Arma tamen, frustra Superos Triviamque precatus,
Molitur palleus, et surdos expedit arcus.
Jamque instat telis, et utramque obliquus in ulnam
Cornua contingit mucrone, et pectora nervo:
Quum ducis Aonii magno cita turbine cuspis
Fertur in adversum, nervique obliqua sonori
Vincla secat; pereunt ictus, manibusque remissis
Vana supinato ceciderunt spicula cornu.

auro rude fulmen habent, ut dictum est supra lib. VII, vs. 255 sq.

858. *Arcados: utque feri vectorem fulminis albus.* « Recte libri veteres *vectorem*, ut ex suis And. Schottus Obss. lib. II, cap. 29, cujus obelisco tamen non opus erat, quum ante eum natum jam sic ediderit Aldus, ediderunt alii. » BARTH. *victorem* sola Gryph. 2, *rectorem* in quibusdam scriptis. Pro *albus* codex Lindenbrogii *astus.* — *Vectorem fulminis.* Aquilam.

859. *Cupit hiscere ripam Strymonos.* Ut se recipiat, ac tegat ab impetu instantis Aquilæ. Cæterum multi olores in Strymone Thraciæ fluvio. — *Strymonos.* Hoc flumen hodie *Karasou* vocatur. ED.

860. *S. e. t. in pectora contrahit alas.* In quibusdam codd. Barthii: *in pectore concutit alas.*

863. *Arma tamen, frustra Superos Triviamque precatus.* Reg. B habet, *Triviamque precatur;* Reg. C nostram lect. ED.

864. *Surdos expedit arcus.* Ad sagittandum parat. *Surdos* autem vocat, id est, inobsequentes, quia domini voluntatem non audiunt, ut ait Virgil. Georg. I, vs. ultimo: « neque audit currus habenas. » ED.

865. *Jamque instat telis, et utramque obliquus in ulnam.* Vocem *obliquus* suspectam habet Barthius, quum sequatur mox id verbum. Reg. B habet, *et utramque oblitus in ulnam;* Reg. C nostr. lect. ED. — *Utramque obliquus in ulnam.* Exprimit gestum et conatum sagittarii, qui totis viribus arcum tendit, ut sagitta longius exeat. — Cf. memorabilem inter alias sagittationem Virgil. Æn. XI, 858, sqq. et quos Heyn. ibi laudat auctores. ED.

867. *Ducis Aonii.* Dryantis.

869. *Pereunt ictus.* Quos Parthenopæus destinabat.

870. *Vana supinato ceciderunt spicula cornu.* Reg. B *Vanaque supino ceciderunt*, etc. præbet; Reg. C nostram lect. ED.

Tunc miser et frenos turbatus, et arma remisit,
Vulneris impatiens, humeri qua tegmina dextri
Intrarat, facilemque cutem subit altera cuspis,
Cornipedisque fugam succiso poplite sistit.
Tunc cadit ipse Dryas, mirum, nec vulneris usquam
Conscius, olim auctor teli, causæque patebant.
  At puer infusus sociis, in devia campi
Tollitur, heu simplex ætas! moriensque jacentem
Flebat equum : cecidit laxata casside vultus,
Ægraque per trepidos exspirat gratia visus,
Et prensis concussa comis, ter colla, quaterque

872. *V. i. h. qua tegmina dextri.* « In optimo libro quo scriptum est: ut legendum dicas *quod.* » Barth. Unus Behot. habet etiam *quod.* — Reg. B *quod tegmine dextri*; Reg. C nostram lect. Ed.

873. *Intrarat, facilemque cutem subit altera cuspis.* Barthius distinguit : *facilemque cutem. Subit altera cuspis*, etc.

875. *Tunc cadit ipse Dryas.* Invisibili scilicet Dianæ telo in vindictam necis Parthenopæi, supra enim Diana sic loquitur, 665 et sqq: « Nec fugiet pœnas quicunque nefandam Insontis pueri scelerabit sanguine dextram Impius, et nostris fas sit sævire sagittis. » Cæterum hic versus et sequens Guyeto suspecti.

876. *Conscius, olim auctor teli, causæque patebant.* Unus Behot. *actor.* Lang. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Behott. 1, 2, Petrens. Exc. Cantab. et edd. vett. *patebant*; Bernartius et Barth. legendum putaverunt *patebunt.* — Reg. B habet, *causæque patebunt*; Reg. C nostr. lect. Ed. — *Conscius.* A Diana intelligitur Dryas occisus, ut ipsa superius ad versum 667, promiserat.

878. *Heu simplex ætas! moriensque jacentem Flebat equum.* Ovidius in Proserpina similem simplicitatem ostendit, Met. V, 401 : « Collecti flores tunicis cecidere remissis : Tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis; Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem. » — Dulcem sane et gratia plenam imaginem ab Ovidio adumbratam plures facile admittent; sed haud scio an Parthenopæo, juveni quidem, bellatori tamen fortissimo et jam multis cædibus bellorumque palma insignito, puellaris ista simplicitas apprime conveniat. Forsan et hic Noster luxuriatur. Ed.

879. *F. c. c. laxata casside vultus* « Male nonnulli librorum, qui *lassata* scribunt. » Barth. — Reg. B habet hanc lectionem; Reg. C nostram. Ed.

880. *Per trepidos.* Convelluntur enim in morte oculi.

881. *Et prensis concussa comis.* Nam morituris solent erigere capita, comas concutiendo sive vellendo, quasi revocent illius sensum.

Stare negant, ipsisque nefas lacrimabile Thebis,
Ibat purpureus niveo de pectore sanguis.
Tandem hæc singultu verba incidente profatur:
« Labimur, i, miseram, Dorceu, solare parentem.
Illa quidem, si vera ferunt præsagia curæ,
Aut somno jam triste nefas, aut omine vidit.
Tu tamen arte pia trepidam suspende, diuque
Decipito: neu tu subitus, neve arma tenenti
Veneris, et tandem quum jam cogere fateri,
Dic: — « Merui, genitrix, pœnas, invita capessens
Arma puer rapui, nec te retinente quievi:
Nec tibi sollicitæ saltem inter bella peperci.
Vive igitur, potiusque animis irascere nostris:

Lact. — *Et prensis concussa comis.* Ritus (hic a Lactautio observatus) alibi mihi non lectus. Scio præsecari solere crines morientibus, unde illud Virgil. Æneid. IV, v. 698: « Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat: » (Macrobius Satur. V, cap. 19, videatur:) sed nihil ad lucem hujus loci.

884. *Incidente.* Interrumpeute

885. *Labimur, i, miseram, Dorceu*, etc. *Labimur et miseram* unus Behot.

886. *Si vera ferunt præsagia curæ.* Vide supra vs. 850.

889. *Decipito: neu tu subitus*, etc. In eodem Behot. codice: *ne tu subitus.* — *Neve arma tenenti.* Ne te, aut se interficiat.

891. *Dic: — « Merui, genitrix, pœnas, invita capessens.* Omnes edd. ab Aldina *capessens;* omnes vero codd. manuscripti etiam Petrens. et Exc. Cantab. *capesse*, ita quoque Venett. et Rom. Barthius vs. 892 deleto legit: *Dic; merui, genitrix, pœnas, invisa capessi, Nec tibi sollicitæ*, etc. — *Invita capessens Arma puer.* MSS. magno cousensu *capesse.* Idque verum esse agnosces, modo recte interpuuxeris: *Dic: merui, genitrix: pœnas invita capesse. Arma puer rapui.* Dignus fui perire, qui te offenderim, et injussu tuo arma puer rapuerim, nec vel in ipso prælio, tui reverentia, parcius me periculo objecerim. Resuscita igitur iram tuam, ut patientius doleas, et cogita Deos maternæ majestatis vindices, teque adeo ipsam, licet invitam, et graviores, justas tamen, de me pœnas expetivisse ob contumaciam et temeritatem. Hoc velut ultionis solatio luctum mitiga. Gronov.

893. *N. t. s. saltem inter bella peperci.* Pro *saltem* unus Behot. habet *tandem.* — Eamdem lect. habet Reg. B; Reg. C nostram. Eo.

894. *Vive igitur, potiusque animis irascere nostris.* Reg. B habet,

Et jam pone metus : frustra de colle Lycæi
Anxia prospectas, si quis per nubila longe
Aut sonus, aut nostro sublatus ab agmine pulvis.
Frigidus in nuda jaceo tellure, nec usquam
Tu prope, quæ vultus, efflantiaque ora teneres.
Hunc tamen, orba parens, crinem, (dextraque secandum
Præbuit,) hunc toto capies pro corpore crinem,
Comere quem frustra me dedignante solebas.
Huic dabis exsequias : atque inter justa memento,
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis,

Vive igitur potius animisque irascere nostris; Reg. C nostram lect. Ed.

895. *Lycæi.* Montis Arcadiæ. Hodie *mont Mintha.* Eamdem apud Horat. imaginem invenies, lib. IV, od. 5, vs. 9 sqq. « Ut mater juvenem ... Votis ominibusque et precibus vocat, Curvo nec faciem litore dimovet. » Ed.

896. *Anxia prospectas, si quis,* etc. *Anxia prospectans* Pet. Lang. Buslid. Lipsian. Aldd. Col. Gryph. Basil. Lindenbrog. et Cruc. *Anxia prospectas* Dan. Bebott. 1, 2, Petrens. nonnulli, Gronov. Barth. et Delph.

898. *Frigidus in nuda jaceo tellure,* etc. Reg. B habet : *Frigidus et nuda,* etc. Reg. C nostr. lect. Ed.

899. *Tu prope, quæ vultus, efflantiaque ora teneres. Tu prope quæ vulnus* Behot. 1, et pro v. l. *vultus.* — *Quæ vultus, efflantiaque ora teneres.* Ex more, quo apud veteres propinquior et amicissimus quisque expirantem complectebatur, ac deosculabatur, quasi morientis extremum spiritum ore suo excepturus. Seneca Hercule Œtæo, act. IV, vs. 1340 : « Membra complecti ultima, O nate, liceat. Spiritus fugiens meo Legatur ore. Brachia in amplexus cape. »

900. *Hunc tamen, orba parens, crinem dextraque secandum,* etc. Mittit Parthenopæus matri crines, ut illi sepulturæ mandarentur vice sui corporis. Alias moris erat morientibus crines præsecare, ut de Didone apud Virg. Æneid. lib. IV, vs. 698.

901. *P. h. t. capies pro corpore crinem.* Dan. *pro crimine crinem.* — *Præbuit.* Interpositio per Poetæ personam. Barth.

902. *Comere quem frustra me dedignante solebas.* Eutyches Grammaticus lib. II, hunc versum citans legit : *me me dignante.* — *Me dedignante solebat.* Quia quasi vir fortis volebat ornatibus decorari.

903. *H. d. e. atque inter justa memento.* Unus Behot. unus item Lindenbrogii : *inter busta,* improbante Barthio. — Versus ille et subsequentes duo in Reg. B desiderantur. Quos servavit Reg. C. — *Inter justa.* Alii *busta* legunt.

904. *Ne quis inexpertis,* etc. In certamine funebri.

Ure, vel ingratæ munus suspende Dianæ. »
Dilectosque canes ullis agat amplius antris.
Hæc autem primis arma infelicia castris

905. *Dilectosque canes*, etc. Ut emeritos et omnis operis vacatione solutos.

906. *Castris*. Unus Behot. *campis* pro *castris* exhibet.

907. *Ure, vel ingratæ munus suspende Dianæ*. « In optimo libro alia omnino lectio: *nec ingratæ*, quæ amarior, et minime displicet. » Barth. — Reg. B habet, *Ure vel ingratæ crinem suspende Dianæ*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Ingratæ*. Quæ meam tuamque in se pietatem oblita fuit.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM

CARMINIBUS DESCRIPTUM. *

Quatuor afflictis Ducibus fiducia belli
Sidoniis crescit, Graiorum obsidere castra.
Tunc Juno mittit, quæ somnum concitet, Irin.
Thebanis subito solvuntur membra sopore.
Thiodamas stimulat nocturna in prælia Graios,
Fata docens : jugulantque jacentia corpora ferro.
Decipit incautos pietas, Hopleum atque Dymanta,
Œnidæ exanimis læti dum membra reportant.
Pandere Tiresiam compellunt debita Thebis.
Tunc patriæ vitam largitur sponte Menœceus.
Mox Capaneus scalis conscendit mœnia sævus,
Fulmine percussus turrim complectitur ardens.

* Hoc Argumentum exhibent Behott. 1, 2, unus Barth. Lactant. Venett. 3, 4, Rom. Lindenbrog. Cruc. et Barth. — Hoc habet Reg. C, desideratur in Reg. B. Eo.

1. *Quatuor afflictis ducibus fiducia belli*. Reg. C, *fiducia crescit*. En.

2. *Sidoniis crescit*, *Graiorum obsidere castra*. Behot. 1, habet, *obsistere castris*. — Reg. C habet, *Sidoniis belli*, etc.

5. *Thiodamas*. *Thyodamus* Venett. Cruc. et Lindenbrog. *Thiodamus* Barthian. *Tiodamas* Behot. 2, *Thiodamas* codex Barth. et Behot. 1, *Graiis* Behot. 1.

6. *Fata docens : jugulant jacentia corpora ferro*. Error est in syllabam primam verbi *jacentia* : Barthius conj. *torpentia*; sed uterque Behot. clarissimis literis exhibet : *jugulantque jacentia*. — Hanc lect. hab. Reg. C et retinui. Eo.

7. *Dec. inc. pietas, Hopleum atque Dymanta*. Uterque Behot. *Hopyleumque atque dumanta*.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

Nocte prælio diremto, Argivi tristes in castra se recipiunt, amissis quatuor fortissimis ducibus, Amphiarao, Tydeo, Hippomedonte, et Parthenopæo; 1—15. Hoc successu elatus Eteocles, copias per noctem mittit, quæ eos in castris obsideant, observentque, ignibus accensis, ne fuga saluti suæ consulerent; 16—48. Dum Thebani vallum circumdant, Juno mota precibus, quas illi matronæ Argivæ pro maritis assidue fundebant, videns in quo erant periculo, Irin mittit ad Somnum, qui, Deæ jussis obsequens, gravissimo sopore Thebanos obruit; 49—155. Consternatus interim Adrastus concilium vocat, deliberaturus quid in hoc discrimine agendum foret : Augur advenit Thiodamas, qui trepidos erigit, exclamans, arma sine mora capienda, Thebanos arctissimo somno gravatos, apparuisse sibi Amphiaraum, et monuisse, ne hanc elabi occasionem acceptas clades ulciscendi sinerent; 156—218. His dictis in hostes tendit, et omnes eum sequebantur; sed trigiuta tantum eligit una cum Agylleo et Actore : aliis indignantibus, quos Adrastus mitigat, dicens, dolo, non fortitudine, rem agi, et multitudinem consiliis nocituram; 219—244. Thiodamas igitur, Agylleus, et Actor, cum sociis Thebanos undique adorti, omnes ad internecionem cædunt; 245—346. Hos intervenerant Hopleus et Dymas, hic comes Parthenopæi, ille Tydei, qui in

hoc rerum statu se invicem ad quærenda et exportanda dominorum corpora excitant; 347—375. Inventa tollunt in humeros; ac castra repetebant jam Aurora dilucescente, quum ab Amphione, quem rex cum equitum turma miserat exploraturum quid Thebani agerent, deprehenduntur; 376—398. Statim telo interficitur Hopleus, qui supra corpus Tydei cadit; 399—404. Dymas ensem stringit ad se defendendum: verum, abscissa illi dextra, pedibus Amphionis advolvitur, unum ab eo expostulans, Parthenopæo sepulturam concedat; 405—430. Hoc Amphion indulget, ipsique vitam promittit, modo quid Argivi molirentur proderet; 431—434. Ad hæc verba Dymas horruit, adactoque sibi fortiter per medium corpus ense, respondit se nec vitam, nec Parthenopæum sepulturam tanti emere velle, et amplectens principis sui corpus super ipsum pariter occumbit; 435—448. Sic recuperatis corporibus lætus Amphion ea ad regem remittit, pergitque ad castra Argivorum, his insultaturus, monstrando abscissa Hoplei et Dymantis capita; 449—462. Sed ut vidit totum campum sanguine inundari, suosque promiscue cæsos, tanto stupore et horrore corripitur, ut ipsum vox visusque ac vires deficiant, et equus sponte versus Thebas repetit, fugiente similiter equitum turma; 463—473. Tunc Argivi, audita strage a Thiodamante facta, castris erumpentes, per membra atque arma jacentium, Thebas advolant, eorumque plurimi hostibus misti urbem intrant; 474—508. Portis ægre clausis, urbs circumvallatur, et machinationum omni genere oppugnatur; 509—588 Territi cives Tiresiæ opem implorant, qui ignem super aras accendi jubet, et e signis flammæ, sibi a Manto filia relatis, declarat sanguine humano placandum Martis Draconem, ultimumque ex illius genere superstitem immolandum : hac sola conditione urbem servatum iri; 589—615. Creon qui aderat, hoc oraculo, quo Menœceum filium posci videt, tanquam fulmine percutitur, et vatem reticere incassum rogat; 616—627. Tunc temporis Menœceus in media acie ingentia edebat facinora. Dea Virtus cælo delapsa, sumto Mantus vultu, hunc adit, eique narrato oraculo inspirat cu-

pidinem gloriosa morte se pro patria devovendi; 628—685. Hoc consilio in urbem revertitur, et eluso patre, quem obvium habuerat, quique ei fidem oraculo adhibere dissuadebat, editissimam turrem conscendit, fusisque ad Deos precibus, redderent sua morte Thebanis templa, agros, domos, uxores, et liberos, medio pectore sibi gladio transfosso, in mediam Argivorum aciem se præcipitem egit; 686—782. Corpus ejus nullo labore recuperatur, cedentibus ultro ac cum veneratione Argivis. In urbem portatur cum summis honoribus, et supra Cadmum et Amphionem laudibus extollitur; 783—826. Interim Capaneus, ingenti Thebanorum multitudine occisa, moræ impatiens, scalis admotis in muros evadere nititur, et licet undique telis lapidibusque ac sagittis impeteretur, turrim exsuperat, et hinc lapides ex ipsa turre avulsos in templa et domos ruit, et urbem suis mœnibus frangit; 827—896. Verum non contentus hominibus insultare, Superis ipsis bellum indicit, ipsumque Jovem in certamen provocat; 897—906. Omnibus Diis frementibus, Jupiter totis viribus in impium fulmen jaculatur. Manet ille imperterritus. Tandem corpore ejus vi fulminis cedente efflat animam, vultu in cælum ferociter converso, et adhuc minas Diis intentans; 907—939.

OBRUIT Hesperia Phœbum nox humida porta,
Imperiis properata Jovis : nec castra Pelasgum
Aut Tyrias miseratus opes, sed triste, tot extra

1. *Obruit Hesperia Phœbum nox humida porta.* Præcipuas poetæ duas cæli portas faciunt Orientalem et Occidentalem. Hinc Virgil. Æneid. X, 5, *bipatentia tecta cæli* dicit, et hic Occidentalis portæ meminit Noster. Confer Virgilianum locum nost. edit. tom. IV, pag. 95, et Poet. Lat. Min. nost. edit. t. II, p. 349, ubi vide notata ad versum 2 Carminis de Phœnice. Ed.

2. *Imperiis properata Jovis : nec castra Pelasgum.* Unus Behot. *ne castra.* — *Properata.* Festinata.

3. *Aut Tyrias miseratus opes,* etc. *At Tyrias* Dan. « Concinnius nonnemini forte obveniet *miseratur opes*, quod in solo optimo exem-

Agmina et immeritas ferro decrescere gentes.
Panditur immenso deformis sanguine campus.
Illic arma, et equos, ibant quibus ante superbi,
Funeraque orba rogis, neglectaque membra relinquunt.
Tunc inhonora cohors laceris insignibus ægras
Secernunt acies, portæque, ineuntibus arma
Angustæ populis, late cepere reversos.
Par utrimque dolor : sed dant solatia Thebis
Quatuor errantes Danaum sine præside turmæ;
Ceu mare per tumidum viduæ moderantibus alni,

plari inventum rem præsentem clarius inducit. » Barth. — *Sed triste, tot extra.* Acerbum erat Jovi tot gentes perire quæ venerant auxilio Argivorum ac Thebanorum : non enim miseratur Argivos aut Thebanos; utramque enim gentem meritis pœnis afficere decreverat, ut vidimus Theb. I, vs. 245.

4. *Agmina et immeritas ferro decrescere gentes. Agmina jam meritas ferro decrescere gentes* Reg. B exhibet, Reg. C nostram lectionem. Ed.

5. *Panditur,* etc. Hunc versum et duo sequentes transpositos esse vult Guyetus, et loco eorum tres sequentes ponendos. Quinetiam utrique ipsi suspecti sunt, et insititii videntur. Quare τὸ *gentes* versus 4, jungit cum *par utrimque dolor* versus 11. — *Panditur.* Discedentibus copiis, quibus antea tegebatur.

7. *Funeraque orba rogis, neglectaque membra relinquunt.* Reg. B habet, *F. o. r. necletaque membra relinquunt.* — *Orba rogis.* Sepultura carentia. Lactant.

8. *Inhonora cohors.* Turpis visu. Claudian. XV, vs. 99 : « Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis Supplicium. » Bello Gildon. Exprimitur Virgilius de Deiphobo Æn. VI, 497 : « truncas inhonesto vulnere nares. »

9. *Secernunt acies, portæque, ineuntibus arma.* « Non opus quidquam hic mutari; nam sunt libri veteres *arva* præferentes. Inscite. In optimo codice hæc glossa est : « *Arma*, i. e. bellum, prælium. » Barth. — *Ineuntibus arma* : proeuntibus in arma, id est, ad bellum.

10. *Angustæ.* Ob nimiam multitudinem. — *Late cepere reversos.* Paucis scilicet redeuntibus.

11. *Par utrimque dolor : sed dant solatia Thebis. Par utrique dolor* in quibusdam codd. sed hoc nihil aliud quam *utrīque*, vel *utrimque*, quod ex optimis et antiquissimis membranis affert Barthius. — *Par utrimque dolor.* Quia magni duces ex utraque parte ceciderant.

12. *Quatuor errantes*, etc. Quatuor duces Argivorum jam ceciderant, nimirum Amphiaraus, Tydeus, Hippomedon, et Parthenopæus.

13. *Viduæ moderantibus alni.* Gubernatoribus destitutæ. *Mode-*

Quas Deus, et casus, tempestatesque gubernant.
Inde animus Tyriis, non jam sua castra, sed ultro
Hostilem servare fugam, ne forte Mycenas
Contenti rediisse petant: dat tessera signum
Excubiis, positæque vices: dux noctis opertæ
Sorte Meges, ultroque Lycus: jamque ordine jusso
Arma, dapes, ignemque ferunt: rex firmat euntes:
« Victores Danaum, nec enim lux crastina longe,
Nec quæ pro timidis intercessere tenebræ
Semper erunt, augete animos, et digna secundis
Pectora ferte Deis: jacet omnis gloria Lernæ,
Præcipuæque manus: subiit ultricia Tydeus

rantibus pro moderatoribus, participium pro nomine. LACTANT.

14. *Quas Deus.* Superioribus lib. diximus quamcunque navem fuisse sub tutela Dei alicujus, et præcipue Dioscurorum. *Deus* hic Peyraredo, Fortuna.

15. *Animus.* Audacia: hinc enim fiducia Thebanis accreverat, quod quatuor Argivorum duces eximii exstincti fuerant sorte bellorum.

16. *H. s. f. ne forte Mycenas.* Behot. 1, *ni forte;* Dan. duo Barthiani, Lindenbrog. et Crue. *nec forte;* Behot. 2, Lang. et edd. vett. *ne forte.*

17. *Contenti rediisse.* Quibus sine gloria incolumibus in patriam rediisse suffecerat. LACTANT. — *Dat tessera signum.* Drakenbr. ad Sil. Italic. VII, 347, monet, *tesseras*, *συνθήματα*, duplicis generis fuisse: unum, quo milites se internoscerent, ne hostis vigiles et stationes circumveniret; hoc genus paucis verbis, sæpe uno constabat: alterum τὰ παραγγέλματα καὶ διατάγματα quibus dux militibus seu ordinum ductoribus significabat, quid faciendum esset. Eo. — Vide excursum ad calc. huj. lib.

18. *Positæque vices.* Excubantium successiones.

19. *Sorte Meges, ultroque Lycus,* etc. *Sorte Megens* Put. et Behot. 1, *ultro Licus* in eodem Behot. — Reg. B habet, *Sorte Megens ultroque Licus;* Reg. C nostram lect. Eo. — *Sorte.* Sors in bello, ut jam vidimus. — *Ultro.* Voluntate, non sorte cogente. BERNART.

20. *Arma, dapes, ignemque ferunt: rex firmat euntes. Arma, faces,* etc. conjectabat Lindenbrog. improbante Barthio; *armat euntes* Put. — *Dapes.* An *faces?* facibus enim in acie usi etiam veteres, et mox vs. 42, *ignibus infestis.*

21. *Nec enim lux crastina.* Reg. B habet, *V. D. neque enim lexerastina.*

23. *Secundis.* Faventibus. BERN.

24. *Lernæ.* Argivorum, a Lerna Arcadiæ palude.

25. *P. m. subiit ultricia Tydeus.* Unus Behot. *subit en ultricia.* — *Subiit ultricia Tydeus*, etc. Hic ver-

Tartara : mors subitam nigri stupet auguris umbram :
Ismenos raptis tumet Hippomedontis opimis :
Arcada belligeris pudet annumerare tropæis.
In manibus merces : nusquam capita ardua belli
Monstratæque ducum septena per agmina cristæ.
Scilicet Adrasti senium, fraterque juventa
Pejor, et insanis Capaneus metuendus in armis?
Ite age, et obsessis vigiles circumdate flammas.
Nulli ex hoste metus : prædam asservatis opesque
Jam vestras. » Sic ille truces hortatibus implet
Labdacidas : juvat exhaustos iterare labores.

sus et quatuor sequentes faciles ex præcedentibus. — *Subiit ultricia.* Ut apud Virgilium lib. VIII, v. 362 : « Hæc, inquit, limina victor Alcides subiit : hæc illum regia cepit. » Hor. I, Sat. 9, v. 21 : « Quum gravius dorso subiit onus. » Aliique poetæ.

26. *Tartara : mors subitam nigri stupet auguris umbram.* Jortinus conjectabat : *vivi stupet auguris umbram*, improbante Barthio.

27. *Ismenos raptis tumet*, etc. *Ismenos rapti* optimæ Barthii membranæ, Lips. et Venett. probante Burmanno ; *Ismenos spoliis* unus Behot. pro v. l. *Ismenos raptis* cæteri codd. et edd. omnes. — *Tumet.* Superbit. Bern. — *Opimis.* Spoliis armorum et insignium.

28. *Arcada belligeris pudet. Arcada belliferis* Dan.

29. *In manibus merces.* Præsto sunt, et in potestate opes omnium. Barth. — Locutio hortantibus apta. Sic Virgil. Georg. II, v. 45, « In manibus terræ. »

30. *Septena per agmina.* Septem enim erant duces Argivorum.

31. *Juventa Pejor.* Juventus enim inconsulta.

33. *Ite age, et obsessis vigiles circumdate flammas. Eia age* Lipsian. « Neqnaquam assentiendum nonnullis scriptis editisque libris, qui mutant hæc ; *age* enim vocula tam ad plures quam ad unum spectat. » Barth. Voculam *age* mutatam non inveni. Behot. 1, *vigilem circumdite flammam ;* et ita optimæ Barthii membranæ ; qnod ille probat. Behot. 2, *vigiles circumdate flammis ;* et pro v. l. *flammas.* — Reg. B, *I. a. e. o. vigilem circumdate flammam* præbet. Ed.

34. *N. e. h. m. prædam asservatis opesque.* Uuus Behot. *prædam observatis.* — *Opesque Jam vestras.* Hostium opes scilicet, prædam et opes obsidetis, non hostes.

35. *Hortatious implet.* Silius lib. VIII, 29 : « hortatibus implet. » Valerius Flaccus lib. IV, 81, « Atque alacrem lætis hortatibus implet. »

36. *Labdacidas : juvat exhaustos iterare labores.* Marklandus ad Silv. II, 3, 33, ita legit et distinguit hunc locum : *juvat exhaustos iterare la-*

Sicut erat pulvis, sudorque, cruorque per artus
Mixtus adhuc, vertere gradum : vix obvia passi
Colloquia, amplexus etiam, dextrasque suorum
Excussere humeris : tunc frontem, aversaque terga
Partiti, laterumque sinus, vallum undique cingunt
Ignibus infestis : rabidi sic agmine mixto.
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris.
Nil non ausa fames longo tenuavit hiatu.
Jam stabula ipsa premunt : torquet spes irrita fauces,
Balatusque tremens, pinguesque ab ovilibus auræ.
Quod superest, duris affrangunt postibus ungues,

bores Sicut erant : pulvis sudorque cruorque per artus Mixtus adhuc : vertere gradum vix, etc.

37. *Sicut erat pulvis*, etc. « Versum hunc perperam aliorsum locat qoidam librorum. » Barth.

38. *Mixtus adhuc*, *vertere gradum*, etc. Reg. B habet, *Mixtus ad hunc vertere gradum;* Reg. C nostr. lect. — *Vertere gradum*. Ad Argivos sopple.

40. *Excussere humeris : tunc frontem*, *aversaque terga*. « In omoibus nostris codd. legitor *adversaque*. Io uno alteroque non *terga* sed *castra* scriptum est : ut et in Behottii libris. Nihil tamen a vulgata scriptnra mutare consultum putamus : *adversaque* legit etiam Lactaotius. » Barth. Solus Behot. 1, *castra ;* nam alter Behot. habet, ut in aliis codd. *terga*. — *Frontem*. Frontem vocamus *la bataille*. — *Aversaque terga*. *L'arrière-garde*.

41. *Laterumque sinus*. Cornua aciei intelliguntur.

42. *Ignibus infestis : rabidi sic agmine mixto*. *Ignibus infestis* Petreus. Behot. 2, omoes Barthiaui, Plaot. Liodenbrog. Cruc. et plerique *Ignibus infesti* Lang. Lipsiau. Venett. 3, 4, Gevart. Amstel. Gronov. et Veen. hoc tamen non receperunt Editores Bipontini, *rapidi sic agmine* Behot. 1, *et rapidi sic agmine* Behot. 2. — Reg. B præbet, *Sic agmine multo;* Reg. C, *sic ordine mixto*. Eo.

43. *Sub noctem coiere lupi*. Vid. Virg. Æoeid. II, 355.

45. *J. s. i. p. torquet spes irrita fauces*. « Optimi libri habent *torret* pro *torquet :* taotundem est. Nihil mutamns. » Barth. — *Fauces*. Loporum. Bernart.

46. *B. t. pinguesque ab ovilibus auræ*. In quibusdam codd. et edd. vett. *ab ovilibus agnæ*, improbaote Barthio. — *Pingues auræ*. Auræ pinguium ovium.

47. *Q. s. duris affrangunt postibus ungues*. Dan. Petav. Laur. omnes Barthiani, Aldd. et plerique *adfringunt;* Behott. 1, 2, Petrens. et Exc. Cantab. *adfrangunt;* qood receperunt Gronov. Veen. et Delph. — *Quod superest*. Siquidem nil aliud potest facere. Bernart.

Pectoraque, et siccos minuunt in limine dentes.
At procul Argolici supplex in margine templi
Cœtus, et ad patrias fusæ Pelopeides aras
Sceptriferæ Junonis opem, reditumque suorum
Exposcunt, pictasque fores, et frigida vultu
Saxa terunt, parvosque docent procumbere natos.
Condiderant jam vota diem : nox addita curas
Jungit, et aggestis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito

48. *P. e. s. minuunt in limine dentes.* Lang. Lamr. Buslid. Lipsian. Petav. *in margine dentes;* optimæ Barthii membranæ: *in parjete dentes.* — *In limine.* Alia lectio, *margine:*

49. *At procul Argolici supplex in margine templi. Ast procul* unus Behot. *limine templi* omnes fere codd. et edd. ante Gronov. *margine templi* Behott. 1, 2. — *Supplex in limine templi.* Scripti propemodum omnes: *in margine templi*: quod spernendum non fuit; nam vulgatum ejus interpretatio est. Ad Marcellum Silv. IV, 4, 54: « Maroneique sedens in margine templi Sumo animum. » Gron. — De hoc loco confer notata ad Sil. Italic. Punic. VII, 74 et sqq. nost. edit. tom. I, pag. 412. Ed.

50. *Cœtus, et ad patrias fusæ Pelopeides aras.* Reg. B habet, *Cœtus et ad patrias fusus Pelopeides aras;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Pelopeides.* Peloponnesiacæ, seu Argivæ, sic dictæ a Pelope, qui nomen dedit toti Peloponneso, in qua Argi siti.

51. *Sceptriferæ.* Regiæ, quod est proprium Junonis epithetum.

52. *Et frigida vultu Saxa terunt.* Vide Theb. IX, 638. — *Frigida saxa.* Pavimentum.

53. *Saxa terunt.* Ita suppliciter humi procubuerunt, ut vultibus suis templorum tererent limina. — *Parvosque docent procumbere natos.* Ut facilius exorent Deam innocentia parvulorum.

55. *Jungit, et aggestis vigilant altaria flammis.* Reg. B habet, *Jungit et ingestis*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Vigilant altaria flammis.* Liber optimus, aliique nostri constanter vel *flammis* vel *fumis* habent. Hoc Papinianum esse puto. Ut odores pretiosos esse notet. Et talibus fumis delectari Dii crediti: docent post alios multos Arnobius et Lucianus. Barth.

56. *Peplum etiam dono.* Ita mos vetus, ut in supplicationibus matronæ pepla Deabus offerrent. Virg. Æneid. I, 480, « Interea ad templum non æquæ Palladis ibant Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant Suppliciter tristes, et tonsæ pectora palmis. » Videsis notata nost. ed. Tom. II, p. 130 et 131. Ed.

57. *Nulla manus sterilis*, etc. *Nulla manu sterilis* Put.

Versarat, calathis castæ velamina Divæ
Haud spernenda ferunt, variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro.
Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis,
Expers connubii, et timide positura sororem,
Lumine demisso pueri Jovis oscula libat
Simplex, et nondum furtis offensa mariti.
Hoc tunc Argolicæ sanctum velamine matres
Induerant ebur, et lacrimis questuque rogabant:
« Adspice sacrilegas Cadmeæ pellicis arces,
Siderei regina poli, tumulumque rebellem

58. *Versarat, calathis castæ velamina Divæ*. Reg. B, *Vertebat calathis*, ete. Reg. C oostr. leet. Eo.

59. *Haud spernenda ferunt, variis ubi plurima floret*. Reg. B habet, *Haud sternenda ferunt, variis ubi plurima foret*; et supra alia maou, *fervet*; Reg. C nostram leet. Ed. — *Ubi*. In ipso peplo.

60. *Incenditur*. Splendet. Lact. — *Mixtoque incenditur auro*. Sil. Italie. Punio. IV, 324 : « Advolat aurato præfulgens muriee ductor. » Ad quem locum eoofer uotata, nost. edit. tom. I, p. 249. Ed.

61. *Ipsa illic magni thalamo*, etc. « Male *illinc* pro *illic*, quod et omnium bonorum librorum est, a Bernartio aliisque editum. » Barth. — *Ipsa*. Juno. — *Desponsa*. Juno adhue sponsa et juveneula, antequam Jovi uuberet, ea forma intexta erat isti peplo.

62. *E. e. et timide positura sororem*. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *positura pudorem*; Dan. Put. Lang. Buslid. cæteri, eum edd. Lindenbr. Crue. et recentt. *positura sororem*. — Mens : Timide Juuonem vincula naturæ rupisse, et a sorore ad uxorem transiisse : quod peculiariter ipsi eouvenit : τὸ *pudorem* traoslatitium est, et omnibus commuoe. Quis tam inamœnus ut elegantissimom hane emendationem noo exoseuletur? Bernart.

63. *Lumine demisso*. *Lumine dimisso* unus Behot. — *Lumine demisso*. Nam virginitas eum pudore deponitur femioarum. Lactant.

64. *S. e. n. furtis offensa mariti*. « Aliqoanto melius dieas quod est in optimo libro *offensa marito*: et sane sie scriptum Papinio. »

66. *Induerant ebur, et lacrimis questuque rogabant*. *Induerunt ebur* optimi aliique eodd. Barthii, quod ille probat, *questuque tegebant* unus Behot. — Reg. B habet, *Imbuerant*; et alia manu eorrectum, *Induerant*. Reg. C nostram lect. Eo. — *Ebur*. Eburneum simulaerum.

67. *Cadmeæ pellieis arces*. Reg. B habet, *eadmeæ pœlicis arces*. — *Cadmeæ pellicis*. Semeles.

68. *Tumulumque rebellem*. An tumulum Semeles, an arces The-

Disjice, et in Thebas aliud, potes, excute fulmen. »
Quid faciat? scit fata suis contraria Graiis,
Aversumque Jovem : sed nec periisse precatus
Tantaque dona velit : tempus tamen obvia magni
Fors dedit auxilii : videt alto ex æthere clausa
Mœnia, et insomni vallum statione teneri.
Horruit irarum stimulis, motaque verendum
Turbavit diadema coma : non sævius arsit,
Herculeæ quum matris onus, geminosque Tonantis
Concubitus vacuis indignaretur in astris.
Ergo intempesta somni dulcedine captos
Destinat Aonios leto præbere : suamque
Orbibus accingi solitis jubet Irin, et omne
Mandat opus : paret jussis Dea clara, polumque
Linquit, et in terras longo suspenditur arcu.

barum ut Guyetus interpretatur, an collem in quo sitæ Thebæ, ut Peyraredus.

69. *Disjice, et in Thebas aliud, potes, excute fulmen. Disice* unus Behot. sed aliena manu *i* insertum est, ut legeretur : *Disjice*. — Regg. B et C, *Dissice* exhibent. Eo. — *Aliud fulmen*. Ab eo sc. quo percussa Semele. Theb. I, v. 258, « illam odimus urbem Quam vultu confessus adis; ubi conscia magni Signa tori, tonitrus agis, et mea fulmina torques. » Fulmen etiam Junoni tributum.

71. *Aversumque Jovem. Adversumque* idem Behot. codex et nonnulli Barthiani, etiam optimus.

72. *Tantaque dona*. Peplum.

73. *Fors dedit auxilii. Fors tulit auxilii* unus Behot. — *Fors dedit*. Casus occurrens. LACTANT.

74. *Mœnia*. Argivorum castra. — *Vallum*. Thebanorum. LACTANT.

77. *Herculeæ quum matris onus, geminosque Tonantis Concubitus*. Id est, quum vidit Herculem et Bacchum Thebanos inter sidera relatos, locaque in cælo vacua occupasse.

78. *Concubitus vacuis indignaretur in astris. Succubitus* Put. *indignabatur in astris* unus Behot. — Reg. B habet, *Secubitus vacuis indignaretur in astris*. Eo.

79. *Ergo intempesta somni*, etc. Hanc sequentem somni descriptionem usurpasse Ovidii videtur Noster. Adi notata ad vers. 583, lib. XI Met. nost. edit. t. IV, p. 283. Eo.

80. *Aonios*. Thebanos.

81. *Orbibus accingi*. Virgil. Æn. V, vs. 89 : « Mille jacit varios adverso sole colores. » — *Irin*. Iris Junonis famula, Thaumantis filia.

82. *Dea clara*. Iris seu arcus cælestis.

83. *In terras longo suspenditur arcu*. Alludit ad arcum cælestem,

Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis,
Æthiopasque alios, nulli penetrabilis astro,
Lucus iners, subterque cavis grave rupibus antrum
It vacuum in montem, qua desidis atria Somni,
Securumque larem segnis Natura locavit.

cujus Iris symbolum apud veteres.

84. *Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis. Stat juxta occiduæ* optimæ Barthii membranæ. Behot. 1, pro *cubilia* exhibet *cunabula;* qua dictione expuncta, inscriptum *cacumina* eodem stylo. — *Occiduæ.* In occidentalibus partibus constitutæ. Lact. — *Stat*, etc. Hic Noster incipit describere ædes Somni, ad imitationem Ovidii Met. XI, v. 592 qui tamen ædes Somni prope Cimmerios populos ob longissimas ibi noctes collocat. Homerus in Lemno insula collocaverat, et Ariostus ultimo in Arcadia posuit. Vide Ovidium ibidem, Homerum lib. Iliad. I. Vide et Lucianum in lib. II Verarum Historiarum, ubi fabulosam Somni civitatem, in qua Somnia habitare dicebantur, pereleganter suo more describit.

85. *Æ. a. nulli penetrabilis astro.* Behot. 1, *nulli penetrabilis austro.* — *Æthiopasque alios.* Sunt enim duplices Homero Æthiopes, Orientales et Hesperii: primi positi sunt ad Mare Rubrum, Oceanumque Indicum, et proprie vocantur *Æthiopes:* alii accolunt Oceanum Atlanticum seu Hesperium, et hi vocantur proprie *Nigritæ.* Homerus Odyssea A, Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν, Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος. « Æthiopes bifariam dividuntur, ultimi hominum, hi quidem solis occidentis, illi vero orientis.

86. *L. i. s. c. grave rupibus antrum.* In quibusdam *nubibus* pro *rupibus;* sed vide Heinsium ad Ov. Metam. XI, 591. — *Iners.* Quietus. — *Grave.* Pigrum sive obscurum. Lactant. — *Lucus iners.* Quietus vel inutilis, inaccessus quo nemo facile venit. Iisdem verbis utitur Sil. Italic. Punic. VI, v. 146: « Lucus iners juxta stygium pallentibus umbris Servabat sine sole nemus. » Sic. Ovid. Metam. III, 28: « Silva vetus stabat nulla violata securi, etc. » ad quem videsis notata nostra edit. tom. III, p. 224. Ed.

87. *I. v. i. m. qua desidis atria Somni.* Heinsius ibid. legit: *quæ desidis atria.* — *It.* Vadit. Lact. — *Desidis.* Ab effectu, quia nimius somnus desidiam et languorem parit.

88. *Securumque larem segnis Natura locavit.* Scaliger castigat: *segnem Natura locavit*, improbante Gronovio in Diatr. p. 82. — *Segnis Natura. Segnis*, quæ segnem facit. Hoc perperam corrigit Jul. Scaliger. Immo solers et vegeta, *segnem*, non ipsa *segnis*, inquit. Quasi ulla figura illa hypallage Poetis sit frequentior. *Segnis Natura* ibi fuisse dicitur, ubi supinam quietem, et segnitiem meram locavit. Sic Kalendis Decembribus *brevis Natura*, quæ breves facit: alibi *injustam Naturam* dicit, quæ injustum funus efferre jubet. Nec aliter Avitus apud Senecam Suasor. I, mare dicit « deficientis in suo fine Naturæ pigram

Limen opaca Quies, et pigra Oblivia servant,
Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu.
Otia vestibulo, pressisque Silentia pennis
Muta sedent, abiguntque truces a culmine ventos,
Et ramos errare vetant, et murmura demunt
Alitibus : non hic pelagi, licet omnia clament
Litora, non illic cæli fragor : ipse profundis
Vallibus effugiens speluncæ proximus amnis
Saxa inter scopulosque tacet : nigrantia circa
Armenta, omne solo recubat pecus, et nova marcent
Germina, terrarumque inclinat spiritus herbas.

molem. » Ibidemque Fabianus : « rudis et imperfecta Natura penitus recessit. » Gron. *Diatr.* cap. 15.

89. *Limen opaca Quies*, etc. Ut supra lib. VII, vs. 47 et sq. in descriptione domus Martis posuit in ejus limine Impetum Iramque, intra vero Mortem, Virtutem, etc. quæ vel præcedunt vel comitantur bellum. Sic in palatio Somni ponit omnia quæ aut illum conciliant, aut in quæ ille desinit, ut Quietem, Oblivia, et Ignaviam, omnia cum epithetis convenientibus.

91. *O. v. pressisque Silentia pennis.* Taurin. *positique Silentia pennis;* sed pro v. l. *positis.* Jortinus conjectabat : *pressisque Silentia labris*, improbante Burmanno. — *Silentia pennis.* Alata quidem, sed pennas non elevantia, Silentia ideo *pennata* fecit, quia per silentium cogitationes celerrime volant hinc inde. Alludit simul stridorem aut sonitum volantium pennarum silentio contrarium. Barth.

92. *Muta sedent*, etc. « Suspecta est lectio hujus versus. » Barth. *Muta tenent* Petav.

94 *A. n. h. pelagi, licet omnia clament.* « Vera scriptura est : *licet horrida;* etiamsi inhorreat mare, non tamen auditur sonus undæ litora pulsantis. Ita omnes scripti nostri libri, et voluit ante Gul. Canterus. Etiam sic liber Lindenbrogii et editio Gevartii. » Barth. Ita quoque Buslid. vetus Bernartii, et Dan. Heins. ad Claudian. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. 211.

95. *Litora, non illic cæli fragor : ipse profundis.* Put. *non ullus cæli fragor.* — Reg. B habet, *Litora non ullus cæli fragor;* Reg. C, *Litora non cæli fragor illic.* Ed.

96. *Vallibus effugiens.* Licet profundis vallibus cum celeritate effugiat per scopulos et saxa, amnis, non tamen audet vel murmur emittere. Pulchre contra Ovidius, Met. XI, 603 et sqq. Ed.

97. *S. i. sc. tacet : nigrantia circa.* Behot. 1, Put. Petav. et nonnulli Barthiani : *scopulosque jacet.* Put. Pet. alter Behot. Laur. Lips. Colin. Basil. et Plant. *nigrantia circum.* — Reg. B habet : *Saxa inter scopulosque jacet;* Reg. C, *Saxa inter scopulosque tenet.* Ed.

99. *Germina, terrarumque incli-*

Mille intus simulacra Dei cælaverat ardens
Mulciber : hic hæret lateri redimita Voluptas,
Hic cōmes in requiem vergens Labor : est ubi Baccho,
Est ubi Martigenæ socium pulvinar Amori
Obtinet : interius tectum in penetralibus altis
Et cum Morte jacet : nullique ea tristis imago.
Ipse autem, vacuus curis, humentia subter
Antra soporifero stipatus flore, tapetas
Incubat : exhalant vestes, et corpore pigro
Strata calent, supraque torum niger efflat anhelo

nat spiritus herbas. Gramina Behott. 1, 2, Buslid. Basil. et Plant. *Germina* prius scriptum fuerat in Behot. 1, et hoc exhibent Dan. Petav. et edd. recentt. — *Germina.* Alia lectio *Gramina.* Cæterum post hunc versum sequuntur in editione Gronovii, sed diverso charactere, sex versus e MS. prolati a Lindenbrogio, post et Antonio Schotto. Idem Gronovius affirmat se invenisse in sex codicibus, et certe sunt excellentis Poetæ.

100—105. *Mille intus simulacra Dei cælaverat ardens......... Et cum Morte jacet : nullique ea tristis imago.* Hi sex versus desunt in Petav. Dan. Cantab. Petrens. Taurin. Behott. 1, 2, et in plerisque. Exstant tamen in Put. membranis Barth. et iis, quas contulit Andreas Schottus Obss. lib. II, cap. 29. « In meo codice tantum comparent primi quatuor versus : *Mille intus; Mulciber hic ; Hinc omnes ; Est ibi ;* cum lemmate : Hi versus non sunt de Statio ; licet scribantur in quibusdam codicibus. » Burm. — Desunt in Reg. C, adsunt in Reg. B. Ed.

106. *Ipse autem, vacuus curis, humentia subter. Cernitur hæc species autem umentia* Put. — Hanc lectionem habet Reg. B, Reg. C nostram. Vide Excursum ad calc. huj. lib. Ed.

107. *Antra soporifero stipatus flore, tapetas.* Edd. vett. *tapetis ;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1, 2, et edd. recentt. *tapetas ;* optimæ Barthii membranæ : *stipatos flore tapetas. — Stipatus flore tapetis.* Vix ausim spernere, quod est in nonnullis : *stipatos flore tapetas Incubat.* Nam et sic lib. I, « altosque inferre tapetas, » et lib. II, « Assyriis exstructa tapetibus. » *Incumbere* autem sic habes lib. VI, 576 : « Palladios non inscius haustus Incubuit. « Gronov. — Vide notata de hac lectione ad Avienum. Descript. orbis terræ, vs. 529 ; Poet. Latin. Min. tom. V, pag. 206. Ed.

108. *Incubat : exhalant vestes, et corpore pigro.* « Male Schotti liber : *corpore nigro.* » Barth. Petav. *pectore pigro.*

109. *S. c. s. t. niger efflat anhelo.* Optimus Barth. *exstat anhelo ;* alter ejusdem : *afflat anhelo ;* et ita Behot. 1, Vide Heinsium ad Ovid. Met. XI, pag. 303. — *Efflat.* Lege *afflat.*

Ore vapor : manus hæc fusos a tempore lævo
Sustentat crines ; hæc cornu oblita remisit.
Adsunt innumero circum vaga Somnia vultu,
Vera simul falsis, permixtaque tristia blandis.
Noctis opaca cohors, trabibusque, aut postibus hærent,
Aut tellure jacent : tenuis, qui circuit aulam,
Invalidusque nitor, primosque hortantia somnos
Languida succiduis exspirant lumina flammis.
Huc se cæruleo libravit ab æthere virgo
Discolor : effulgent silvæ, tenebrosaque Tempe
Arrisere Deæ, et zonis lucentibus icta

110. *O. v. m. h. f. a tempore lævo.* Behot. 1, e *tempore.*

111. *Sustentat crines; hæc cornu oblita remisit.* Reg. B habet, *Sustentat erinis hæc cornu oblita remisit;* Reg. C nostram lect. En. — *Hæc cornu oblita remisit.* Cornu tenens pingitur somnus.

112. *Adsunt innumero circum vaga somnia vultu.* Hic et quinque sequentes versus desunt in Behott. 1, 2, Taurin. Dan. optimis Barth. membranis, et Venett. 3, 4, habentur tamen in Pnt. Petreus. Basil. Gevart. Grass. et recenit. *Sunt etiam innumero* edd. vett. *Adsunt innumero* Pnt. — Desunt quoque hi sex versus in Reg. C, adsunt in Reg. B. En. — *Adsunt innumero*, etc. Hic versus et sequentes quinque spurii quibusdam habentur, et in Petavii et Danielis exemplaribus non exstabant.

113. *Vera simul falsis, permixtaque tristia blandis.* Pul. *permixtaque fluminum flammis.* — Reg. B habet, *V. s. f. permixtaque flumina flammis.* En.

115. *A. t. j. tenuis, qui circuit aulam.* Reg. B habet, *tenuis qua circuit aulam.* En. — *Tenuis, qui circuit aulam, Invalidusque nitor.* Ovidius loco supra laudato Met. XI, 595, « Nebulæ caligine mistæ Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis. »

116. *Invalidusque nitor, primosque hortantia somnos. Non humilisque nitor* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. Barthius ex conjectura legit : *tenuis qua circuit aulam Nox, humilisque nitor.* Markl. ad Silv. I, 3, 43, conj. *tenerosque hortantia somnos.* — Vide pag. 107, tom. I Stat. et pag. 670.

118. *Virgo Discolor.* Iris seu arcus cælestis, quia variis coloribus pingitur.

119. *Discolor.* Per arcum suum venire et redire credebatur in cælum. Ovid. Metam. XI, v. 631 : « Labique ut somnum sensit in artus Effugit, et remeat, per quos modo venerat, arcus » Barth. — *Tempe.* Quid ibi *Tempe?* Legendum forsan *tecta*, vel *templa.* — Vide pag. 664, tom. I Stat.

120. *Et zonis lucentibus.* Cincta

Evigilat domus : ipse autem nec lampade clara,
Nec sonitu, nec voce Deæ perculsus, eodem
More jacet : donec radios Thaumantias omnes
Impulit, inque oculos penitus descendit inertes.
Tunc sic orsa loqui nimborum fulva creatrix :
« Sidonios te Juno duces, mitissime Divum
Somne, jubet populumque trucis defigere Cadmi,
Qui nunc eventu belli tumefactus, Achæum
Pervigil asservat vallum, et tua jussa recusat.
Da precibus tantis, rara est hoc posse facultas,
Placatumque Jovem dextra Junone mérere »

enim zona splendida repræsentatnr.

121. *Damus.* Samni. — *Nec lampade clara.* Facem enim ferens repræsentatur Iris.

122. *N. s. n. v. Deæ perculsus, eodem.* Libri Barthiani variant : *perculsus* et *percussus* : tantumdem est.

123. *Thaumantias.* Iris Thaumantis filia.

125. *Tunc sic arsa loqui nimborum fulva creatrix. Tunc sic orsa laqui : nimborum fulva creatrix Sidanios* edd. vett. — *Loqui nimborum (laqui : Nimborum) fulva creatrix.* Physici apud veteres interpretantur *Junanem* aerem, ideaque bene dicitnr Juna *nimborum creatrix*, quia in aere creantur.

126. *Sidonias.* Thebanos. — *Mitissime divum Somne.* Ovidins Met. XI, v. 623 : « Placidissime Samne Deorum. » — Incerti Epitame Iliad. Hnmeri, v. 113 : « lenissime Divum » ad quem lncum vide natat. Poet. Lat. Min. t. III, p. 326. En.

127. *Somne, jubet populumque trucis defigere Cadmi.* Edd. vett. *trucem defigere Cadmi*; Lang. Laur. Busl. Pet. Behott. 1, 2, etc. *trucis.* — *Populum Cadmi.* I. e. Thebanns.

128. *Q. n. e. b. tumefactus, Achæum. Achivum* Lang. Buslid. Dan. Petav. Behatt. 1, 2, et edd. vett. Mutavit Gronav. — *Achæum.* Græcnrum ; seu Argivarum.

129. *Pervigil asservat vallum, et tua jussa recusat.* Lang. Laur. Lips. Petav. et edd. vett. *tua jura;* Dan. Petrens. Behatt. 1, 2, Grnn. Barth. et Veen. *tua jussa.* — *Et tua jussa (jura) recusat.* Id est, vigilare vult. Alii legunt *jussa.*

130. *D. p. t. rara est hoc posse facultas.* Unus Behnt. *rara hoc est.* — *Da precibus tantis.* Jnnonis scilicet.

131. *P. J. dextra Junone merere.* Lang. Lipsian. Put. et edd. vett. *mereri;* Gronav. Barth. et Veen. *merere.* Ante hnnc versnm alius inseritur in Petav. et Dan. *Junonemque tibi placatam conjuge dextro.* — Reg. B exhibet, *mereri;* Reg. C, *mereris.* Ea. — *Dextra Junone merere (mereri).* Adscriptum habet liber nptimus : vel *merere.* Quad videtur cammodius, si quidem nmnia sunt integra ; nam membranæ qnas haben donum Georgii Rich-

Dixit, et increpitans languentia pectora dextra,
Ne pereant voces, iterumque, iterumque monebat.
Ille Deæ jussis dubium mixtumque sopori
Annuit: excedit gravior nigrantibus antris
Iris, et obtusum multo jubar excitat imbri.
Ipse quoque et volucrem gressum, et ventosa citavit
Tempora, et obscuri sinuatam frigore cæli
Implevit chlamydem, tacitoque per æthera cursu
Fertur, et Aoniis longe gravis imminet arvis.
Illius aura solo volucres, pecudesque, ferasque

teri, virtute et honoribus in Norico præfulgentis, versu solido sunt auctiores, hoc modo: *Da precibus tantis (rara est hoc posse facultas) Placatamque simul Junonem conjuge dextro Placatumque Jovem dextra Junone mereri.* Hoc modo *mereri* melius. Da tantæ Deæ precibus, ut utrosque et Jovem et Junonem, huic obsequendo, demerearis. Paulo aliter conceptum invenit Lindenbrogius. GRONOVIUS.

134. *Ille Deæ jussis dubium mixtumque sopori. Ille Deæ jussis, vultu quoque nutat eodem* Put. *dubius mixtusque sopori* Dan. et edd. vett. *dubium mixtumque sopori* Exe. Cantab. Petrens. Laug. Lipsian. Behott. 1, 2, Gronov. Barthian. et Delph. — Reg. B habet, *Ille Deæ jussis vultu quo nutat eodem*; Reg. C nostram lection. ED. — *Dubium, mixtumque.* Alii *dubius mixtusque*, et male.

135. *Gravior.* In somnum prona. — Vide pag. 200, tom. I, Stat.

136. *Iris, et obtusum multo jubar excitat imbri.* Heinsius ad Claud. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. 23, legit: *multo jubar excitat igni.*

137. *Ventosa.* Id est, alata: somno enim alæ dantur ad tempora.

139. *Implevit chlamydem, tacitoque per æthera cursu. Implicuit chlamydem* Dan. *per æthera curru* Aldd. Colin. Basil. et Plant. *per æthera cursu* Dan. Petav. Behott. 1, 2, Lang. Buslid. Venett. 3, 4, et edd. recentt. — Reg. B habet, *tacitoque per æquora cursu*; Reg. C nostram lect. ED. — *Æthera curru fertur.* Scripti codices et editio princeps: *cursu fertur*: quod omnino maluerim. Somno siquidem non currum, sed alas Poetæ adfingunt. Euripides Hecuba: ὦ πότνια χθὼν Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. Tibullus lib. II, Eleg. 1, vs. 89 et seq. (vid. not. nost. edit. p. 131 et 132. ED.) « Postque venit tacitus fulvis circumdatus alis Somnus, et incerto somnia nigra pede. » Propertius: « Dum me jucundis lassam sopor impulit alis. » Silius, lib. X, 355, « quatit inde soporas Devexo capiti pennas, oculisque quietem Irrorat. » Nec visum nostro dissentire, quinimo signate hoc ipso libro, v. 148: « quum vero humentibus alis Incubuit; » et Achilleidos I, v. 620: « totis ubi somnus inertior alis De-

Explicat, et penitus quacunque supervolat orbem,
Languida de scopulis sidunt freta, pigrius hærent
Nubila, demittunt extrema cacumina silvæ,
Pluraque laxato ceciderunt sidera cælo.
    Primus adesse Deum subita caligine sensit
Campus, et innumeræ voces, fremitusque virorum
Submisere sonum: quum vero humentibus alis
Incubuit, piceaque haud unquam densior umbra
Castra subit, errare oculi, resolutaque colla,
Et medio affatu verba imperfecta relinqui.
Mox et fulgentes clipeos, et sæva remittunt
Pila manu, lassique cadunt in pectora vultus.
Et jam cuncta silent: ipsi jam stare recusant
Cornipedes: ipsos subitus cinis abstulit ignes.
    At non et trepidis eadem Sopor otia Graiis

fluit in terras mutumque amplectitur orbem. » BERN.

142. *Explicat, et penitus quacunque supervolat orbem.* Lang. Buslid. Dan. Petav. et edd. vett. *quamcumque supervolat urbem.* — Reg. B habet, *Explicat et penitus quecunque supervolat orbem.* — *Quamcumque supervolat urbem.* Itane tantum urbes supervolavit, et ibi scopuli, freta, silvæ? Lege; *quacumque supervolat orbem;* ut plane Arondel. GRONOV.

147. *Campus.* Id est, Thebani qui erant in campo, quique obsidebant castra Argivorum.

148. *Submisere.* Suppressere.

150. *Errare.* Dormitare. LACT.

151. *Et medio affatu. Et medio afflatu* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Emendavit Joannes Livineius ad Propert. IV, 7, et Bernartius ex codice manuscripto: *et* ita fere alii codd.

152, 153. *M. e. f. clipeos, et sæva remittunt Pila manu.* « Manuscripti libri ultra nihil mutant, quam quod in optimo, alioque uno, clare scriptum offendo: *et tela remittunt Pila manu.* Lindenbrogiani et Behottiani nihil mutant, ut nec edd. priscæ. Faciunt tamen duo illi nostri, ut glossemate veritatem exclusam arbitrer. Ut si scripserit: *et tela remittunt Lapsa manu.* Nihil tamen nobis auctoribus mutabitur. » BARTH. — *Vultus.* Descriptio altius dormientis. LACT.

154. *Et jam cuncta silent.* « Hæc omnia verba, *ipsi jam stare recusant Cornipedes ipsos,* iidem duo libri nullo apice agnoscunt. Sed hoc modo concipiunt rem: *Et jam cuncta silent, ipsos cinis abstulit ignes.* »

155. *C. i. subitus cinis abstulit ignes.* Reg. B habet, *ipsos subitus cinis abstulit ignis,* et supra aliena manu: *ignem.* Reg. C nost. lect. ED.

Suadet, et a junctis arcet sua nubila castris
Noctivagi vis blanda Dei: stant undique in armis
Fœdam indignantes noctem, vigilesque superbos.
Ecce repens, Superis animum lymphantibus, horror
Thiodamanta subit, formidandoque tumultu
Pandere fata jubet: sive hanc Saturnia mentem,
Sive novum comitem bonus instigabat Apollo.
Prosilit in medios, visu audituque tremendus,
Impatiensque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit: exundant stimuli, nudusque per ora
Stat furor, et trepidas incerto sanguine reddit,

157. *Suadet, et a junctis arcet sua nubila castris.* Unus Behot. *et a cunctis.* — Reg. B habet, *Suadet et adjunctis*, etc. Reg. C nostr. leet. Ed. — *Et a junctis. Et*, hic pro *sed*, quod frequens Lucano. — *Castris.* Argivorum. Lactant.

159. *Vigilesque superbos.* Id est, Thebanos, qui Græcis in suis castris se continentibus, ac prodire non audentibus, insultabant.

160. *Ecce repens, Superis*, etc. *Ecce recens* Behott. 1, 2, Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Ecce repens* Dan. Put. Lindenbrog. et recent. — *Repens.* Repentinus. — *Lymphantibus.* Excitantibus.

161. *Thiodamanta subit. Thyodamanta* nonnulli codd. et edd. vett. *Thiodemanta* Behot. 2.

162. *Sive hanc Saturnia mentem.* Supple, dederat.

163. *Novum.* Thiodamas enim in locum Amphiarai successerat, ut vidimus. Adi Virgilium Æneid. VI, v. 77, ubi de Sibylla loquitur. — *Instigabat.* Bernartius legit *instigarat.*

164. *Prosilit in medios*, etc. *Prosilit in medium* Beh. 1, 2 exhibent.

166. *Non capit: exundant stimuli, nudusque per ora.* Put. *exudant stimuli.* — *Stimuli.* Quibus premebatur a numine. Lact. — *Nudusque per ora.* In optimis membranis: *multusque per ora Stat furor.* Ut Virg. Georg. I, v. 187, « quum se nux plurima silvis Induet in florem et ramos curvabit olentes. » Lib. III, v. 52, « bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix. »

167. *S. f. e. t. incerto sanguine reddit.* Put. Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *sanguine tendit;* Behott. 1, 2. Dan. Gronov. Barth. et Veen. *sanguine reddit.* — *Reddit* (*tendit*). Legit Gronovius, *reddit.* Est enim, ait ille, quasi dixisset. *Exhaurit redditque*, ὕστερον πρότερον. Ovidius Metam. II, vs. 409: « Dum redit, itque frequens. » Lib. VIII, vs. 615: « Si dant adimuntque figuras. » — *Incerto.* Sive ambiguo, quia modo rubor, modo pallor ora ejus mutabat. Virgil. Æn. VI, vs. 46: « Cui talia fanti Ante fores subito non vultus, non color unus. »

Exhauritque genas: acies huc errat, et illuc,
Sertaque mixta comis sparsa cervice flagellat.
Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, consumtaque brachia ferro
Scire vetat, quatit ille sacras in pectora pinus,
Sanguineosque rotat crines, et vulnera cursu

169. *Sparsa.* Rotata hac atque illac coma, ut Virgil. Æneid. VI, vs. 48: « Non comptæ mansere comæ. » Lactant.

170. *Phryga.* Gallum intelligit Cybeles sacerdotem, qui Phryx erat. — *Genitrix Idæa.* Cybele seu Rhea mater Deorum, cujus erant varia cognomina. Strabo lib. X. Berecynthii autem, Phrygia gens, et in universum Phryges, ac Troum illi qui Idam accolunt (hinc *Idæa mater*) Rheam et ipsi colunt, eique Orgia peragunt, matrem appellantes Deorum, et Agdestim, et Phrygiam, et magnam Deam. A locis autem Idæam Dyndimenen, Pylenen, Pessinuntiam, ac Cybelem.

171. *Elicit ex adytis*, etc. « Omnino cum optimo libro legandum *Ejicit.* » Barth. — *Consumptaque brachia ferro.* Britannicus codex, cujus excerpta Patricius Junius, vir clar. olim per Jo. Adamum Schraginm, Argentoratensem JC. virum egregium, ad me misit, pro *ferro* habet *furor.* Alter optimus quod eodem loco primum babuit, erasum est dubiis notis, *furor* an *buxus* fuerit scriptum. Itaque cœpi dubitare an potuerit fecisse Papinius: *consumptaque brachia buxus Scire vetat.* Ea namque incitatrix furoris in sacris Berecynthiæ non minus quam æra Corybantum. Virgilius lib. IX, v. 619: « Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris Idææ. » Ovid. Fast. IV, vs. 214: « Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos. » Et rursus, Fast. IV, vs. 341: « Exululant comites, furiosaque tibia flatur. » Val. Flacc. lib. I, v. 319: « Obruit Idæam quantum tuba Martia buxum. » Lib. II, v. 584: « sacris hinc ignibus Ide Vibrat, et horrisonæ respondent Gargara buxo. » Lib. III, 231 et sqq. « at barbara buxus Si vocet, et motis ululantia Dindyma sacris, Tunc ensis placeatque furor: modo tela sacerdos Porrigat, et justa sanguis exuberet urna. » Ubi videtur scribendum: « et jussa sanguis exuberet ulna. » Brachii videlicet. Gr.

172. *S. v. q. i. s. in pectora pinus.* Put. *pectore pinus.* — *Scire vetat.* Quia dolorem furor sentire non patitur. — *Quatit ille sacras in pectora pinus.* Pinu etiam sibi cædebant pectus fanatici Galli, omnia ad imitationem luctus Cybeles ob Attin, et in memoriam pinus, sub qua Attis se castraverat. Claudianus XVIII, in Entrop. lib. I, 279: « Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu. » — *Sacras.* Arbor illa Magnæ Deæ sacrata erat quia Attis sub pinu jacuit.

173. *Sanguineosque rotat crines, et vulnera cursu. Sanguineosque rotat crines* Putean. *ac vulnera*, multi codd. et edd. vett. — Reg. B habet,

Exanimat : pavet omnis ager, respersaque cultris
Arbor, et attoniti currum erexere leones.
Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam
Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger,
Rerum extrema movens, frustra consultat Adrastus.
Stant circum subiti proceres, ut quisque peremto
Proximus, et magnis loca desolata tuentur

Sanguineosque quatit crines, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Sanguineosque rotat crines.* Jactabant etiam capita furibuudi Galli, quod faciebaot etiam ad imitationem Cybeles, quam Diodorus ait lib. III, propter amoris impatientiam et mœrorem, furore correptam, in agros excorrisse, atqoe ibi solam, diffusis capillis, ululatu et tympani strepitu universam implevisse regionem. Lampridius Heliogabalo : « Jactavit caput inter præcisos fanaticos, et omnia fecit, quæ facere solent. » — Lucan. Phars. I, 566 : « crinemqoe rotantes Sanguioeum populis ulularunt tristia Galli » ad quem illustrandum nostri locom adduxit Burmaonus. Ed.

174. *Exanimat : pavet omnis ager, respersaque cultris.* Codd. Lindenbrogii : *respersaque cultrix.* — Hanc lectiooem Codd. Regg. B et C exhibent. Ed. — *Respersa.* Polluta sanguine, quem forens lauiato corpore suo foderat, ot Virg. Æneid. VIII, 645, « Sparsi rorabant sanguine vepres. » Lactant.

175. *Arbor*. Pinos, quæ colitur in sacris Matris Deum, sub qua jacuit Attis, Matri Deum dilectos. Lactant. — *Et attoniti currum erexere leones.* Currus Rheæ seu Cybeles trahebatur a leonibus. Vide Diodorum Siculum, Arnobium, et præcipue Vossium de Idololatria lib. I.

176. *Ventum ad* concilii *penetrale, domumque verendam. Ventum ad consilii* Behott. 1, 2. — Haoc lectionem Regg. B et C exhibeut. Vid. Excorsum ad calcem huj. lib. Ed.

179. *Stant circum subiti proceres, ut quisque perem*to. Reg. B habet, *S. c. s. p. ut quisque peremta ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Subiti proceres.* Tumultuarii, qui paullo aote fueraot privati. Novi, ut Lutatius. Ita non *subiti clivi* cum cura et cousilio seosim parati aot enati, lib. VI, vs. 260. Et sic *subitus Thiodamas*, receus in locum Amphiarai electus aut veniens, lib. VIII, vs. 365. Bernart.

180. *Loca desolata tuentur Regibus.* Id est, spoliata seu relicta. *Desolatus* siquidem μονωθεὶς, *solus relictus.* Tac. Ann. I, c. 30 : « Mox desolatus aliorum discessione. » Idem lib. XII, cap. 26 : « Desolatos paollatim etiam servilibus ministeriis. » Virgil. Æn. lib. XI, v. 870 : « Disjectiqoe duces, desolatique manipli. » Ibid., 367 : « sat funera fusi Vidimos, ingentes et desolavimus agros : » colonis videlicet ad bellum abductis. Cui compar sententia Papinii nostri Thebaid. V, v. 914, « Delectas cui desolavimus

Regibus, haud læti, seque huc crevisse dolentes.
Non secus amisso medium quum præside puppis
Fregit iter, subit ad vidui moderamina clavi
Aut laterum custos, aut quem penes obvia ponto
Prora fuit : stupet ipsa ratis, tardeque sequuntur
Arma, nec accedit domino tutela minori.
Ergo alacer trepidos sic erigit augur Achivos :
« Magna Deum mandata, duces, monitusque verendos
Advehimus : non hæ nostro de pectore voces.
Ille canit, cui me famulari, et sumere vittas

urbes : » abductis civibus. Et lib. I, v. 653 : « quod desolata domorum Tecta vides. » Et lib. IX, v. 672 : « Desolatumque magistro Agmen. »

181. *Regibus*. Plerique enim reges, aut virtute regibus æquales. — *Seque huc crevisse*. Id est, ad hos honores provectos se dolebant : ideo quod, occisis ducibus, per calamitatem provecti sunt. Lact.

183. *Fregit iter, subit ad vidui moderamina clavi*. Put. *dubii m. clavi*. — Reg. B eamdem habet lect. Reg. C nostram. Ed. — *Fregit iter*. Id est, a gubernatore deserta est. Lactant.

184. *Laterum custos*. Τοίχαρχος Polluci dicitur Græce lib. X. — *Aut laterum custos*. Quia navis latera custodiendo servabat. Lact. — *Obvia*. Quæ prima pontum scindit.

185. *P. f. s. i. r. tardeque sequuntur*. Codd. Lindenbrog. *tardeque sequuta*.

186. *Arma, nec accedit*, etc. *Arma neque accedit* Lang. Buslid. Dan. Petav. et edd. vett. — *Arma*. Instrumenta nautica. — *Tutela*. Tutela erat signum, aut effigiatum aut depictum, alicujus Dei in prora aut puppe navis, in cujus veluti clientelam se navigantes tradebant, eratque insigne navis : unde Glossæ *tutela*, παράσημον τοῦ πλοίου, *Insigne navis*. Et recte : nam hujus nomen navigio imponebant. Lucianus navigio τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς ἔχοντα θεὸν τὴν Ἶσιν. « Cognominem navi Deam habens Isidem. » Persius Sat. VI, v. 29 : « Jacet ipse in litore, et una Ingentes de puppe Dei. » Procopius in XII, Isaiæ : Ἐπιβῆναι δέ φησιν Παῦλον ὁ Λούκας ἐν πλοίῳ Ἀλεξανδρίνῳ παρασήμῳ Διοσκούροις· ταῖς γὰρ πρώραις ἀεὶ θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων Μαρτύρων. « Refert Lucas Paulum conscendisse navem Alexandrinam, cujus insigne Dioscuri : semper enim inscribebant proris imagines Deorum, ut et nunc sanctorum Martyrum. » Non solum autem inscribebant imagines Deorum, sed et animalium. Vide Festum in Europa. Notissimus mos. Herodotus auctor est tutelas navium a Phœnicibus παταίκους dici, hoc est *cælaturas* et ἐκτυπώσεις, origine sine dubio Hebraica : *Fatak* enim Hebræis *cælare* et *exsculpere* significat.

Vestra fides, ipso non discordante, subegit.
Nox fœcunda operum, pulchræque accommoda fraudi
Panditur augurio Divum : vocat obvia virtus,
Et poscit Fortuna manus : stupet obruta somno
Aonidum legio : tempus nunc funera regum
Ulcisci, miserumque diem : rapite arma, morasque
Frangite portarum : sociis hoc subdere flammas,
Hoc tumulare suos : equidem hoc et Marte diurno
Dum res infractæ, pulsique in terga redimus,
(Per tripodas juro, et rapti nova fata magistri,)
Vidi, et me volucres circum plausere secundæ.
Sed nunc certa fides : modo me sub nocte silenti

192. *Nox fœcunda*. Fraudibus oportuna. LACTANT. — *Pulchræque accommoda fraudi*. Claud. VIII de IV Cons. Honor. vs. 327 : « fraudi accommoda vallis. » Ante hos Virgil. dixerat, Æneid. XI, 522 : « Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi. » Ad quem locum vid. not. nost. edit. tom. IV, p. 247. ED.

194. *Stupet obruta somno*. Dan. Put. et edd. vett. *jacet obruta*.

196. *Miserumque diem*. Argivi enim a Thebanis cæsi fuerant, et quatuor duces amiserant.

197. *Frangite portarum*. Undique nos fractis portarum claustris in hostes immittite. LACT. — *Sociis hoc est subdere fl.* Ita socios cremamus, ita illis supremos honores reddimus. ED.

198. *Hoc et Marte diurno*. Reg. B habet, *hæc et Marte diurno*. — *Hoc tumulare*. Sepelire : id est, pœnam quam hostibus tentamus inferre, pro sepultura erit exstinctis sociis nostris : quasi ultione gaudeant interemtorum manes. — *Equidem*. Per ironiam dictum est, id est, vera hæc oportunitas nobis etiam per diem contingit, ideoque debemus differre, hoc est, ne faciendi occasio pereat, differri non debet. LACT. — Errat hic Lact. sensus est : Equidem pugnando interdiu hoc faustum prævidi, sed nunc certior sum factus Vide not. 201. ED.

199. *Pulsique in terga redimus*. Dum ambigua adhuc victoria, modo præberemus terga hostibus, modo eos pulsos eadem obvertere cogeremus. Par locutio est lib. XII, v. 735.

200. *Magistri*. Amphiarai. Modestissimus Thiodamas, qui magistrum vocat Amphiaraum, quem tamen Amphiaraus ipse sibi ipsi in doctrina cælestium præferebat. Vide lib. VIII, v. 280.

201. *Plausere secundæ*. Illa ipsa die præcedente mihi successum bonum nunciarunt aves, et nunc etiam addicunt. Vet. Schol. Vere : nam de Noctis prospero Augurio sequitur infra versu 216, « iterum, ecce, benignæ Noctis aves ; sequor, et, comitum licet agmina cessent, Solus eo. » BARTH.

Ipse, ipse assurgens iterum tellure soluta,
Qualis erat, (solos infecerat umbra jugales),
Amphiaraus adit: vanæ nec monstra quietis,
Nec somno comperta loquor. Tune, inquit, inertes
Inachidas (redde hæc Parnassia serta, meosque
Redde Deos) tantam patiere amittere noctem,
Degener? hæc egomet cæli secreta, vagosque
Edocui lapsus? vade eia, ulciscere ferro
Nos saltem: dixit, meque hæc ad limina visus
Cuspide sublata, totoque impellere curru.
Quare agite, utendum Superis: non cominus hostes
Sternendi: bellum jacet, et sævire potestas.
Ecqui aderunt? quos ingenti se attollere fama
Non pigeat, dum fata sinunt? iterum ecce benignæ
Noctis aves: sequor, et comitum licet agmina cessent,

203. *Ipse, ipse*, sc. Amphiaraus.

204. *Umbra jugales.* Ipse quidem Amphiaraus erat tam clarus, quam fuerat vivens: equi vero ipsius Inferorum fuerant caligine offuscati.

205. *Amphiaraus adit: vanæ nec monstra quietis.* In uno codice Barthii *adiit*; in alio ejusdem *iniit: nec vanæ monstra.* — Regg. B^a et C, *Amphiaraus a. nec vanæ monstra quietis* exhibent. Ed. — *Vanæ nec monstra quietis.* Virg. Æneid. III, vs. 174, « Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus, Velatasque comas, præsentiaque ora videbar. »

206. *N. s. c. l. Tune, inquit, inertes. Tune in quid inertes* optimus Barthianus. — *Tune, inquit.* Objurgantis verba.

207. *Redde.* Hæc interpositio est.

208. *Amittere noctem.* Opportunitatem invadendorum per noctem hostium perdere.

209. *Degener.* Hic versus cum tribus sequentibus Guyeto suspectus.

210. *Edocui lapsus? vade eia, ulciscere ferro.* Multi codd. et edd. vett. *suade eia.* — *Edocui lapsus.* Avium volatus ostendi. Lact.

212. *C. subl. totoque impellere curru.* Putean. *impellere cursu.* — Hanc lect. Reg. B, nostr. Reg. C. Ed.

214. *S. b. j. et sævire potestas.* Unus Behot. *est sævire.* — *Sternendi.* Non contra vigilantes cominus pugnabimus, sed contra dormientes. Lact. — *Bellum.* Pro bellatoribus seu militibus.

215. *Ecqui aderunt? quos*, etc. *Hæc quæ aderunt* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *En qui aderunt* Lang. Buslid. Lips. Aldd. et Plant. *Æque aderunt* unus Behot. *Æqui aderunt* in altero; *Ecqui aderunt* optimi codd.

216. *Benignæ Noctis.* Demonstra-

Solus eo, solus : venit ille, et quassat habenas. »
Talia vociferans, noctem exturbabat, euntque
Non secus accensi proceres, quam si omnibus idem
Corde Deus : flagrant comitari et jungere casus.
Ter denos numero, turmarum robora, jussus
Ipse legit : circa fremit indignata juventus
Cætera, cur maneant castris, ignavaque servent
Otia : pars sublime genus, pars facta suorum,
Pars sua : sortem alii clamant, sortem undique poscunt.
Gaudet in adversis animoque assurgit Adrastus.
Vertice sic Pholoes volucrum nutritor equorum,

tive; etenim dum loquitur, iterum prosperum augurium. Virg. *Æneid.* IV, 576 : « Ecce iterum stimulat. »

218. *Solus eo, solus : venit ille, et quassat habenas. Solus eo, atque adeo venit* Lang. Laur. Busl. et edd. vett. — Regg. B et C hanc lection. habent. Ed. — *Solus eo : atque adeo.* In optimis pluribusque video : *Solus eo, solus, venit ille.* Neque aliter scribendum. Sic supra Theb. IX, 342 : « Sacrum amnem, sacrum. » Alterum condiderunt, quibus abruptum videbatur : *venit ille :* itaque istam commissuram interposuere. Gronov. — *Quassat habenas.* Quasi denuo Amphiaraus revertatur ad superos, quod est iræ indicium, quod tardabant ire. Lact.

219. *Talia vociferans, noctem exturbabat, euntque.* Unus Behot. *exturbarat.* — Reg. B habet, *T. v. n. exturbabat, eumque ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Noctem.* Id est, noctis quietem, somnum.

221. *Corde Deus.* Ac si corde omnes Apollinem aut Amphiaraum recepissent. Corda insidebat talis furor. Virgilius Æneid. VI, v. 80 : « Os rabidum, fera corda domans. » Barth. — *Casus.* Pericula, et belli aleam.

224. *Cætera, cur maneant castris,* etc. Unus Behot. *cur maneat castris.*

226. *Sortem alii clamant.* Plurimus sortis usus in bello, et maxime ad evitandam ducum, aut etiam militum æmulationem, quæ sæpe exitiosa est.

227. *Gaudet in adversis.* Hactenus pene animum despondens, recreatur. Ut Virg. Æn. V, vs. 828 : « Æneæ tacitam pertentant gaudia mentem. » Vet. Schol. Locus autem Virgilianus ad ista parum facit : non enim despondebat animum Æneas, ut Adrastus, quem ex tali re etiam apud Inferos pallore induit idem Maro. Barth.

228. *Pholoes.* Pholoe mons et oppidum Arcadiæ. Berald. — *Pholoe.* Mons Peloponnesi Straboni ; et Plinio, in Arcadia, *Xiria*, teste Nigro, silvosus, nivosus, et excelsus, Pysæ Olympiæ proximus, cujus meminit Ovidius, Fast. II, 273. Ed.

Cui fœtura gregem pecoroso vere novavit,
Lætatur, cernens hos montis in ardua niti,
Hos innare vadis, certare parentibus illos.
Tunc vacuo sub corde movet, qui molle domandi
Ferre jugum, qui terga boni, quis in arma tubasque
Natus, ad Eleas melior quis surgere palmas.
Talis erat turmæ ductor longævus Achivæ.
Nec deest cœptis: « Unde hæc tam sera repente
Numina? qui fractos Superi rediistis ad Argos?
Estne hic infelix virtus? gentique superstes
Sanguis, et in miseris animorum semina durant?
Laudo equidem, egregii juvenes, pulchraque meorum
Seditione fruor: sed fraudem, et operta paramus

229. *Pecoroso vere novavit.* Verum enim tempus Natura duce fœturæ aptum est, ait Festus in voce *Vernæ.* Nomen etiam veris interdum pro rebus vere natis. Mart. lib. IX, Epig. 14, vs. 2, « Quum breve Cecropiæ ver populantur apes. » Hinc *ver sacrum* significat animalia eo anni tempore nata. — Fetura in pecore dicitur quod in muliere puerperium, tum ipse fetus animalis. Varro etiam feturam humanam appellat. Hæc depromsi e notatis ad v. 59 Carm. Bucol. Severi Sancti de Mortibus Boum, ubi adductus est Nostri locus. Vid. Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. I, pag. 581. Ed.

231. *Certare.* Cursu contendere.

233. *F. j. q. t. b. quis in arma tubasque.* Lang. Laur. Busl. Lips. et edd. vett. *ad arma.* — *Terga boni.* Sessioni utiles.

234. *Eleas palmas.* Ludos Olympicos in Elide solitos celebrari.

236. *Nec deest cœptis. Nec deerat cœptis* unus Behot. et optimæ Barthii membranæ. — *Nec deest cœptis.* Imo consentiebat. V. Schol. Voce pariter utitur lib. XI, vs. 276: « Deest servitio plebes. » In optimo tamen codice expressissimis literis hoc loco scriptum est: *Nec deerat cœptis.* Quod pronunciem recipiendum, quum alioquin unica syllaba hac vocula utatur, ut lib. VIII, vs. 236. Ita Virg. Æneid. X, vs. 378: « Deest jam terra fugæ. » Lucret. lib. I, 44: « Talibus in rebus communi deesse saluti. Barth.

237. *Argos.* Argivos.

240. *Laudo equidem, egregii juvenes, pulchraque meorum.* Reg. B habet, *L. e. e. juvenes et pulchra meorum;* Reg. B nostram lect. Ed. — Claud. V, in Rufinum lib. II, vs. 226 et 227: « Alternamque fidem non illaudata lacessit Seditio. » Videsis notata ad hunc locum nost. edit. tom. I, pag. 198. Ed.

241. *Seditione.* Quia decertabant qui potius eligerentur.

Prælia : celandi motus : nunquam apta latenti
Turba dolo : servate animos : venit ultor in hostes
Ecce dies : tunc arma palam, tunc ibimus omnes. »
His tandem virtus juvenum frenata quievit.
Non aliter moto quam si pater Æolus antro
Portam iterum saxo premat imperiosus, et omne
Claudat iter, jamjam sperantibus æquora ventis.
Insuper Herculeum sibi jungit Agyllea vates
Actoraque : hic aptus suadere, hic robora jactat
Non cessisse patri : comites tribus ordine deni,
Horrendum Aoniis, et contra stantibus, agmen.
Ipse, novi gradiens furta ad mavortia belli,
Ponit adoratas Phœbea insignia frondes,

242. *P. c. m. nunquam apta latenti.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *nondum apta.* Bernartius oorrexit ex codd. — *Nunquam apta latenti Turba dolo.* Lectio hæc a manuscriptis est. Nec quin germana sit quisquam sanus, aut pro sano, dubitaverit. Vulg. *nondum apta.*

246. *Æolus.* Æolus rex ventorum. Vide Virgil. Æneid. I, v. 52 et seqq.

247. *Portam iterum saxo*, etc. « Valde vulgariter hoc (*Portam iterum*) tinnit; nec mutaot tamen quidquam libri. » Barth. — *Imperiosus.* Crudelis et imperio quodammodo abutens. Claudianus, XI, in Nupt. Honor. v. 3 : « Eques Gelonis Imperiosior. » Streouior, nempe, et strictior. *Imperium* jussio cum auctoritate et effectu. Sedul. lib. III, « Quantum imperii fert jussio Christi. » Inde *imperiosus* Paullinus Petrocorius lib. IV, de B. Martino : « fixa rebellaot Imperio jumenta truci. » Barth.

248. *Claudat iter, jamjam sperantibus æquora ventis.* Regg. B et C, *Claudat iter jam jam spirantibus æquora ventis* exhibent. Ed.

249. *Herculeum Agyllea.* Agylleus enim jactabat se esse Herculis filium. Vide Theb. VI, v. 837. — *Vates.* Thiodamas.

250. *Aptus suadere.* Aptus dandis consiliis. — *Jactat.* Gloriator.

251. *N. c. p. comites tribus ordine deni.* « Tentabam legere : *tribus ordine denis.* » Bern. « Non intellexit qood mutare voluit Bernartius. » Barth. — *Non cessisse patri.* Dat operam ne videatur patri esse dissimilis. — *Ordine deni.* Deni comites singulos duces sequebantur, ut oum his triginta proficiscerentur ad bellum, qui Thebanis etiam potuissent per diem horrorem inducere.

252. *Aoniis.* Thebaois. — *Contra stantibus.* Vigilaotibus, paratis. — *Agmen.* Hi pauci etiam non dormientibus, et diverso pugnantibus, sine dubio suffecisseot.

254. *Adoratas frondes.* Laurus, iosigoia sacerdotum Apollonis.

Longævique ducis gremio commendat honorem
Frontis, et oblatam Polynicis munere grato
Loricam galeamque subit : ferus Actora magno
Ense gravat Capaneus, ipse haud dignatus in hostem
Ire dolo, Superosque sequi : permutat Agylleus
Arma trucis Nomii : quid enim fallentibus umbris
Arcus, et Herculeæ juvissent bella sagittæ?
  Inde per abruptas castrorum ex aggere pinnas,
Ne gravis exclamet portæ mugitus ahenæ,
Præcipitant saltu : nec longum, et protinus ingens
Præda solo, ceu jam exanimes, multoque peracti
Ense jacent. « Ite, o socii, quacunque voluptas
Cædis inexhaustæ, Superisque faventibus, oro,
Sufficite, hortatur clara jam voce sacerdos :
Cernitis expositas turpi marcore cohortes.

255. *Longævi ducis*. Adrasti. — *Honorem Frontis*. Infulam ac vittas quibus frons ornata. — *Gremio*. Hoc est, fidei. LACT.

256. *Frontis, et oblatam Polynicis munere grato*. Reg. B habet, *Frontis et obliquam Polynicis munere grato*.

256. *Galeamque subit*. Armatur.

258. *Ense gravat*. Non dixit *donat*, sed *gravat* : quia ponderosus erat. LACT.

259. *Superosque sequi*. Depingitur enim ubique « contemtor Deorum. »

260. *Arma trucis Nomii*. *Arma trucis Nonii* in uno Behot. — *Quid enim*. Interrogative. LACT.

261. *Herculeæ*. Quia Hercules ipsius pater.

262. *Inde per abruptas castrorum ex aggere pinnas*. Put. *ex aggere pinnas*. — Reg. B habet, *ex aggere portas*.

263. *Mugitus ahenæ*. Ne audirent hostes portarum stridorem.

265. *P. s. c. j. exanimes, multoque peracti*. Unus Behot. *multoque peremti*. — *Præda solo*. Thebani scilicet dormientes, quos facile erat vincere ac spoliare. — *Peracti*. Perfossi. LACTANT.

266. *E. j. I. o s. quacunque voluptas*. In eodem Behot. codice : *quacumque voluntas*.

269. *Cernitis expositas turpi marcore cohortes Pro pudor! Argolicas, hinc ausi obsidere portas*. Pessime ab interpunctionibus laborans locus : tu rescribe : *Cernitis expositas turpi marcore cohortes (Pro pudor!) Argolicas hinc ausi obsidere portas?* neque enim, quod ineptissime vulgata præ se fert, somno obruti Græci jacebant, sed Thebani. Et indignatur vates, somnolentos hos, ausos fuisse obsidere Argivorum castra. BERNART.

Pro pudor! Argolicas hine ausi obsidere portas?
Hi servare viros?» Sic fatus et exuit ensem
Fulmineum, rapidaque manu morientia transit
Agmina: quis numeret cædes? aut nomine turbam
Exanimem signare queat? subit ordine nullo
Tergaque, pectoraque, et galeis inclusa relinquit
Murmura, permiscetque vagos in sanguine manes.
Hunc temere explicitum stratis, hunc sero remissis
Gressibus illapsum clipeo, et male tela tenentem:
Cœtibus hos mediis vina inter, et arma jacentes:
Acclines clipeis alios, ut quemque ligatum
Infelix tellure sopor supremaque nubes

270. *Hine ausi*. Debiles et somno dediti. Lactant.

271. *H. s. v. Sic fatus et exuit ensem.* « Scribe cum optimo libro: *fatur et exuit*. » Barth. — *Servare viros*. Obsidere: ad emphasin dictum. Ad hoc enim venerant Thebani, ut Argivos ne fugerent custodirent. Lactant.

272. *F. r. m. morientia transit.* Unus Behot. *tranxit*, et correctum *traxit*. — *Transit*. Cito occidit.

274. *E. s. q. subit ordine nullo.* Dan. *fodit ordine nullo*. — *Signare queat*. Numero diffinire. Lact.

275. *T. p. e. g. inclusa relinquit.* Idem codex Dan. cum uno Behot. *inclusa reliquit*.

276. *Murmura*. Morientium.

277. *Hunc temere*. Negligentem et sine cura aliqua dormientem. — *Explicitum*. Extensum. Lucan. IV, v. 629: « Et omnem Explicuit per membra virum. » Lact. — *Hunc sero* (raro poetæ corripiunt) *remissis Gressibus*. Qui sero victus somno dum stabat deficit ac corruit.

278 *Gressibus illapsum clipeo*, *et male tela tenentem*. *Gressibus in lapsum* unus Behot. *tela regentem* Behott. 1, 2, sed in altero correctum. — *Gressibus illapsum clipeo*. Qui scilicet sero victus somno, dum stabat, defecit ac corruit. Lact.

279. *C. h. m. vina inter, et arma jacentes*. Put. *una inter*.

280. *Acclines clipeis alios. Adclines* nonnulli codd. *Acclives* Lang. Laur. Lipsian. et edd. vett. — *Acclines*. Stantes, aut incumbentes clipeis dormientes. Lact. — *Ut quemque ligatum tellure sopor Obruerat*. Sic Valerius Flaccus lib. I, v. 48: « Serus fessos sopor alligat artus. » Et Seneca Herc. Fur. 1079: « Sopor indomitos alliget artus. » Vide pag. 562, tom. I Stat.

281. *Supremaque nubes*. Vapores supremi: ultimus enim hic somnus. Supra *picea umbra*. Ita *nubes veterni*, id est, immodici somni et torporis, apud Ausonium. *Nubes soporis*, Valer. Flacco lib. VIII, v. 81, « Primi percussus nube soporis Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos. »

Obruerat : nec numen abest, armataque Juno
Lunarem quatiens exerta lampada dextra
Pandit iter, firmatque animos, et corpora monstrat.
Sentit adesse Deam tacitus; sed gaudia celat
Thiodamas : jam tarda manus, jam debile ferrum,
Et caligantes nimiis successibus iræ.
  Caspia non aliter magnorum in strage juvencum
Tigris, ubi immenso rabies placata cruore,
Lassavitque genas, et crasso sordida tabo
Confudit maculas, spectat sua facta, doletque
Defecisse famem : victus sic augur inerrat
Cædibus Aoniis : optet nunc brachia centum,
Centenasque in bella manus : jam tædet inanes
Exhaurire minas, hostemque assurgere malit.

285. *Sentit adesse Deam. Sensit* Behott. 1, 2, Put. Petav. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett.

286. *Debile ferrum.* Non ferrum debile, sed qui occidendo utebantur ferro debiles facti sunt. Lact.

287. *Caligantes iræ.* Incertæ perturbationes, sive sedatæ. Lact. — Scribendum forte, ut Barthius autumat, non *sedatæ*, sed *satiatæ*.

288. *Caspia.* Gentes Caspiæ accolunt mare Caspium.

289. *T. u. i. rabies placata cruore.* Behott. 1, 2, Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *pacata cruore.* — Regius B habet hanc lection. Reg. C, *placcata.* Ed. — *Rabies.* Fames. Lact. — Noster Achill. lib. II, 99 : « Ut placata fames epulis, etc. » Ovidius, Metam. VIII, 845 : « implacatæ vigebat flamma gulæ ; » Horat. lib. II, Sat. 8, 5 : « placaverit ventrem iratum esca. » Ed.

290. *Lassavitque genas, et crasso sordida tabo. Laxavitque genas* Behott. 1, 2, *et grasso* Put. — Reg. B habet : *et grasso sordida tabo* ; Reg. C, *Laxavitque genas et crasso.* Ed. — *Genas.* Malas.

291. *Confudit maculas, spectat sua facta, doletque. Confundit maculas* in eodem Behot. codice. — Hanc lect. habet Reg. B, Reg. C nostram. Ed. — *Confudit maculas.* Maculæ enim cruore respersæ discerni non poterant. — *Spectat sua facta.* Victa fame respicit prædam adhuc superstitem.

292. *Victus.* Fessus.

293. *C. A. optet nunc brachia centum.* Codd. Barth. *optat* ; unus Behot. *obstat.*

294. *Inanes.* Debiles. Lact.

295. *Exhaurire minas, hostemque assurgere malit.* Optimus Barthianus : *exsurgere malit* ; Put. *assurgere mallet.* — Reg. B habet, *assurgere mallet* ; Reg. C nostram lect. Ed. — *Exhaurire minas.* Consumere, nihil agendo.

Parte alia segnes magno satus Hercule vastat
Sidonios, Actorque alia : sua quemque cruento
Limite turba subit : stagnant nigrantia tabo
Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis.
Fumat humus, somnique et mortis anhelitus una
Volvitur : haud quisquam visus aut ora jacentum
Erexit : tali miseris Deus aliger umbra
Incubat, et tantum morientia lumina solvit.
Traxerat insomnis cithara ludoque suprema
Sidera, jam nullos visurus Alimenus ortus,

298. *Limite turba subit*, etc. *Limite turma subit* duo codd. Barthii, quod ille probat. — *Stagnant nigrantia tabo Gramina*. Claud. I, in Prob. et Olybr. vs. 111 : « stagnant immersa cruore Corpora. » Ad hunc Claudiani locum vide not. nost. edit. tom. I, p. 114. Ed.

299. *Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis*. Marklandus ad Silv. II, 1, 17, legit : *sanguineisque natant*. Conf. nost. edit. tom. I, pag. 191; vide etiam notata nostra ad Theb. V, 255 tom. II, p. 516. Ed. — *Sanguineis nutant*. Legit Guyetus : *sanguineisque natant*.

300. *Somnique et mortis anhelitus una Volvitur*. Frequens hæc sententia. Livius, XLI, 4 : « Aliis somno mors continuata est. » Claud. XX, in Eutr. II, 437 : « alii leto junxere soporem. » Conf. Virgil. Æn. X, 745; Petronii Trojæ, Halos. vs. 63, Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. III, pag. 656. Hic maxima cum veneratione recordor hominum certe piissimum *Vincent de Paul*, qui, quum morti proximus jaceret, et continuo gravaretur somno, ait : « C'est le frère qui vient en attendant la sœur. » Ed.

303. *Incubat, et tantum morientia lumina solvit*. In eodem Behot. codice : *morientia lumina solum*. — *Et tantum morientia lumina solvit*. Idem Papinius Theb. V, v. 540 : « Et in solam patuerunt lumina mortem. »

304. *Traxerat insomnis cithara*. Maculosum hoc, eluunt scripti : *traxerat insomnis*, id est, pervigil; vide quæ notavimus ad Theb. II, 74, tom. præced. pag. 165 : conf. etiam Exc. ad calc. ejusd. lib. Ed.

305. *Sidera, jam nullos visurus Alimenus ortus*. Heinsius in Advers. lib. IV, cap. 12, cum melioribus scriptis et Gronovio legit : *visurus Ialmenus*; Put. *Ialminus*; Behot. 1, *Almenius*; Behot. 2, *Parmenus*. — Reg. B habet, *Ialminus*; Reg. C, *Palmedus*. Ed. — *Nullos visurus Alimenus ortus*. Hoc nomen vitii arguit codicum varietas. *Palmenus*, *Parmenus*, *Alinenus*, *Almenus*, alii atque alii habent. Lindenbr. notat, *Ialminus*. Hoc proximum vero. Scribendum enim : *nullos visurus Ialmenus ortus*. Hoc nomen Bœoticum esse credas vel Homer. Iliad. B, ubi Ἀσκάλαφος καὶ Ἰάλμενος υἷες Ἄρηος, Aspledonensium et Orchomenio-

Sidonium Pæana canens : huic languida cervix
In lævum cogente Deo, mediaque jacebant
Colla relicta lyra : ferrum per pectus Agylleus
Exigit, aptatamque cava testudine dextram
Percutit, et digitos inter sua fila trementes.
Proturbat mensas dirus liquor : undique manant
Sanguine permixti latices, et Bacchus in altos
Crateras paterasque redit : ferus occupat Actor
Implicitum fratri Thamyrum : Tagus haurit Ethecli

rum duces. Quos et rursus appellat Iliad. I. Idemque nomen vel ejus Patronymicum restituendum est vs. 510, « Pronus Achemenides ferratæ robora portæ Torserunt. » Sane longe aberat a Thebis proles magni Achæmenis. Nec valde prudenter Lindenbr. *et Alcmenides*, quasi non esset Ἀλκμήνη. Behottius observat e MSS. *et Almenides*. Ego in tribus *hyalmenides ;* in optimo, *Yalmenides* notavi. Ergo : *Pronus Ialmenides :* nam et hic Thebanæ partis. Gronov.

306. *S. P. c. huic languida cervix*. Edd. vett. *ubi languida ;* omnes vero codd. *huic languida*. — *Sidonium Pæana*. Hymnum Thebanum in honorem Deorum.

307. *Cogente Deo*. Premente somno. Lactant. — Expressio ex parte est Maroniana, Æneid. IX, v. 335 : « Et juvenem Serranum, illa qui plurima nocte Luserat, insignis facie, multoque jacebat Membra Deo victus. » Barth. — *Mediaque jacebant Colla relapsa*. Magno consensu scripti : *Colla relicta*. Quod tamen nondum satisfacit mihi. Et puto subesse verbum, quod non uno loco pridem apud eum corruptum fuit ; *mediaque jacebant Colla reclina lyra*. Ovid. Metam. X, 558 : « posita cervice reclinis. » Manil. lib. V, 554 : » nivea cervice reclinis. » Neque enim causa est, cur non et *reclinus* dicatur. Gronov.

308. *Colla relicta lyra*, etc. *Colla replicta lyra* Heinsius l. l.

309. *Exigit*, *aptatamque*, etc. *Exegit* Behott. 1, 2. — *Exigit*. Transadigit. — *Cava testudine*. Antiptosis, pro *cavæ testudini*.

310. *Percutit, et digitos inter sua fila trementes*. Poetice dictum, ut morientis digiti citharæ fila pulsarent. Sic Virgilius, Æn. X, vs. 396, « Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant. » — Reg. B habet, *Perculit*, etc. Reg. C nost. lect. Ed.

311. *Proturbat mensas*. *Perturbat* unus Behot.

312. *Bacchus*. Vinum e corporibus effluens.

313. *Crateras paterasque*. Inversi crateres fuderunt merum, quod abundantia sanguinis repulsum jacentes replevit crateres. Lactant.

314. *Implicitum fratri Thamyrum : Tagus haurit Etheeli*. *Thamyrim* Dan. Put. Petav. *Thamirim* Behot. 1, *Thamirin* Behot. 2, *Ethedi* Venett. 3, 4, et Behot, 2, *Eehe-*

Terga coronati: Danaus caput amputat Hebri.
Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras
Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores.
Stratus humo gelida subter juga fida rotasque
Palpetus Aonios gramen gentile metentes
Proflatu terrebat equos: madida ora redundant,
Accensusque mero sopor æstuat: ecce jacentis
Inachius vates jugulum fodit; expulit ingens
Vina cruor, fractumque perit in sanguine murmur.
Fors illi præsaga quies, nigrasque gravatus
Per somnum Thebas, et Thiodamanta videbat.
    Quarta soporiferæ superabant tempora nocti,
Quum vacuæ nubes, et honor non omnibus astris,

cli Bebot. 1. — Reg. B habet, *Implicitum fratri Thamyrin*, etc. Reg. C nostram lect. En. — *Implicitum*. Dum dormiunt, mutuis se tenent amplexibus. — *Haurit*. Perfodit, penetrat. Lact.

315. *Terga coronati. Terga. Coronati D. c. a. Hebri* optimæ Barthii membranæ. — *Coronati*. Coronati enim edebant.

316. *Nescius heu*. Scribendum ex optimo libro: *Nescius hic*. Pertinent autem hæc ad levitatem mortis, quam levissimam accidere aiunt amputato capite. *Nescius*, quia dormiens interficitur. — *Hilaris*, quia sine sensu doloris fato concedit.

318. *Stratus humo gelida subter juga fida rotasque*. Reg. B habet, *Stratus humo gelidas subter juga fida rotasque*.

319. *Palpetus. Calpetus*. Put.

320. *Proflatu*. Anhelitu. Virgil. Æneid. IX, 326: « toto proflabat pectore somnum. » En.

321. *Accensusque mero sopor æstuat: ecce jacentis*. In eodem Put. codice: *ecce tacentis*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. En.

322. *Inachius vates*. Thiodamas Argivus. — *Expulit ingens Vina cruor*. Vide Homerum in cæde Procorum.

323. *Fractumque perit*. Succisum, interruptum. Voluit enim proloqui; sed morte interveniente non potuit. Lactant.

324. *Nigras*. Nigris vestibus indutas ob suam mortem.

325. *Thiodamanta*. In somno enim plerumque admonemur de malis instantibus.

326. *Q. s. s. tempora nocti*. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Basil. et Plant. *tempora noctis*; Lang. Laur. Buslid. Behot. 2, Lindenbr. nonnulli et recentt. *tempora nocti*. — Vide Excursum ad calcem hujusce lib. En.

327. *Et honor non omnibus astris*. Id est, jam astra perdebant suam lucem, vicino scilicet sole.

Afflatusque fugit curru majore Bootes.
Jamque ipsum defecit opus, quum providus Actor
Thiodamanta vocat : « Satis hæc inopina Pelasgis
Gaudia : vix ullos tanto reor agmine sævam
Effugisse necem, ni quos deformis in alto
Sanguine degeneres occultat vita : secundis
Pone modum : sunt et diris sua numina Thebis.
Forsitan et nobis modo quæ favere, recedunt. »
Paruit, et madidas tollens ad sidera palmas :
« Phœbe, tibi exuvias monstratæ præmia noctis,
Nondum ablutus aquis, tibi enim hæc ego sacra litavi,

328. *A. f. curru majore Bootes.* Unus Behot. *cursu majore.* — *Bootes.* Bootes signum cæleste constans 22 stellis. Arabibus *Alhava* ceu *vociferator*, quasi scriptum esset *βοωτὴς*, non *βοώτης*, quod significat *bubulcum ;* vocant etiam *Assamech arromhhe*, id est, *deferens lanceam* : hujus inter crura micat stella informis primæ magnitudinis, Arcturus Græcis Latinisque, Arabibus autem *Arrame* dictus. A Theone in media Zona collocatur. — *Curru majore.* Solis scilicet : et hic mentionem facit solis, quia Booti currus etiam est, quem sequitur.

329. *Defecit opus.* Defecerunt, qui occiderentur.

332. *Effugisse necem, ni quos deformis in alto.* Lang. Busl. Dan. Petav. et edd. vett. *nisi quos.* — Reg. B habet, *Effugisse necem, hi quos deformis in alto;* Reg. C nostram lect. Ed.

335. *F. e. n. m. quæ favere, recedunt.* Lipsian. Taurin. et nonnulli codd. Lindenbrogii *recedent.* Jortinus conj. *recedant.* — *Recedunt.* Alii *recedent.*

336. *Madidas.* Cruore perfusas.

337. *Monstratæ præmia noctis.* Quia supra dixit ab eo se fuisse admonitum.

338. *Nondum ablutus aquis.* Sacra enim attingere nefas erat post cædem, aut funus, nisi prius flumine vivo aut aqua abluerentur. Interpretes Sophoclis in Ajace : Ἔθος ἦν παλαιοῖς, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπων, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, τὰς ὕδατι ἀπονίπτειν χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. « Mos erat veteribus post cædem hominum, aut alterius animalis, manus abluere ad purgandum piaculum. » Virgil. Æneid. II, vs. 720 : « Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates : Me bello e tanto digressum, et cæde recenti, Attrectare nefas, donec me flumine vivo Abluero. » — *Litavi.* Verbum hoc active etiam usurpatum, ut apud Nostrum Silv. III, 3, 213 : *Sacra litabit.* Propertius, lib. IV, El. 1, « Pastor et ad calamos exta libabat ovis. » Virgilius, Æneid. IV, vs. 50 : « Sacrisque litatis. » Ammianus Marcellin. lib. XXIX, « Litato numine. »

Trado ferus miles tripodum, fidusque sacerdos.
Si non dedecui tua jussa, tulique prementem,
Sæpe veni : sæpe hanc dignare irrumpere mentem.
Nunc tibi crudus honos, trunca arma, cruorque virorum :
At patrias si quando domos, optataque, Pæan,
Templa, Lycie, dabis, tot ditia dona sacratis
Postibus, et totidem voti memor exige tauros. »
Dixerat, et lætis socios revocabat ab armis.

339. *Trado ferus miles*, etc. *Turdo ferus* unus Behot.

340. *Si non dedecui*. Si monitus tuos non indecenter effeci, sive non dehonestavi. — *Tulique prementem*. Pertuli urgentem, quia vatis præceptum impetiit numen.

341. *Hanc dignare irrumpere mentem*. Dixerat Lucanus quem imitatur Noster, Pharsal. V, 166 et sqq. « non unquam plenior artus Phœbados irrupit Pæan. » Vide notata ad Sil. Italic. Punic. III, 697, nost. edit. tom. I, p. 220.

342. *N. t. c. h. trunca arma, cruorque virorum*. Optimus Barth. *trunci, arma*, etc. — *Crudus honos*. Cruentus a nobis præbetur.

343. *At patrias si quando domos, optataque, Pæan*. Reg. B habet, *Ad patrias si quando*, etc. Reg. C nost. lection. Ed. — *At patrias si quando domos*. Si nos feceris ad patriam remeare. Lact. — *Pæan*. Cognomen Apollinis.

344. *Templa, Lycie, dabis*. *Templa dabis Lycie* in quibusdam codd. *Templa, Lycæe, dabis* Behott. 1, 2, *Templa Dicie dabis* optimus Barthianus. — *Lycie*. Apud Argos Apollo cultus sub titulo Lycii. Sophoclis interpres eam rationem hujusce affert cognominis. Danaus Ægypto profugus Argos appulit, ibique contra Gelanorem pugnaturus, in litore taurum conspicatus est cum lupo certantem. Omen arripuit, atque lupi personam sibi induit, qui peregre delatus veteres incolas exturbarit : itaque pugnæ eventu expectato, quum superior lupus extitisset, adversus Gelanorem, qui tum rerum potiebatur, inito prælio, victor, ex voto Apollini *Lycio*, ἀπὸ τοῦ λύκου, ædem erexit, ac lupi contra taurum præliantis expressam ære effigiem in foro statuit. Historiam narrat in Pyrrho Plutarchus, et Pausanias addit victimæ rationem. — *Postibus*. Quia postibus templorum apponebantur munera, quæ Diis dabant.

345. *Postibus, et totidem voti memor exige tauros*. « In eodem optimo omnibusque cæteris nostris codd. expressim scriptum est : *non immemor exige tauros*. » Barth. — *Et totidem exige tauros*. Id est, tot tauros deposce, quot hostes occidi. Et hoc ex ritu, taurus enim Apollini Lycio immolabatur, ut vidimus supra ex Pausania.

346. *Dixerat, et lætis socios revocabat ab armis*. Dan. Behot. 1, duo Barthiani, plerique et Delph. *lætis*; optimus Barthianus, Behot. 2, Aldd. Colin. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *lætus*. Dan. Put. Lipsian.

Venerat hos inter fato Calydonius Hopleus
Mænaliusque Dymas, dilecti regibus ambo,
Regum ambo comites, quorum post funera mœsti
Vitam indignantur: prior Arcada concitat Hopleus:
« Nullane post manes regis tibi cura peremti,
Care Dyma? teneant quem jam fortasse volucres
Thebanique canes: patriæ quid deinde feretis,
Arcades? en reduces contra venit aspera mater:
Funus ubi? at nostro semper sub pectore Tydeus
Sævit inops tumuli: quamvis patientior artus
Ille, nec abruptis adeo lacrimabilis annis.
Ire tamen, sævumque libet nullo ordine passim
Scrutari campum, mediasque irrumpere Thebas. »
Excipit orsa Dymas: « Per ego hæc vaga sidera juro,

unus Behot. aliique nonnulli: *revocavit ab armis?*

347. *Fato.* Quia uterque periturus. — *Calydonius.* A Calydone urbe Ætoliæ, id est, Ætolus. — *Hopleus.* Armiger Tydei. Vide lib. IX, v. 205.

348. *Mænalius.* Arcas a Mænalo monte Arcadiæ. — *Regibus.* Tydeo et Parthenopæo.

350. *Vitam indignantur.* Malentes mori, quam vivere. Vet. Schol. Ait, non ferebant æquo animo superstites esse suis regibus. Sic infra hoc libro vs. 774: « insignemque animam mucrone corusco Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri Arripit. » Ad finem lib. XI, 741: « Sævumque minatur Indignans veniam. » BARTH.

352. *Care Dyma? teneant quem jam fortasse volucres.* In optimo codice Barthii: *quem jam teneant.*

353. *Theb. can. patriæ quid deinde feretis.* In eodem Barth. codice clare scriptum est: *quid deinde refertis.*

354. *Arcades? en reduces.* Unus Behot. *an reduces.* — *En.* Finge te redire domum, et obviam venire matrem.

355. *Funus ubi? at nostro semper sub pectore Tydeus.* Reg. B habet, *Funus ubi ad nostros? semper sub pectore Tydeus;* Reg. C nost. lectionem exhibet. En.

356. *Patientior artus.* Figurata locutio; quamvis patientiores artus habeat. Id est, Tydei membra dura sunt, et non cito tabescent, nec adeo, utpote ætate provectior quam adolescens Parthenopæus, multis est lacrimis dignus.

357. *Adeo lacrimabilis.* Quia Parthenopæus florenti ætate periit; Tydeus jam matura.

359. *Medias Thebas.* Etiamsi mediæ Thebæ sint irrumpendæ.

360. *Vaga sidera.* An stellas, an planetas?

Per ducis errantes instar mihi numinis umbras,
Idem ardor misero : comitem circumspicit olim
Mens humilis luctu : sed nunc prior ibo : » viamque
Inchoat, et mœsto conversus ad æthera vultu
Sic ait : « Arcanæ moderatrix Cynthia noctis,
Si te tergeminis perhibent variare figuris
Numen, et in silvas alio descendere vultu,
Ille comes nuper, nemorumque insignis alumnus,
Ille tuus, Diana, puer (nunc respice saltem)
Quæritur : » incendit pronis Dea curribus almum
Sidus, et admoto monstravit funera cornu.
Apparent campi, Thebæque, altusque Cithæron.
Sic ubi nocturnum tonitru malus æthera frangit

361. *Per ducis errantes instar mihi numinis umbras.* Reg. B habet, *Per ducis errantis instar*, etc. et supra correctum aliena manu, *errantes;* Reg. C nostr. lect. Ed. — *Errantes.* Quia nondum sepultus Parthenopæus. Animas enim eorum, qui sepultura carebant, errare veteres credebant.

362. *Idem ardor misero.* Reg. B habet, *Idem animus misero;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Idem ardor misero.* Eadem ego quoque cupiditate succendor. Lact.

363. *Mens humilis.* Debilitatus animus. Lact.

365. *Arcanæ.* Secretæ noctis domina. Lact. — *Cynthia.* Luna, quæ eadem ac Diana, a Cyntho Deli monte, in quo Diana nata dicitur.

366. *Tergeminis figuris.* Vel id refertur ad phases lunæ; primo enim in cornua curvatur, deinde dimidiato orbe apparet, post pleno : vel quod veteribus una eademque sit Luna, Diana, Proserpina : hinc *variare figuras* dicitur, et sub forma Dianæ in nemora descendere.

369. *I. t. D. p.* (*nunc respice saltem*). Dan. Put. et edd. vett. *saltim.*

370. *Quæritur : incendit pronis Dea curribus almum.* « Fatua lectio *incendit.* Vera est in unico illo libro, *intendit.* » Barth. Marklandus ad Silv. I, 2, 45 legendum putat : *incendit pronis Dea cornibus almum Sidus, et admoto monstrabat funera curru*, ut Theb. XII, 305.

371. *Sidus, et admoto monstravit funera cornu.* Put. *monstrabit sidera cornu;* Behot. 1, *monstrabit funera curru*, et pro v. l. *cornu.* — Reg. B habet, *et admoto monstravit sidera cornu;* Reg. C, *monstravit funera cornu.* — *Funera.* Corpora Tydei et Parthenopæi.

372. *Apparent campi.* Mira emphasis est in *apparendi* verbo. Virgil. Æneid. II, 483 : « Apparet domus intus, et atria longa patescunt : Apparent Priami et veterum penetralia regum. »

Juppiter, absiliunt nubes, et fulgure claro
Astra patent, subitusque oculis ostenditur orbis.
Accepit radios, et eadem percitus Hopleus
Tydea luce videt: longe dant signa per umbras
Mutua lætantes, et amicum pondus uterque,
Ceu reduces vitæ, sævaque a morte remissos,
Subjecta cervice levant: nec verba, nec ausi
Flere diu: prope sæva dies, indexque minatur
Ortus: eunt taciti per mœsta silentia magnis
Passibus, exhaustasque dolent pallere tenebras.
Invida fata piis, et fors ingentibus ausis
Rara comes: jam castra vident, armisque propinquant,

374. *Juppiter, absiliunt nubes, et fulgure claro.* Lang. Laur. Lips. et edd. vett. *assiliunt.* Unus Behot. *tunc fulgure claro.* — Reg. B, *Juppiter, adsiliunt nubes* præbet; Reg. C nostr. lect. Ed.

375. *Astra.* Pro cælo: nam dissilientibus nubibus cælum patet. — *Ostenditur orbis.* Mundus apparet. Lactant.

376. *A. r. e. e. percitus Hopleus.* Unus Behot. *concitus Hopleus.* — *Accepit radios.* Id est, Dymas. — *Eadem percitus Hopleus.* Eadem luce qua radios acceperat Dymas.

377. *Dant signa.* Significant sibi invicem se quæsita invenisse cadavera.

378. *Amicum pondus.* Id est, corpora eorum quos amabant.

379. *Ceu reduces.* Tantus amor et veneratio erat, ut non minus gauderent cadaveribus repertis, quam si vivis denuo ministrare possent. Vet. Schol.

380. *Subjecta cervice levant.* Pul. *cervice lavant.* — Reg. B habet hanc lectionem, Reg. C nostram. Ed. — *Nec verba, nec ausi.* Papinianus loquendi modus. Lib. VIII, v. 62, *Ausus iter. Audere bella.* Sic apud Tacitum, Hist. I, 48: « In principiis stuprum ausa. »

381. *Sæva dies.* Quia eos proditura est, et exitium allatura. — *Indexque minatur.* Adventus diei raptorum cadaverum proditionem minatur. Lactant.

382. *O. e. t. per mœsta silentia magnis.* Dan. *per multa silentia.*

383. *Exhaustas.* Finitas. — *Pallere tenebras.* Lucis adventu noctem finiri. Lact.

384. *Invida fata piis, et fors ingentibus ausis.* .*Invida fatidici sed fors*, etc. Pul. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. — *Et fors ingentibus ausis.* Inviderunt viris fortibus fata, quibus semper rarus felicitatis est eventus. Lact. — Vide pag. 670, tom. I Stat. Ed.

385. *Rara comes: jam castra vident, armisque propinquant.* Lang. Laur. Lipsian. Pot. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Lindenbr. et Gevart. *animisque propinquant*; Amstel.

Et decrescit onus; subiti quum pulveris umbra,
Et sonus a tergo : monitu ducis acer agebat
Amphion equites, noctem vigilataque castra
Explorare datus, primusque per avia campi
Usque procul, nec dum totas lux solverat umbras,
Nescio quid visu dubium, incertumque moveri,
Corporaque ire videt : subitus mox fraude reperta
Exclamat : « Cohibete gradum quicunque : » sed hostes
Esse patet : miseri pergunt anteire, timentque
Non sibi : tunc mortem trepidis minitatur, et hastam
Expulit, ac vanos alte levat eminus ictus,
Affectans errare manus : stetit ille Dymantis
Ante oculos, qui forte prior, gressumque repressit.
At non magnanimus curavit perdere jactus

Gronov. Barth. et Veen. *armisque propinquant.* — Reg. B habet, *animisque propinquant;* Reg. C nostram lect. En. — *Armisque* (*animisque*) *propinquant.* Animorum seilicet cupidine : licet enim adhue non parvo abessent intervallo, spe tamen, et properandi studio, jam sibi castra tenere videbantur.

386. *Et decrescit onus.* Id est, spe jam confectæ viæ minuebatur corporum pondus.

387. *Et sonus a tergo. Fit sonus* Behott. 1, 2, Put. Petav. Aldd. Colin. Lindenbrog. et Cruc. *It sonus* Dan. *Et sonus* Lang. Laur. Buslid. et edd. recentt.

389. *Explorare datus. Explorata datus* Put.

390. *Usque procul*, etc. *Usque procul* omnes scripti editique. Heinsius in Advers. p. 764, legendum putat : *primusque per avia campi Tesqua procul.*

391. *N. q. v. d. incertumque moveri.* Unus Behot. *incertumque videri*, et pro v. l. *moveri.* — *Incertumque moveri.* Exprimit quemadmodum in tenebris aliquid videtur.

392. *Corporaque ire videt*, etc. *Corpora ab inde videt* optimæ Barthii membranæ, quod ille probat.

393. *Sed hostes Esse patet.* Verba poetæ.

394. *E. p. miseri pergunt anteire, timentque.* Unus Behot. pro *timentque* habet *timentes.* — *Timentque Non sibi.* Sic Virgil. Æneid. II, 729 : « comitique onerique timentem. »

396. *Expulit, ac vanos alte levat eminus ictus. Expulit et vanos interlevat* in eodem Behot. codice.

397. *Affectans errare manus. Affectans errare manum* Exc. Cantab. et Petrens. *Affectatque errare manum* Burmann. — *Affectans errare manus.* Non percutientis animo.

399. *Curavit perdere jactus.* Emisit enim occidendi animo.

Æpytus, et fixo transverberat Hoplea tergo,
Pendentesque etiam perstrinxit Tydeos armos.
Labitur, egregii nondum ducis immemor, Hopleus,
Exspiratque tenens : felix, si corpus ademtum
Nesciat, ac sævas talis descendat ad umbras.
Viderat hoc retro conversus, et agmina sentit
Juncta Dymas, dubius precibusne subiret, an armis
Instantes : arma ira dabat; fortuna precari,
Non audere jubet : neutri fiducia cœpto.
Distulit ira preces : ponit miserabile corpus
Ante pedes : tergoque graves, quas forte gerebat
Tigridis exuvias in lævum torquet, et obstat

400. *Æpytus.* Unus et præcipuus comitum Amphionis. Vetus. Schol. Eumdem Æpytum portam unam ex Thebanis statione statuisse memoratur, lib. XI, vs. 239, « Nuntius exanimi suspensus pectora cursu Æpytus ad Regem, portæ statione relicta, Tendit. » Quo loco suspensus illud Horatianum explicat non bene a J. Scaligero notatum, lib. I, od. 15, 31 : « Sublimi fugias mollis anhelitu. » Barth.

401. *Pendentesque etiam. Pendentisque* Behott. 1, 2, unus codex Bernartii et Venett. 3, 4. — *Pendentesque*. Alias *Pendentisque*.

402. *Labitur, egregii nondum ducis immemor, Hopleus.* Dan. Put. Petav. *ducis nondum;* Laug. Busl. Aldd. Plant. Gevart. Lindenbrog. et Cruc. *sed non ducis;* Behott. 1, 2, et edd. recentt. *nondum ducis.*

403. *Felix, si corpus ademtum Nesciat.* Nam haud ferret hunc dolorem in Inferos, corpus domini in potestatem hostium venisse.

404. *Nesciat, ac sævas talis descendat ad umbras.* Put. *descendit.* — Reg. B habet, *Nesciat, et sævas talis descendit ad umbras;* Reg. C, *Nesciat et sævas talis descendat ad umbras.* — *Nesciat*. Si non sentiat interventu mortis amici sibi corpus auferri. Lactant.

406. *Juncta Dymas.* Amphioni et Æpyto qui præcesserant. Lact.

408. *Neutri fiducia cœpto.* Id est, nullam habebat fiduciam, sive pugnaret, sive precaretur, se e tali periculo evasurum, et corpus domini conservaturum, id quod magis in votis habebat.

409. *D. i. p. ponit miserabile corpus.* Unus Behot. *posuit miserabile corpus.*

410. *Ante pedes : tergoque graves, quas forte gerebat.* In eodem Behot. eod. *quas forte regebat.* — Reg. B, *quas forte ferebat;* Reg. C nostram lect. Ed.

411. *Tigridis exuvias in lævum torquet, et obstat.* Put. *in levam;* et ita optimæ Barthii membr. — Reg. B, *in lævam;* Reg. C nost. lect. Ed. — *In lævum torquet.* Lævam manum involvit pelle tigridis.

Exsertum objectans mucronem, inque omnia tela
Versus, et ad cædem juxta, mortemque paratus:
Ut lea, quam sævo fœtam pressere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta superstat
Mente sub incerta, torvum ac miserabile frendens.
Illa quidem turbare globos, et frangere morsu
Tela queat, sed prolis amor crudelia vincit
Pectora, et a media catulos circumspicit ira.
Et jam læva viro, quamvis sævire vetaret
Amphion, erepta manus, puerique trahuntur
Ora supina comis: serus tunc denique supplex
Demisso mucrone rogat: « Moderatius, oro,

413. *Ad cædem juxta, mortemque paratus.* Desperatione scilicet vitæ, et ad occidendum, et ad moriendum erat paratus.

414. *Ut lea.* Simili comparstione usus est etiam in animositate Hippomedontis, dum Tydei cadaver ab hostibus defensaret, Theb. IX, v. 116: « Imbellem non sic amplexa juvencum, Infestante lupo, tum primum fœta tuetur Mater. » LACT. — *Ut lea.* A summo amore hujns feræ erga liberos sen scymnos hanc potius nominavit, quam patrem Leonem. Ita eidem illam præferunt alii. Valer. Flaccns, lib. III, v. 737 et sqq. « Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtæ Terga dedit, sedet inde viis, inclusaqne longa Pervigilant castella metu: dolor attrahit orbes Interea, et misero manat juba sordida tabo. » Ubi Juba ποιητικῶς omnem notat prolixiorem comam Leonis aut villos ipsos. BARTH. — Vide pag. 190, tom. I nost. ed. ED.

415. *Numidæ.* Populi interioris Africæ, quæ nunc vocatur *Biledulgerid.*

416. *Mente sub incerta,* etc. *Mente sui incerta* correxit Nic. Heinsius in Advers. lib. II, cap. 3, p. 229. Omnes tamen libri et scripti et impressi habent: *Mente sub incerta*, ut agnoscit Heinsius ibidem.

419. *Pectora, et a media catulos circumspicit ira.* Lang. Bnsl. Lips. Put. Bebott. 1, 2, et edd. vett. et *in media.* « Optimi codd. habent: *et a media:* idqne agnoscunt glossæ. » BARTH. Ita etiam edd. recentt.

420. *Et jam læva viro.* Jam manus sinistra Dymanti fnerat præscissa, licet hoc instantins probiberet Amphion. LACTANT.

421. *Amphion, erepta manus, puerique trahuntur. Amphion erecta manus* Put. — *Pueri.* Parthenopæi.

422. *O. s. c. serus tunc denique supplex.* In eodem Pnt. codice: *sero tunc.*

423. *D. m. r. Moderatius, oro.* « In optimo aliisque duobns libris *moderantius* legitur. Quæ scriptnra utique non est librariorum, sed Papiniana. » BARTH.

Ducite; fulminei per vos cunabula Bacchi,
Inoamque fugam, vestrique Palæmonis annos.
Si cui forte domi natorum gaudia, si quis
Hic pater, angusti puero date pulveris haustus,
Exiguamque facem : rogat, en rogat ipse jacentis
Vultus : ego infandas potior satiare volucres.
Me præbete feris : ego bella audere coegi. »
« Immo, ait Amphion, regem si tanta cupido
Condere, quæ timidis belli mens, ede, Pelasgis,
Quid fracti, exsanguesque parent : cuncta ocyus effer,
Et vita, tumuloque ducis donatus, abito. »
Horruit, et toto præcordia protinus Arcas
Implevit capulo. « Summumne hoc cladibus, inquit,
Deerat, ut afflictos turparem ego proditor Argos?

424. *Ducite; fulminei per vos cunabula Bacchi*. Reg. B, *Ducite fulminei parvos cunabula Bacchi* exhibet; Reg. C nostram lect. En.

425. *Inoamque fugam*. Quia quum Ino se præcipitaret in mare, meruit numen fieri. — *Vestrique*. Ad incutiendam misericordiam hostibus, per infantiam numinis adjurat, ut Parthenopæi pueritiæ parceretur.

27. *Angusti pulveris haustus*. Hæc enim *sparsio* loco sepulturæ habebatur urgente necessitate. Horatius de Archyta lib. I, ode 28 : « Te maris, et terræ, numeroque carentis arenæ Mensorem cohibent, Archyta, Pulveris exigui prope litus parva Matinum Munera. » Et postea : « Quamquam festinas, non est mora longa, licebit, Injecto ter pulvere, curras. » Id quod ex lege Attica ductum videtur.

428. *E. f. rogat, en rogat ipse jacentis*. Unus Behot. *hoc rogat ipse*. — *Exiguamque facem*. Ignem rogalem. — *Rogat ipse jacentis Vultus*. Quia dixerat illum superius *supinum trahi;* solent enim supplices jacere.

429. *Vultus : ego infandas potior satiare volucres*. Markland. ad Silv. I, 2, 41, legit : *infandos*.

431. *I. a. A. regem si tanta cupido*. Unus Behot. *si tanta cupido est*. — *Immo ait Amphion*. Adhuc ignoravit Amphion exstinctos vigiles suos. Lact.

432. *Belli mens*. Quid jam consilii de bello, prosequendo, an deserendo, habeant; Vet. Schol.

433. *Quid fracti, exsanguesque parent*. Dan. et Behott. 1, 2, *parant*.

435. *Horruit*. Elegantissimum πάθος.

437. *Deerat, ut afflictos turparem ego proditor Argos?* Lang. Laur. Put. Pet. unus Behot. et edd. vett. *turbarem;* alter Behot. Dan. Caut. et Petr. *turparem :* et ita ex codd. emendat Gevartius, probante Han-

Nil emimus tanti, nec sic velit ipse cremari. »
Sic ait, et magno proscissum vulnere pectus
Injecit puero, supremaque murmura volvens:
« Hoc tamen interea caro potiere sepulcro. »
Tales optatis regum in complexibus ambo,
Par insigne animis, Ætolus et inclytus Arcas,
Egregias efflant animas, letoque fruuntur.
Vos quoque sacrati, quamvis mea carmina surgant
Inferiore lyra, memores superabitis annos.

dio ad Silv. I, 3, 102. — Reg. B habet, *Derat, ut adflictos turbarem ego proditor Argos;* Reg. C nostr. leet. Eu. — *Ut afflictos turbarem ego proditor Argos?* Veteres, uec dubito quin sincerius, *turparem ego.* Lucret. libro I, 85, « Aulide qno pacto Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine fœde Ductores Danaum deleeti. » Vetus Poeta apud Cic. Tusc. Quæst. lib. 1, « Hæc omuia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Jovis aram sanguiue turpari. » Tacit. Hist. V, 4: « Sue abstinent, memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat. » Bern. — Vide p. 124, tom. I nost. edit. Eu.

438. *Nil emimus tanti, nec sic velit ipse eremari. Nil eminus tanti* Laug. Laur. Buslid. Aldd. Colin. Basil. et Plant. — Reg. B, *Nil emimus tanti nec sic velit iste cremari* præbet; Reg. C, *nec sic velit ille eremeri.* Eu. — *Nil emimus tanti, nec sic velit ipse cremari.* Houor enim omni forti viro vita earior est; nam, ut ait Juvenal. Sat. VIII, v. 84, « Summum crede uefas auimum præferre pudori, Et propter vitam viveudi perdere eausas. » Hinc Dymas exolamat, *nihil tanti emere* velle, seilicet honoris amissione, ac civium proditioue, idemque de Partheuopæo seutire debebat.

440. *I. p. supremaque murmura volvens.* Petreus. *supremaque vulnera.*

441. *Hoe tamen interea earo potiere sepulero.* Behott. 1, 2, *earo potiare sepulchro;* Aldd. Colin. Basil. multique eodd. *claro potiere sepulchro.* — Reg. B habet, *Hoc tamen interea et tu potiore sepulchro,* et supra eorreetum, *potiare;* Reg. C habet, *Hoe tamen interea elaro pouere sepulehro.* En. — *Caro.* Alia leetio, *elaro.*

442. *Tales optatis regum* in *complexibus ambo.* Unus Behot. *regum complexibus.*

444. *Letoque fruuntur.* Id est, mortem aeeeptissimam ae gratissimam habuere.

445. *Vos quoque saerati.* Imitatio Virgilii Æneid. IX, v. 446: « Fortunati ambo, si qnid mea carmina possuut, Nulla dies uuquam memori vos eximet ævo. » Totus enim hie loeus de Hopleo et Dymante adumbratus est e Virgiliana fabula Nisi et Euryali. Vide Æn. IX notata nost. edit. tom. IV, p. 46. Eu.

446. *Inferiore lyra.* Nam Papi-

Forsitan et comites non aspernabitur umbras
Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi.
At ferus Amphion, regi qui facta reportent,
Edoceantque dolum, captivaque corpora reddant,
Mittit ovans: clausis ipse insultare Pelasgis
Tendit, et abscisos sociorum ostendere vultus.
Interea reducem murorum e culmine Graii
Thiodamanta vident: nec jam erumpentia celant
Gaudia, ut exertos enses, et cæde recenti
Arma rubere notant: novus assilit æthera magnus
Clamor, et e summo pendent cupida agmina vallo
Noscere quisque suos: volucrum sic turba recentum

nius, etsi magnifice seotiret de sua Thebaide, semper tamen ei præfert Æneida, eique præscribit, ut non tentaret divinam Æneida, sed longe sequeretur, et semper ejus vestigia adoraret. — *Memores superabitis annos.* Virtutis vestræ gloria temporum longitudo vincetur. LACTANT.

448. *Admittet.* Suscipiet, id est, participes suæ gloriæ faciet. LACT.

449. *Regi.* Eteocli.

450. *Dolum.* Raptorum regiorum cadaverum. Nam cædem suorum nondum resciverat Amphion, ut clarum faciunt sequentia. *Vet.* Sch. — *Captivaque corpora.* Tydei et Parthenopæi.

451. *Mittit ovans: clausis ipse insultare Pelasgis.* Reg. B habet, *Mittit ovans clusis ipse insultare Pelasgis*, Reg. C nostram lect. Eo.

452. *Tendit, et abscisos sociorum ostendere vultus.* Multi codd. et edd. vett. *abscissos.* « Omnes meliores codd. hic et alibi uno sigmate scribunt hanc vocem. » BARTHIAN. — *Abscissos.* Capita Dymantis et Hoplei. Vet. Scholiast. — *Et abscissos sociorum ostendere vultus.* Sicut Euryali et Nisi apud Virgilium Æneid. IX.

454. *Thiodamanta vident. Theodomanta* unus Behot. *Thyodamanta* edd. vett. — *Erumpentia.* Non possunt celare gaudia vi erumpentia. Sæpe tanta vis est lætitiæ, ex inopinatis casibus ortæ, ut cogat voce rem confiteri.

455. *Gaudia, ut exertos enses, et cæde recenti.* Dan. *et cæde recentum.* — Reg. B, *Gaudia, ut exortos enses, et cæde recenti* exhibet; Reg. C nostram lect. Eo.

456. *Arma rubere notant: novus assilit æthera magnus.* Optimæ Barthii membranæ, Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *æthera magnum.* « Forte legas melius: *totum assilit æthera magnus Clamor.* » BARTH. — Reg. B habet, *Arma rubere notant: tunc adsilit æthera magnus;* Reg. C nostr. lect. Eo. — *Arma rubere.* Sanguine perfusa rubescere. LACT.

458. *Recentum.* Pullorum.

Quum reducem longo prospexit in æthere matrem,
Ire cupit contra, summaque e margine nidi
Exstat hians: jamjamque cadat, ni pectore toto
Obstet aperta parens, et amantibus increpet alis.
Dumque opus arcanum, et taciti compendia Martis
Enumerant, lætisque suos complexibus implent,
Hopleaque exquirunt, tardumque Dymanta queruntur,
Ecce et Dirceæ juxta dux concitus alæ
Venerat Amphion: non longum cæde recenti
Lætatus, videt innumeris fervere catervis
Tellurem, atque una gentem exspirare ruina.
Qui tremor illicita cæli de lampade tactos,
Hic fixit juvenem, pariterque horrore sub uno

459. *Quum reducem longo prospexit in æthere matrem.* « In optimo alioque libro est *ab æthere*; quod saoe melius. » BARTH. — Reg. B habet, *prospexit in aere matrem*; Reg. C, *in æthere*. ED.

460. *Ire cupit contra, summaque e margine nidi.* Put. *summique*; pauci codd. *summoque*. — Reg. B præbet, *summique*; Reg. C, *summoque*. ED.

461. *E. h. jjq. cadat, ni pectore toto.* Edd. vett. *in pectore*. Bernartius correxit.

462. *O. a. p. et amantibus increpet alis.* Unus Behot. *increpat alis.* — *Aperta.* Alis extensis. — *Increpet.* Percutiendo alas, pullos suos a casu prohibeat.

463. *Opus arcanum.* Quod noctu effecerant. — *Taciti compendia Martis.* Bellum enim pæne confecerant, sine suo dispendio ac detrimento.

465. *Tardum.* Quia morabatur, nec cum aliis veniebat.

466. *Ecce et Dirceæ juxta dux concitus alæ.* Reg. B habet, *Ecce et Dirchææ*, etc. Reg. C, *Ecce ad Dirceas juxta dux concitus alas.* ED. — *Dirceæ.* Thebanæ.

467. *Cæde recenti.* Hoplei et Dymantis.

469. *Tellurem, atque una gentem exspirare ruina.* Reg. B habet, *Tellurem atque una gentem exspirare ruinam.* ED.

470. *Qui tremor illicita cæli de lampade tactos.* Unus Behot. *tactos de lampade cæli.* — Reg. B habet, *cæli de lampade tactis*; Reg. C eamdem lect. ED. — *Qui tremor.* Tali tremore perculsus est, qualis solet invadere fulminatos. LACTANT. — *Illicita cæli de lampade tactos.* Hos Græci ἐμβροντήτους vocant. *Illicita* vero *lampas*, est fulmen, quia non licebat adire loca fulmine percussa, unde a Persio *evitanda* dicuntur. Aliqui autem legunt *Elicia*, unde *Elicius* Juppiter fulminans.

471. *Fixit.* Fulminati enim maxime stupent. Seneca Nat. Quæst. lib. II, cap. 27, « Quo edito (fra-

Vox, acies, sanguisque perit, gemitusque parantem
Ipse ultro convertit equus: fugit ala retorto
Pulvere: nondum illi Thebarum claustra subibant,
Et jam Argiva cohors nocturno freta triumpho
Prosilit in campos: per et arma, et membra jacentum,
Tetraque congerie sola, semianimumque cruorem
Cornipedes, ipsique ruunt: gravis exterit artus
Ungula, sanguineus lavat imber, et impedit axes.
Dulce viris hac ire via, ceu tecta superbi
Sidonia, atque ipsas calcent in pulvere Thebas.
Hortatur Capaneus: « Satis occultata, Pelasgi,
Delituit virtus: nunc nunc mihi vincere pulchrum
Teste die: mecum clamore et pulvere aperto

gore scilicet tonitrus) concidunt homines et exanimantur. Quidam vero vivi stupent, et in totum sibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes sonus ille loco pepulit. »

472. *Vox, acies, sanguisque perit, gemitusque parantem.* Reg. B, *Vix acies, sanguisque perit, gemitusque parentem*, et supra correctum, *parentum;* Reg. C, *Vox acies s. perit gemitusque parentem.* Ed.

473. *Ipse ultro convertit equus.* *Ipse retro* in eodem codice. — *Ipse ultro convertit equus.* Ex fide librorum sic edi volui. Vulg. interpolatitie: *convertit equis.* Bernart. — *Retorto pulvere.* Retro contorto: nam pulvis illic erigitur quo homines. Lactant.

474. *Pulvere: nondum illi.* Alter Behot. *non illi.* — *Thebarum claustra.* De hoc loco vide notata ad Ovid. Met. IV, 86, nost. edit. tom. III, pag. 299. Ed.

475. *Et jam Argiva cohors.* *Et jam Argia* Dan.

477. *Congerie.* Sanguinis collectione. — *Semianimumque.* Semianimorum. Lactant.

478. *C. ip. r. gravis exterit artus.* Idem Dan. codex et uterque Behot. *exerit artus.*

479. *Ungula, sanguineus lavat imber, et impedit axes.* Put. *libat imber.* — Reg. B habet, *Ungula, sanguineus libat imber, et imperit axes*, et supra correctum, *impedit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Impedit axes.* A cursu retardat. Lact.

481. *Sidonia, atque ipsas calcent in pulvere Thebas.* Reg. C habet, *atque ipsas calcent in sanguine Thebas;* Reg. C nostram lect. Ed.

483. *Delituit virtus: nunc nunc mihi vincere pulchrum.* In eodem Put. codice: *nunc est mihi.* — Reg. B habet eamdem lect. Reg. C nostram. Ed. — *Delituit virtus.* Nocte per insidias pugnans. Lact.

484. *Teste die.* Sic Alexander Parmenioni intempesta nocte prælium committere suadenti respondit, « se victoriam referre, non fu-

Ite palam, juvenes : sunt et mihi provida dextræ
Omina, et horrendi stricto mucrone furores. »
Sic ait : ardentes alacer succendit Adrastus
Argolicusque gener : sequitur jam tristior augur.
Jamque premunt muros, et adhuc nova funera narrat
Amphion, miseramque intrabant protinus urbem,
Ni Megareus specula citus exclamasset ab alta :
« Claude, vigil : subeunt hostes : claude undique portas. »
Est ubi dat vires nimius timor : ocyus omnis

rari velle. » — *Pulvere*. Certamine.

485. *I. p. j. sunt et mihi provida dextræ*. Unus Behot. *et sunt mihi*. — *Sunt et mihi*. Sicut Thiodamanti. — *Provida dextræ*. Non avium aut Deorum : ut Virgilius, Æneid. X, v. 421 : « Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro. » Lact.

486. *Horrendi furores*. Timendus meus furor propter virtutem et strictum gladium, non illos fœmineos motus, quibus Apollo Thiodamantem instabat. Vet. Schol.

487. *Sic ait : ardentes alacer succendit Adrastus*. Reg. B habet, *Sic ait : ardentes alacer succedit Adrastus;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Alacer*. Paullum erectior quam ante, ob successum insidiarum.

488. *Argolicusque gener*. Princeps jam Argivorum, post obitum Tydei, Polynices, minime enim Thebanis favebat. Vet. Schol. — *Jam tristior*. Vel, ut ejus gaudii primus calor deferbuerat, vel quia prævidebat futuram calamitatem, nec prodere poterat. — Vide pag. 109, tom. II Poet. Lat. Min. Ed.

489. *Nova funera*. Recentem cladem ab Argivis noctu acceptam.

490. *Amphion, miseramque intrabant protinus urbem*. In optimo codice Barthii scriptum est *intrarant*.

491. *Specula ab alta*. Fœminino genere dixit. Lact. Vide pag. 603, tom. I Stat. Ed.

493. *Est ubi dat vires nimius timor : ocyus omnis*. Reg. B habet, *ocyus omnes*, et supra correctum, *omnis;* Reg. C nostram lect. Edit. — *Est ubi dat vires nimius timor*. Verissimum est : et, ut ocellus Historicorum Curtius inquit, lib. V, 4, 31 : « Ignaviam quoque necessitas acuit, et sæpe desperatio spei causa est. » Imbibet victor; et si sibi suisque consultum velit, nunquam spem omnem hosti abscindet. Bernart. — *Est ubi dat vires nimius timor*. Sententia nobilis, usu probata, extremam desperatamque iracundiam cavendam. Silius, lib. I, v. 509 : « Clausos acuunt extrema pericli, Et fractis rebus violentior ultima virtus. » Tacit. Hist. lib. III, 60 : « Esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent; acres, si desperasset. » Sallustius Catil. 58, « Necessitudo etiam timidos fortes facit. » Seneca de Clementia : « Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. » Joseph. lib. VI, Ἁλωσ. c. 13 :

Porta coit : solas dum tardius arctat Echion
Ogygias, audax animi Spartana juventus
Irrupit, cæsique ruunt in limine primo,
Incola Taygeti Panopeus, rigidique natator
OEbalus Eurotæ : tuque, o spectate palæstris
Omnibus, et nuper Nemeæo in pulvere felix,
Alcidama, primis quem cæstibus ipse ligarat
Tyndarides, nitidi moriens convexa magistri

Ἄμαχον εἶναι τὴν ἀπόγνωσιν οἷς εὐχὴ μὲν τῷ σιδήρῳ πεσεῖν. « Iuviucibilem esse despérationem in iis, quibus optatum est ferra procumbere. » Prudenter erga a Scipione Numantiam obsidente, « Non est permissa pugna perituris, » apud Florum II. — Vide natata ad Claud. XVIII in Eutrop. lib. I, v. 138 nost. edit. tom. I, pag. 503. Eo.

494. *Porta coit: solas dum tardius arctat Echion.* Bebot. 1, *dardius artat;* Behat. 2, *tardius artat.* — Reg. B habet, *artat Echion;* Reg. C, *Porta cohit*, etc. Eo.

495. *Ogygias, audax animi Spartana juventus.* Reg. B habet, *audax animis;* Reg. C eamdem lect. En. — *Ogygias.* Ogygiæ nomen unius e partis Thebarum. — *Audax animis Spartana juventus.* Credo scripsisse auctorem : *audax animi Spartana.* Et sane ita liber optimus.

496. *Irrupit*, etc. *Irrumpit* unus Behot.

497. *Incola Taygeti. Incola Tageti* eodd. Lindenbragii. — *Taygeti.* Moutis Lacaniæ. — *Rigidi Euratæ.* Eurotas Lacaniæ fluvius. — *Rigidi natator OEbalus Eurotæ.* Fluvia rigarem adscripsit ob accolentium severitatem et disciplinam durissimam. Natatare ipso, exercitia alludit spartanæ juventutis quæ eum primis instruebatur nandi peritia.

498. *Spectate.* Laudate. Lact.

499. *Nemeæo in pulvere felix.* Moda in Nemeæo agone victaria coronatus: hic Alcidamas in agane, quem in honorem Arcbemori Adrastus celebravit, adversus Capaneum cœstibus dimicavit, ut superius Poeta testatur, Theb. VI, 736 : « Tandem insperatus nuda de plebe Lacanum Prosilit Alcidamas. » Lact.

500. *Alcidama, primis quem cæstibus ipse ligarat.* Unus Behat. *ille ligarat;* Put. *ipse ligabat.* — Reg. B hanc lectionem exbibet, Reg. C nostram. Eo.

501. *T. n. m. convexa magistri.* Aldd. Colin. et Basil. *cannexa.* — *Tyndarides.* Pollux, quem fuisse magistrum Alcidamantis refert Papinius ibidem. — *Nitidi canvexa magistri.* Id est, Pallucis inter sidera relati, hinc *nitidi.* Parro *convexa.* Qua sensu, ait Turnebus lib. V, cap. 5, *convexa?* Nam astra convexa non videntur, sed potius globosa, ac ratunda sunt. Ega, pergit idem, astra *convexa* dici antumo non singula, sed universa; convexitatem enim habent eamdem quam cælum efficiunt, tuto obsita, dispersa cælo undique in arbem. — Vide excurs. ad calc. hujusce libri.

Respicis : averso pariter Deus occidit astro.
Te nemus OEbalium, te lubrica ripa Lacænæ
Virginis, et falso gurges cantatus olore
Flebit, Amyclæis Triviæ lugebere nymphis :
Et quæ te leges, præceptaque fortia belli
Erudiit genitrix, nimium didicisse queretur.
Talis Echionio Mavors in limine sævit.
Tandem humeris obnixus Acron, et pectore toto
Pronus Alimenides ferratæ robora portæ
Torserunt : quanta pariter cervice gementes
Profringunt inarata diu Pangæa juvenci.

502. *Averso pariter Deus occidit astro*. Ne videret morientem discipulum.

503. *Te lubrica ripa Lacænæ Virginis*. Lacænæ enim virgines in ripa Eurotæ fluvii exercitationi corporis cum adolescentulis simul operam dabant, ut auctor est Xenophon. — *Lacænæ*. Ledam dicit, quam Juppiter in cygnum mutatus compressit. LACT.

504. *Virginis, et falso gurges cantatus olore*. In eodem Basil. codice: *cantatus olori*. — Reg. B habet, et *falso gurgis cantatus oliri*, et supra correctum, *olori*; Reg. C nostram lect. ED. — *Et falso gurges cantatus olore*. Bene *falso*, quia Juppiter in cycnum conversus ad Ledam in ripa Eurotæ exspatiantem accesserat.

505. *Amyclæis*. Ab Amyclis Laconiæ oppido. — *Triviæ*. Dianæ, quia in triviis colebatur.

506. *Et quæ te leges*. *Et quæ te in leges* unus Barthianus.

507. *Erudiit genitrix*. Quia mater Alcidamæ nympha fuit venatrix. Quæ sine dubio flevit, quod ita fortem nutrierat, itaque bellicosum, ut audacia virtutis suæ fretus occubuisset incautus. LACT. — *Erudiit genitrix*. Mira prædicant auctores de fortitudine et animo mulierum Spartanarum. Videndi Plutarchus, Xenophon, aliique. Vide et sup. libro.

508. *Echionio*. Thebano.

510. *Pronus Alimenides ferratæ robora portæ*. *Pronus et Alcmenides* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Pronus et Almenides* Behot. 1, *Pronus Achemenides* Behot. 2, Lang. Laur. Lipsian. et edd. vett. *Protinus Almenides* Put. *Pronus Alchemenides* Venett. *Pronus Alimenides* Gronov. Barth. et Delph. — Reg. B, *Protinus Almenides* exhibet; Reg. C, *Pronus et Almenides*. ED. — *Alimenides*. Ponendum *Ialmenides*, ut in tribus MSS. legit Gronovius. — Sil. Italic. Punic. IV, 23 : « robora portes Et fidos certant obices arcessere silva. » ED.

511. *Torserunt*. Clauserunt.

512. *Profringunt*, etc. *Profindunt* Aldd. Colin. Basil. et Plant. *Perfringunt* Dan. Put. Behot. 2,

Par operis jactura lucro; quippe hoste retento
Exclusere suos: cadit intra mœnia Graius
Ormenus, et pronas tendentis Amyntoris ulnas,
Fundentisque preces, penitus cervice recisa
Verba solo vultusque cadunt, colloque decorus
Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas.
  Solvitur interea vallum, primæque recusant
Stare moræ: jam se peditum junxere catervæ
Mœnibus: at patulas saltu transmittere fossas
Horror equis: hærent trepidi, atque immane paventes

optimus Barth. Liudeubr. et Crue. *Profringunt* Behot. 1, a m. pr. Lipsiau. et binæ Gronovii membranæ, eum edd. Gronov. Barth. et Delph. *Profundunt* Behot. *t*, a m. sec. — *Pangæa*. Paugæa, seu Pangæus mous Thraciæ, in quo suut, refereute Herodoto, aurea et argentea metalla. Ad hujus radices amnis Nestus fluit. — Couf. Ovid. Epist. XVII, 139 et not. ad hunc versum, nost. edit. tom. I, pag. 318. Eo.

513. *Pars operis jactura lucro.* Tantum perdiderunt, quantum lucrati sunt. — Virgil. Æneid. IX, 724 et sqq. « Portam vi multa converso eardiue torquet, Obnixus latis humeris, multosque suorum Mœnibus exelusos duro in eertamine linquit. » Ad quem a Servio laudatus Nostri loeus: eonf. nostræ edit. tom. IV, pag. 74. Ed.

515. *Ormenus, et pronas tendentis Amyntoris ulnas. Ornemus et pronas tendentis Amictoris* uuus Behot. — Reg. B habet, *Ormenas*; Reg. C, *Ormenus*. Eo.

516. *Fundentisque preces, penitus cervice recisa.* Reg. B, *Fundentesque preces, penitus cervice remissa;* Reg. C nostram lect. Eo.

518. *T. i. h. cecidit per vulnus arenas.* In eodem Behot. eodice: *cecidit profusus arenas.* — *Cecidit per vulnus.* Collo inciso uou poterat manere torques. Ita Propertius lib. IV, de Gallo torquato a Manlio oeeiso: « Torquis ab incisa deeidit unea gula. »

519. *Solvitur interea vallum.* Id est, irruptioue Argivorum labefaetatur.

520. *Moræ.* An qui defendebaut vallum, an vero muuitiones valli, moram irruentibus attulerunt.

521. *Mœnibus: at patulas saltu transmittere fossas.* Reg. B habet, *Mœnibus: ad patulas;* Reg. C nostram lect. Eu. — *At patulas saltu transmittere fossas Horror equis.* Videtur sumtum ex Homero Iliad. M, apud quem Hectoris equi pariter deseribuntur resisteutes, et timentes in summo fossæ labro: Οὐδέ οἱ ἵπποι Τόλμων ὠκύποδες· μάλα δὲ χρεμέτιζον ἐπ' ἄκρῳ Χείλει ἐφεσταότες. « Neque pernices equi audebant, valde autem hinniebaut resistentes iu summo labro. »

522. *Horror equis: hærent trepidi, atque immane paventes.* Reg. B habet, *atque immune paventes*,

Abruptum mirantur agi: nunc impetus ire
Margine ab extremo, nunc sponte in frena recedunt.
Hi præfixa solo vellunt munimina: at illi
Portarum objectus minuunt, et ferrea sudant
Claustra remoliri, trabibusque arctata sonoro

et supra correctum, *immane*. Eo.

523. *Abruptum mirantur agi: nunc impetus ire*. Reg. B habet, *Abruptum mirantur iter: nunc impetus ire;* Reg. C, *nec impetus ire*. Eo. — *Abruptum mirantur agi*. Locum hunc ita edi volui, quum in vulgatis turpi errore legeretur: *Abruptum mirantur equi*. Probas scio lector, et geminationem a mala manu fuisse vides: illud uno verbo, occasione hujus vocis *abruptum*, moneo, eleganti metaphora Tertullianum adversus Praxeam dixisse, *si tam abrupte utamur*, id est, tam præcise et sine limitatione: et Valerium lib. VIII, cap. 1, *abruptæ spei*, id est, spei perditæ, prorsus abscisæ. Bernart. — *Mirantur agi*. Agi se mirabantur equi a sedentibus, per abrupta. Lactant. — *Impetus iræ*. Stultissima lectio. Lege *nunc impetus ire*, *Margine ab extremo, nunc sponte in frena recedunt*. Equi est saltum audentis, et tamen retro se reducentis, descriptio. Cum *ira* tamen illa sua delirarunt Lindenbrogii, Bernartii, Aldi, atque aliæ editiones. Barth.

524. *In frena recedunt*. In vestigia redeunt; modo abeunt alacritate transeundi, modo timore altitudinis retrorsum redeunt. Lact.

526. *Portarum objectus minuunt*. In altero Bebot. *muniunt* pro *minuunt*.

527. *Claustra remoliri*, *trabibusque arctata sonoro*. Dan. Put. Lindenbrog. et Croc. *trabibusque et ariete;* Behott. 1, 2, Lang. Buslid. Petav. Cantab. Venett. Aldd. Basil. et Plant. *trabibusque arctata*. — Reg. B habet hanc lectionem, Reg. C, *trabibusque artata sonoro*. Eo. — *Remoliri*. Disrumpere, avellere. Lact. — *Trabibus*. Trabes, Machinæ quibus muri hostium labefactarentur. Erat et *trabes machina*, seu aries, κριοδόκη, ut apud Vitruvium legitur de Architectura lib. X, cap. 19, quam Carthaginienses invenerant, qua arietarent muros impulsa manibus militum: deinde impellendæ *trabi machinæ* adjecta instrumenta, et varia excogitata. Pephasmenus Tyrius adjecit malum, id est, tignum arrectarium præcelsum instar mali, cui appensus aries, ut *trabes machina* libraretur in murum funibus prælongis reducendo ac impellendo: atque hic pensilis aries. Cetras Carthaginiensis arietem subrotatum fecit, qui de variis pendens, itidem libraretur tecto coriis bubulis ambitu, ut militi qui ipsum impellebat caveretur. Equum vero, qui aries dicitur, ἵππον δούρειον, ἢ δουράτεον, ἢ ξεστὸν Homero dictum, invenit Epeus ad Trojam, cujus *trabem machinam!* ipsi milites, qui intus erant, manibus sine libramento impellerent, ut scribit Plinius lib. VII, cap. 57. Vide Vitruvium, Athenæum, Pausaniam, Josephum, et Ammianum Marcellinum.

Pellunt saxa loco : pars ad fastigia missas
Exultant hæsisse faces ; pars ima lacessunt,
Scrutanturque cavas cæca testudine turres.
At Tyrii, quæ sola salus, caput omne coronant
Murorum, nigrasque sudes, et lucida ferro
Spicula, et arsuras cæli per inania glandes,

528. *Pellunt saxa loco : pars ad fastigia missas.* Reg. B habet, *pars ad fastigia missos*, et supra correctum, *missas*. Ed.

529. *Exultant hæsisse faces. Exultant exisse* Behot, 1, *Exsultant hexisse* Behot. 2. — *Hæsisse faces. Hærere* verbum in hac re proprium, quum tela missilia, præcipue ignifera, fixa sunt, et quo mittuntur, comprehenderunt. Liv. lib. XXVII, « Hæsere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, et tam conferta turba. » Tac. Hist. IV, 23 : « Post ubi pleraque telorum turribus pinnisque mœnium irrita hærebant. »

530. *Cæca testudine.* Suffossuri mœnia aut turres urbis (Cæsar *agere cuniculos* dicit quos *Mines* vocamus), utebantur testitudine fronte triquetra, ut missa in eam tela, dum in angulo consistere non possunt, per latera laberentur, et rejicerentur. In ea machina comparati erant ad fodiendum homines. Hujusce machinæ descriptionem vide apud Vitruvium lib. X, cap. 20. Vide et Ammianum Marcellin. lib. XXIII, qui tradit arietum machinamentis crebritate jam despectis, conditam machinam scriptoribus et historicis notam, quam Helepolim Græci cognominabant : cujus opera Demetrius Antigoni filius Rhodo aliisque urbibus expugnatis *Poliorcetes* est appellatus. Hæc machina etiam *testudinis* forma constructa erat. Erat et *testudo* continuata scutorum supra capita crates. *Cæca* dicitur, vel quia homines in ea includuntur muros suffossuri, vel quia nescitur ab obsessis, qua parte murus suffodiatur.

531. *At Tyrii; quæ sola salus, caput omne coronant.* Reg. B, *Ad Tyrii* præbet, et supra correctum, *At Tyrii*. Ed.

532. *Nigrasque.* Semiustas.

533. *Et arsuras cæli per inania glandes.* Tantus fundæ impetus fuisse dicitur, ut glans sæpe liquesceret in medio cursu. Id testantur non solum Noster hic, sed et Ovidius, Lucanus et Virgilius qui Æn. IX, 586 et seqq. « Stridentem fundam, positis Mezentius hastis, Ipse ter adducta circum caput egit habena ; Et media adversi liquefacto tempora plumbo Diffidit, ac multa porrectum extendit arena. » Affirmat etiam Lucretius Philosophis annumerandus, apud quem, VI, 177, sq. « Plumbea vero Glans etiam longo cursu volvenda liquescit. » His accedit et Seneca Philosophus Nat. Quæst. lib. II, « Aera motus, ait ille, extenuat, et extenuatio accendit ; sic liquescit excussa glans funda, et attritu aeris velut igne distillat. » Verumtamen magnorum testium pace, necnon Justi Lipsii,

Saxaque in adversos ipsis avulsa rotabant
Mœnibus : exundant sævo fastigia nimbo,
Armatæque vomunt stridentia tela fenestræ.
Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia supra
Cessantes in nube sedent, nigrisque leguntur
Collibus, et subitæ saliunt in vela procellæ :
Talis Agenoreis Argivum exercitus armis
Obruitur : non ora virum, non pectora flectit
Imber atrox, rectosque tenent in mœnia vultus

qui illorum auctoritate nititur, libro de militia Romana, hac de re dubitari potest, quum nec pyrio pulvere glans sclopeto emissa liquescat. Incaluisse plumbum Balearica funda jactum credibile est, illud autem attritu aeris velut igne distillasse, non facile creditur.

535. *Mœnibus*. Pro eversione mœnium ipsis mœnibus pugnabatur. Lact. — *Exundant sævo fastigia nimbo*. Scatent multitudine jaculorum.

536. *Aq. v. stridentia tela fenestræ*. Dan. Put. Lang. Buslid. Lips. et Behot. 2, pro v. l. *tela pharetræ;* et sic edd. Venett. 3, 4. — *Fenestræ*. Comparatæ erant hæ fenestræ ad emittenda jacula. Has fenestras vocat Livius *foramina* lib. XXXVIII, partes scilicet muri fenestratas ad tela in oppugnatores emittenda. « Per occulta, ait, foramina prælongæ hastæ, quas sarissas vocant, ad submovendos hostes emittebantur. » Τοξικάς Græci dicunt. — *Fenestræ*. Pessime nonnulli libri *faretræ*. Non nostri, qui sapiunt melius. Posterior ætas tales *fenestras*, quia quadris cancellis erant munitæ, *quarnellas* vocabat. Gulielmus Brito lib. VII, vs. 668 : « Balista queat jaculari, arcusque sagittas Quas, ubicunque patent quarnelli, sive fenestræ, Obsessi nequeunt toties impune cavere. » Barth. »

537. *Malean*. Vide Thebaid. I, 100. — *Alta Ceraunia*. Ceraunia, seu Ceraunii, iidemque Acroceraunia vel Acroceraunii, montes in finibus Epiri in mare usque procurrentes, ubi Ionium Mare ab Adriatico dirimitur : dicuntur *Ceraunia* a fulminibus quibus sæpissime percutiuntur; κεραυνὸς enim Græcis *fulmen* est. Circa hos autem montes frequentissimæ fiunt tempestates, unde *infames scopuli* dicuntur Horat. Od. l. I, 3, 20 : « Infames scopulos Acroceraunia. » — Vide supra tom. II, p. 128 hujusce ed. Ed.

538. *Cessantes in nube sedent, nigrisque leguntur*. Put. *nigrisque locuntur;* Behot. 1, pro v. l. *nigrisque teguntur*. — Reg. B, *nigrisque locuntur;* Reg. C nost. lect.

540. *Talis Agenoreis Argivum exercitus armis*. Reg. B habet, *Talis Agenoreis Argivum exercitus orans;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Agenoreis* Thebanis.

541. *Virum*. Argivorum.

542. *Imber atrox*. Telorum den-

Immemores leti, et tantum sua tela videntes.
Anthea falcato lustrantem mœnia curru
Desuper Ogygiæ pepulit gravis impetus hastæ.
Lora excussa manu, retroque in terga volutus
Semianimos artus ocreis retinentibus hæret;
Mirandum visu belli scelus! arma trahuntur,
Fumantesque rotæ tellurem, et tertius hastæ
Sulcus arant: longo sequitur vaga pulvere cervix
Et resupinarum patet orbita longa comarum.
At tuba luctificis pulsat clangoribus urbem,
Obseptasque fores sonitu perfringit amaro.
Divisere aditus, omnique in limine sævus

sitas; etenim peculiare est poetis, belli impetum cæli tempestatibus comparare. Lact. — *Rectosque tenent in mœnia vultus*. Vide Poet. Lat. Min. nost. ed. t. I, p. 300. Ed.

544. *Anthea falcato*. *Acthea* unus Behot. — *Falcato*. Falces habente. Hoc genus armorum etiam Sallustius describit. Lactant.

545. *Ogygiæ*. Thebanæ.

546. *Lora excussa manu, retroque in terga volutus*. Lipsian. Put. et Venett. 3, 4, *in terga solutus*. — Reg. B eamdem habet lect. Reg. C nostram. Ed.

547. *Semianimos artus*. *Semianimes artus* Lang. Busl. Dan. Put. et edd. vett. — *Semianimos*. Legit Guyetus *Semianimis*, deletque reliquum versum, ac duos sequentes, duasque voces sequentis versus, jungitque *Semianimis* cum τῷ *longo sequitur*. — *Ocreis*. Crurum tegminibus, quibus in curru hærentibus trahebantur. Lact.

549. *Fumantesque rotæ tellurem, et tertius hastæ*. Put. *territus hastæ*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Edit. — *Fumantes rotæ*. Propter nimiam celeritatem. Vetus Schol. Potest et ad arenæ levem sparsionem dici. Ut fine Æneid. XI, v. 908: « Æneas fumantes pulvere campos Prospexit. » Sed parum apte. Barth.

550. *S. a. longo sequitur vaga pulvere cervix*. *Sulcus arat* codd. Lindenbrogii, et Behott. 1, 2, in quibusdam *longe*.

551. *Et resupinarum patet orbita longa comarum*. Lang. Laur. Busl. Lipsian. et nonnulli Barthiani: *orbita lata*. — Reg. B habet, *orbita lata gomarum*; et supra correctum aliena manu, *comarum*. Ed.

552. *At tuba*. Argivorum cum jubilatione instantium.

553. *Obseptasque fores sonitu perfringit amaro*. *Obsessasque fores sonitu perstrinxit* Petrens. *Obseptasque fores sonitu perstringit* Taurin. *perstringit* etiam Burm. et Buslid. — *Amaro*. Terribili. Lactant.

554. *Divisere aditus*. Hunc versum et quinque sequentes rejicit Guyet. ut ineptos et supposititios.

Signifer ante omnes sua damna et gaudia portat.
Dira intus facies : vix Mavors ipse videndo
Gaudeat : incertis lymphatam horroribus urbem
Scindunt dissensu vario, luctusque, furorque,
Et pavor, et cæcis fuga circumfusa tenebris.
Bellum intrasse putes : fervent discursibus arces,
Miscentur clamore viæ : ferrum undique, et ignes
Mente vident : sævas mente accepere catenas.
Consumsit ventura timor : jam tecta replerant,
Templaque, et ingratæ vallantur planctibus aræ.
Una omnes eademque subit formido per annos.
Poscunt fata senes, ardet, palletque juventus,
Atria femineis trepidant ululata querelis.
Flent pueri, et flendi nequeunt cognoscere causas
Attoniti, et tantum matrum lamenta timentes.

555. *Signifer ante omnes sua damna et gaudia portat.* Put. *gaudia portans.* — Hauc lect. Reg. B exhibet, Reg. C nostram. Ed. — *Sua damna et gaudia portat.* Sensos hujus loci non adeo patet. Alii voluut dici *sua damna*, quia periculo expositus erat; alii interpretaotur « detrimenta, quæ illaturus est. » Ed.

556. *Dira intus facies.* Horrenda loctus species impleverat civitatem.

557. *Incertis lymphatam horroribus urbem.* Behot. 1, pro *incertis* habet *insanis.* — Reg. B hauc lect. Reg. C uost. — *Lymphatam.* Timoris magnitudine furiatam. Lact.

559. *Cæcis.* Vel quia fugieotes teuebras quærunt : vel quia timore cæcatis mentibus, uescicbaot quo fugerent, ut se imminentibus malis eriperent.

562. *Mente accepere catenas.* Præ timore illa jam pati sibi videbantur, quæ ioferre solet captivitas.

563. *Consumsit ventura timor : jam tecta replerant.* *Comsumsit* Behott. 1, 2, *tecta replorant* Put. *tecta repleruut* Behott. 1, 2. — Reg. B habet, *jam tecta replorant*; Reg. C oostram lect. Ed. — *Consumsit ventura timor.* Peracta putant timoris magoitudine, quæ noodum evenerant.

564. *Ingratæ.* Ut quæ oblitæ tot sacrificiorum ad placanda oumina.

566. *Ardet, palletque juventus.* Audet et timet, ira et metus miscentur.

568. *Flent pueri, et flendi nequeunt cognoscere causas.* « Melius videtur, quod est in libro optimo : *nequeunt agnoscere causas.* Etiamsi enim cognoscant a majoribus, multum tamen abest ut aguoscaut. » Barth. — *Flent pueri.* Hic versua et sequens Guyeto suspecti.

569. *Attoniti, et tantum matrum*

Illas cogit amor, nec habent extrema pudorem.
Ipsæ tela viris, ipsæ iram animosque ministrant,
Hortanturque, unaque ruunt, nec avita gementes
Limina, nec parvos cessant ostendere natos.
  Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
Armatas erexit apes, fremit aspera nubes:
Inque vicem sese stridore hortantur, et omnes
Hostis in ora volant; mox deficientibus alis
Amplexæ flavamque domum captivaque plangunt

lamenta timentes. Reg. B habet, *matrum lamenta trementes;* Reg. C nostram lect. Ed.

570. *Nec habent extrema pudorem.* Qoia in calamitate nullus pudor est feminis prodire in publicum.

573. *Parvos ostendere natos.* Ut hoc spectaculo acrius excitarent viros ad pugoam. Sil. Ital. Punic. XII, 589 et seqq. « Sat matres stimolant natiqoe, et cara supinas Tendentum palmas lacrimantiaque ora parentum. Ostentaot parvos, vagituque incita pulsant Corda virum, armatis infigunt oscula dextris. Ire volunt, etc.

574. *Sic ubi*, etc. Hæc comparatio intempesta videtur Guyeto. — *Pumiceo antro.* Virgilius, Georg. IV, v. 44: « Penitusque repertæ Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro. » — Confer. Claud. V, in Rufin. lib. II, 460 et sqq. « veluti pastoris in ora Commotæ glomerantur apes, etc. » Ed.

575. *Armatas erexit apes, fremit aspera nubes. Armatas exegit apes* Dan. Petav. Colin. Basil. Plant. *Armatus erexit apes* Lang. Laur. Lips. Put. omnes Barthiani, Exc. Cant. Venett. 3, 4, Gronov. Veen. et Delph. — Reg. B habet, *fremit aspera nubis;* Reg. C nostram lect. Edit. — *Aspera nubes.* Multitudo enim volantium apom nubem nmbramque efficit.

576. *Inque vicem sese stridore hortantur, et omnes.* « Nescio quid turbant hic fatui oonnulli libri, adeo quidem nt iosulse et *hominis* quidam referre ausint. « Barth.

577. *Hostis in ora volant; mox deficientibus alis.* Reg. B habet, *hostis in ora volent;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Deficientibus alis.* Lassatæ vi volandi, vel vi coactæ. Vet. Schol. Nempe, v. g. fumo; coosentit et glossographus in optimo Codice, qui superscripsit *lassitudine ex suffocatione.* Ita mente habuerit Papinius illa Virgiliana Æneid. XII, v. 587 et sqq. « Inclusas ot qnom latebroso io pumice pastor Vestigavit apes, fumoque implevit amaro; Illæ iotus, trepidæ rerum, per cerea castra Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras, Volvitur ater odor tectis, etc. » Plura de fumo ad apes Rerum Rusticarum scriptores inprimis Columella. Barth.

578. *Flavamque domum.* Ob mel quod plerumque est aurei coloris, seu flavum.

Mella, laboratasque premunt ad pectora ceras.
  Nec non ancipitis pugnat sententia vulgi,
Discordesque serit motus : hi reddere fratrem
Nec mussant; sed voce palam, claroque tumultu
Reddere regna jubent : periit reverentia regis
Sollicitis : « veniat, pactumque hic computet annum,
Cadmeosque lares exsul, patriasque salutet
Infelix tenebras : cur autem ego sanguine fraudes,
Et perjura luam regalis crimina noxæ? »
Inde alii : « Sera ista fides; jam vincere mavult. »
  Tiresian alii lacrimis et supplice cœtu
Orant, quodque unum rebus solamen in arctis,
Nosse futura rogant : tenet ille inclusa, premitque

579. *Premunt ad pectora.* Quasi defensuræ.

580. *Nec non ancipitis pugnat sententia vulgi.* Reg. B, *sententia volgi* præbet; Reg. C, *vulgi.* Ed.

581. *Serit.* Dispergit, immittit.

582. *Nec mussant; sed voce palam, claroque tumultu.* Reg. B habet, *claraque tumultu;* Reg. C nostram lect. Ed.

583. *Reverentia regis.* Perturbationis magnitudine nulla reverentia regiæ personæ apud sollicitos erat. Lactant.

584. *Sollicitis: veniat,* etc. Reg. B, *Solliciti* exhibet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Paetumque hic computet annum.* Polynices annum integrum regnet.

585. *Patriasque salutet Infelix tenebras.* Invisat cæcum patrem.

586 *I. t. cur autem ego sanguine fraudes.* Lang. Buslid. Dan. Petav. Behott. 1, 2, Venett. 3, 4, et plerique, *cur aut ego;* optimæ aliæque Barthii membranæ, Amstel. Gronov. Barthian. et Delph. *cur autem ego.* — *Tenebras.* Cæcitatem patris.

587. *Perjura.* Promissis enim non stabat Eteocles. — *Noxæ. Noxa* est pœna, *noxia* culpa ipsa.

588. *Inde alii.* E diverso alii contraria sentiebant, dicendo : olim quidem istam fidem sequi debuimus, ut Polynicen minime pelli pateremur; nunc vero cœpto semel prælio est acriter dimicandum. Lactant. — *Mavult.* Supple, Polynices.

589 *T. a. l. et supplice cœtu.* Pro *cœtu* Barthius ex optimis codd. legit *questu.*

590. *Orant, quodque unum rebus solamen in arctis.* Ultimo, quum jam desperant, revertuntur ad memoriam Deorum, exempla sæpe obvia.

591. *N. f. r. tenet ille inclusa, premitque.* Unus Behot. *tenet hic inclusa.* — *Nosse futura.* Doceri ab ipso expetunt, inde fiduciam aut metum sumpturi. Vetus Schol. Se dedituri aut pugnaturi. Alius Scho-

Fata Deum : « Quiane ante duci bene credita nostra
Consilia et monitus, quum perfida bella vetarem?
Te tamen, infelix, inquit, perituraque Thebe,
Si taceam, nequeo miser exaudire cadentem,
Argolicumque oculis haurire vacantibus ignem.
Vincamur, pietas : pone eia altaria, virgo,
Quæramus Superos. » Facit illa, acieque sagaci
Sanguineos flammarum apices, geminumque per aras
Ignem, et clara tamen mediæ fastigia lucis
Orta docet : tunc in speciem serpentis inanem
Ancipiti gyro volvi, frangique ruborem

liast. Futura eoguoscere prudentiam contra desperationem generat. Vet. Comm.

592. *Fata Deum : Quiane ante duci bene credita nostra.* Idem Behot. codex pro *credita* exhibet *tradita.* — Reg. B, *bene credita nostro* præbet; Reg. C nostram lect. Ed. — *Quiane ante duci.* Ironicōs, cor modo futura non dicam, qoi ante quum ventura prædicerem, ita sum libenter anditus? Lact. — *Quiane ante duce.* MSS. *Quiane ante duci.* Virgilius, Æn. IV, 538 : « quiane auxilio juvat ante levatos. » Idem, Æneid. V, v. 13 : « Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi? » Catullus : « quemne ipsa reliqui. » — *Quiane ante duci bene credita nostra Consilia.* Nullibi vidimus Tiresiam a bello Eteoclem deterruisse; legimus solum Thebaid. IV, 408 et sq. fecisse sacrum postulante Eteocle, quo tamen certam victoriam Thebis portendi retulerat.

594. *Thebe.* Thebe numero singulari, quod notandum.

596. *Vacantibus.* Cæcitate vacuatis. Bernart.

597. *Vincamur, pietas. Vincamus* Dan. — *Vincamur, pietas.* Hoc est, decreveram quidem tacere : sed miseratione victus patriæ, me silere futura non patior. Bernart.

599. *Sanguineos flammarum apices.* Hoc genus divinationis vocabatur πυρομαντεία, *pyromantia*, quod a flammæ varietate capiebatur : erat aliud καπνομαντεία a fumo. — *Sanguineos.* Quia sanguinem effundendum portendebant Menœcei, vel fratrum. — *Geminumque per Ignem.* Hinc portendebatur flammas discessuras impositis eidem rogo fratrum corporibus, ut videbimus Thebaid. XII, v. 429.

600. *Et clara tamen.* Per medium splendentem apicem victoria Thebana monstratur. — *Fastigia lucis.* Summum culmen exortæ flammæ.

601. *Tunc in speciem serpentis inanem*, etc. Serpentis specie figurata flamma Menœcei mortem significabat, quia genus ducebat e serpentis semine.

602. *Ancipiti gyro volvi, frangique ruborem. Ancipiti gyro frangi vol-*

Demonstrat dubio, patriasque illuminat umbras.
Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum sorbens vultu flagrante vaporem.
Stant tristes horrore comæ, vittasque trementes
Cæsaries insana levat: diducta putares
Lumina, consumtumque genis rediisse nitorem.
Tandem exundanti permisit verba furori:
« Audite, o sontes, extrema litamina Divum,
Labdacidæ: venit alma salus, sed limite duro.
Martius inferias et sæva efflagitat anguis

vique ruborem unus Behot. « Futilis unius literæ adjectio contorquet sententiam, alioquin minime dubiam. Scribe cum melioribus libris duobus: *frangique rubore Demonstrat dubio.* Hæc est vera lectio, quam turbant vulgatæ edd. » — *Ancipiti gyro.* In utraque parte. Bernart. — *Volvi.* Frangi et obscurari: vel flecti, sive rotari flammam in claram lucem.

603. *D. d. patriasque illuminat umbras.* Unus Behot. *patrias illuminat*, omissa copula. — *Dubio.* Ignaro. Quum enim cæcus erat, quæ signa monstrarent sacrificia nesciebat. — *Illuminat umbras.* Qui docet cæcum, cæcitatem ejus illuminare dicitur. Sic Theb. IV, 548, Tiresias sacra faciens dicit filiæ: « Nostramque move per singula noctem. »

604. *Ille coronatos. Ille coronati* unus Barthianus.—*Coronatos ignes.* Sive quia flamma in orbem ducta instar coronæ, seu quia aræ in omnibus sacrificiis coronabantur.

606. *Stant tristes horrore comæ, vittasque trementes.* Reg. B habet, *vittasque prementes*; Reg. C nostram lect. Ed.

607. *Insana levat.* Furore divino sacerdotis crines horrebant. — *Deducta.* Patefacta. Bernart.

608. *L. cq. g. rediisse nitorem.* Margo ed. Barth. *rediisse vigorem* ex codice manuscripto. — *Consumtumque genis.* Id est, totam faciem ævo exhaustam recepisse pristinam suam speciem. Optimus autem et alii duo codices clare legunt, *vigorem.* Assensu nostro, re eadem. Barthius. De eodem Tiresia Theb. IV, v. 581, « Illius elatis tremefacta assurgere vittis Canities, tenuique impelli sanguine vultus. »

609. *T. e. p. verba furori.* Unus Behot. *furore.*

610. *Extrema litamina.* Id est, sacrificia, post quæ iterum sacrificare non licet. Inter *litare* enim et *immolare* hoc interest, quod *sacrificare* est immolare victimas: *litare* autem per victimarum immolationem obtinere quod postulas.

611. *Sed limite duro.* Victoriam nobis quidem numina pollicentur, sed dura sententia: quia aliter evenire non poterit, nisi se Menœceus occiderit. Lactant.

612. *Martius anguis.* Quem sacrum Marti occiderat Cadmus, ejus-

Sacra, cadat generis quicunque novissimus exstat
Viperei: datur hoc tantum victoria pacto.
Felix, qui tanta lucem mercede relinquet.
Stabat fatidici prope sæva altaria vatis
Mœstus adhuc, patriæ tantum communia lugens
Fata Creon; grandem subiti quum fulminis ictum,
Non secus ac torta trajectus cuspide pectus,
Accipit exanimis, sentitque Menœcea posci.
Monstrat enim, suadetque timor: stupet anxius alto
Corda metu glaciante pater. Trinacria qualis
Ora repercussum Libyco mare sumit ab æstu.
Mox plenum Phœbo vatem et celerare jubentem

que dentes severat, unde orta armatorum seges. Sic Ovidius Met. III, 32: « Martius anguis erat. » Quem adire si velis videbis quam propter causam Martius ille anguis vocatur; nost. edit tom. III, pag. 224 et 225. Ed. — *Sæva*. Id est, victimam humanam. Sic *crudelia sacra* quæ fiebant Dianæ Tauricæ, Latiari Jovi, Cœlesti Carthaginiensi. Ita *sævæ aræ* Busiridis Papinio in Hercule Vindicis, Claudiano *sævum sacrum Busiridis*. Valerius Flaccus Arg. VI, 152: « Omnibus in Superos sævus honor. »

613. *S. c. g. quicunque novissimus exstat*. Petrens. *novissimus exit.*

617. *Mœstus adhuc, patriæ tantum communia lugens*. Barthius legit: *Mœstus, adhuc patriæ tantum communia lugens Fata, Creon grandem*, etc. Put. *communia jungens*. — Reg. B habet, *Mœstus adhuc, patriæ et tantum communia jungens*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Patriæ tantum communia lugens Fata Creon*. Ut cujus domus nullo adhuc infortunio afflicta fuerat.

620. *Menœcea posci*. Mortem Menœcei.

621. *Monstrat enim, suadetque timor: stupet anxius alto*. Reg. habet, *Monstrat enim suadetque timor; instupet anxius alto*. Reg. C nostr. lect. Ed. — *Monstrat enim, suadetque timor*. Habet enim propriam divinationem timor. Virgil. Æneid. X, v. 843: « Agnovit genitum præsaga mali mens. »

622. *Corda metu glaciante*. Ovidius Metam. IX, 581: « pavet obsessum glaciali frigore pectus. » Cf. ibi notata, nost. edit. tom. IV, pag. 132; Luc. Phars. VII, 339: « Stat corde gelato Attonitus. Ed. — *Trinacria ora*. Id est, Sicula. Sicilia enim olim *Trinacria* dicta a tribus promontoriis, Pachino, Peloro, et Lilybæo; ἄκρον enim Græcis *promontorium* dicitur.

623. *O. r. L. mare sumit ab æstu.* Alia lectio est in optimis Barthianis: *mare sentit ab æstu.* — *Libyco*. Africano. Africa enim Græcis *Libye* vocatur.

624. *M. p. P. vatem et celerare*

Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis
Nequicquam reticere rogat: jam fama sacratam
Vocem amplexa volat, clamantque oracula Thebæ.
  Nunc, age, quis stimulos et pulchræ gaudia mortis
Addiderit juveni (neque enim hæc absentibus unquam
Mens homini transmissa Deis) memor incipe Clio,
Sæcula te quoniam penes et digesta vetustas.
  Diva Jovis solio juxta comes, unde per orbem
Rara dari, terrisque solet contingere virtus;
Seu pater omnipotens tribuit, sive ipsa capaces

jubentem. Lang. Laur. Lipsian. Behot. 1, Aldd. Gryph. et Plaut. *et celare jubentem*; Behot. 2, Dan. Put. nonnulli Barth. Gevart. Grasser. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *et celerare jubentem*; optimus Barthianus: *et scelerata jubentem*. — *Et celerare jubentem*. Mortem scilicet Menœcei.

625. *Ora canentis*. Creon Tiresiam suppliciter rogabat, ut funestam sibi Deorum voluntatem taceret: quia pro salute patriæ unius hominis mors negari non poterat. Poposcerant enim numina, ut pro Thebana victoria Menœceus, unus qui de semine illorum superfuerat, qui satis draconis dentibus nati fuerant, se voluntarie traderet morti.

627. *Clamantque oracula Thebæ*. Clara voce passim evulgant.

628. *Quis stimulos*. Ita veteres, et sine dubio recte. Vulgat. *Nunc age cui*. Bernart. — *Pulchræ mortis*. Gloriosæ, virtuosæ. Vetus Schol. Eodem modo Virg. Georg. IV, 218: « Pulchramque petunt per vulnera mortem. » — Vide pag. 376, tom. I hujusce operis.

629. *Neque enim hæc absentibus unquam Mens homini transmissa Deis*. Non enim præclara facinora, nisi inspirantibus Diis, ab hominibus suscipiuntur.

630. *Memor incipe Clio*. Moris est poetis Musas invocare quum magnum quid habent decantandum. — *Clio*. Musa, quæ præest canendis virorum fortium præclaris facinoribus.

631. *Sæcula te quoniam penes et digesta vetustas*. Put. *digesta voluptas*. — Reg. B, *Sæcula te quoniam penes est digesta voluptas* præbet; Reg. C nostram lect. — *Sæcula te quoniam penes*. Actiones omnium sæculorum. — *Digesta vetustas*. Historiæ, annales in temporum seriem redacti.

632. *Diva Jovis solio juxta comes, unde per orbem*. Reg. B habet, *unde per urbem*. — *Diva*. Dea Virtus. — *Diva*. Incipit jam erumpere in rem magnam decantandam, velut afflatus a Musis, quas modo invocaverat, nihil ante horum scivisset. Vet. Schol.

633. *Rara*. Rari enim, qui virtutem colant.

634. *S. p. o. t. sive ipsa capaces*. In quibusdam legitur: *sive ipsa rapaces*.

Elegit penetrare viros, cælestibus ut nunc
Desiluit gavisa plagis: dant clara meanti
Astra locum, quosque ipsa polis affixerat ignes.
Jamque premit terras, nec vultus ab æthere longe;
Sed placuit mutare genas: fit provida Manto,
Responsis ut plana fides, et fraude priores
Exuitur vultus: abiit horrorque vigorque
Ex oculis, paullum decoris permansit, honosque
Mollior, et posito vatum gestamina ferro
Subdita: descendunt vestes, torvisque ligatur
Vitta comis; nam laurus erat; tamen aspera produnt
Ora Deam, nimiique gradus: sic Lydia conjux

635. *Elegit penetrare viros, cælestibus ut nunc. Elegit penetrare animos* Markl. ad Silv. I, 2, 107, *ut tunc* Dan. Put. Petav. Lang. Buslid. Bebot. 1, Aldd. Basil. Plant. Lindenbrog. Gevart. et Grasser.

637. *Astra locum, quosque ipsa polis affixerat ignes.* Put. *ipsa potens.* — Reg. B babet hanc lectiou. Reg. C babet, *quosque ipsa polis affixerit ignes.* — *Affixerat ignes*, Stellas virorum fortium dicit transeuuti honorem referre Virtuti, quia ipsius merito possederaut cælum. Dicit autem Liberum, Herculem, Castorem, Pollucem, quos ardens evexit ad æthera virtus. Lact.

638. *J. p. t.* nec *vultus ab æthere longe.* In eodem Put. codice: nec *virtus.* — *Nec vultus ab æthere longe.* Sic Fama Virgiliaua Æneid. IV, v. 177: « Ingrediturqne solo, et caput inter nubila condit. »

639. *Mutare genas.* Trausfigurare se in aliam formam. Lact.

640. *Responsis ut plana fides. Responsis ut plena fides* Lang. Buslid. Dau. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Lindenbr. Cruc. et Gevart. *hac fraude* legit Barthius ex optimis membranis. — *Responsis ut plana fides.* Ut Tiresiæ responsis fides promptior haberetur, quæ jubebant perire Menœceum. Lact. — *Fraude.* Arte, ut falleret.

641. *E. v. abiit horrorque vigorque.* Unus Behot. *abiitque horrorque vigorque.*

643. *Mollior.* Suavior. Lact. — *Ferro.* Gladio, armis: Virtus enim armata depingitur.

644. *Descendunt vestes.* Virtus enim repræsentatur succinctis vestibus, utpote parata ad omuia præclara facinora edenda.

645. *Vitta comis, nam laurus erat.* Sensus: Virtutem, qnum se assimularet esse Mantho, tantum vittas sumsisse, non laurum, ut decebat vatem: qnia laurum semper penes se habet, ideoque non habuit necesse aliunde petere. Bernart. — *Nam laurus erat.* Laurus commune est vatum et virorum fortium decus. Lact.

646. *Lydia conjux.* Omphale re-

Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus,
Et turbare colus, et tympana rumpere dextra.
Sed neque te indecorem sacris, dignumque juberi
Talia, Dircæa stantem pro turre, Menœceu,
Invenit: immensæ reserato limine portæ
Sternebas Danaos: pariter Mavortius Hæmon.
Sed consanguinei quamvis, atque omnia fratres,
Tu prior: exanimes circumcumulantur acervi.

gina Lydiæ, apud quam Hercules ejus amore captus fœdam servitutem servivit: sedebat enim inter illius ancillas, lanamque carpebat, ac pensa faciebat; quin etiam, depositis leonis exuviis, muliebrem habitum induit. Hinc dicit Poeta illum irrisui fuisse Omphale, quum perderet Sidonios amictus, et turbaret culus, et tympana frangeret.

647. *Amphitryoniaden.* Herculem Amphitryonis filium.

648. *Perdere Sidonios humeris ridebat amictus.* Reg. B habet, *Perdere Sidonios humeris redimibat amictus;* Reg. C, *gaudebat amictus.* — *Perdere Sidonios.* Quia Herculem non decebat muliebris habitus, quia mole membrorum mollia rumpebantur. *Perdere* est aliquid male imitari. — *Sidonios amictus.* Vestem purpuream dixit. LACT.

649. *Et turbare colus. Et turbare colos* in eodem Behot. codice. — *Tympana rumpere dextra.* Ob fortiores ictus.

650. *Indecorem sacris.* Hoc duplici sensu potest intelligi, id est, virtute tua non indignus visus es Diis, qui te voluntario sacrificio pro patria devoveres, vel non indignus cui post mortem fiant sacra.

651. *Talia, Dircæa stantem pro turre, Menœceu.* Reg. B habet, *Dirchæa stantem pro turre Menœceum;* Reg. C, *Dircæa stantem pro turre Menecem.* — *Dircæa.* Nomen turris Thebanæ.

652. *Invenit: immensæ*, etc. Hunc versum et octo sequentes insititios et inepta garrulitate plenos judicant aliqui.

653. *Sternebas Danaos: pariter Mavortius Hæmon. Sternebat Danaos* Behott. 1, 2, *Mavortius Æmon* multi codd. et edd. vett. *Mavortius hemon* Behott. 1, 2. — *Danaos.* Argivos. — *Mavortius.* Vel fortis, vel dictus *Mavortius*, quod esset de semine serpentis Marti sacri.

654. *Atque omnia fratres.* Id est, ad omnia. Virgil. Æneid. lib. IV, v. 558: « Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque. » Hæmonem filium Creontis fuisse, ipse Pater indicat, Theb. XI, vs. 290: « Quid enim misero super unicus Hæmon? » Et ipse Menœceus *unanimem fratrem* vocat hoc libro vs. 727. BARTH.

655. *T. p. e. circumcumulantur acervi.* Venett. Rom. Colin. Basil. et Plaut. *circum tumulantur.* — *Tu*

Omne sedet telum : nulli sine cædibus ictus.
Necdum aderat virtus : non mens, non dextra quiescit,
Non avida arma vacant, ipsa insanire videtur
Sphinx galeæ custos, visoque animata cruore
Emicat effigies, et sparsa orichalca renident;
Quum Dea pugnantis capulum, dextramque repressit :
« Magnanime o juvenis, quo non agnoverit ullum
Certius armifero Cadmi de semine Mavors,
Linque humiles pugnas, non hæc tibi debita virtus :
Astra vocant, cæloque animam, plus concipe, mittes.
Jamdudum hoc hilares genitor bacchatur ad aras,
Hoc ignes, fibræque volunt, hoc urget Apollo.
Terrigenam cuncto patriæ pro sanguine poscunt.

prior. Melior, major. — *Circumcumulantur*. Mortuorum cadaveribus, quos occiderant. Lact.

656. *Omne*. Scilicet Menœcei vulnus letale erat, et nulli ictus in vanum cadebant. Lact. — De hoc loco vide notata ad Avien. Descr. Orbis Terræ, v. 563. Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. V, pag. 212.

657. *Necdum aderat virtus*. Hæc faciebat Menœceus nondum præsente et inspirante Virtute.

659. *Sphinx galeæ custos*. Sphingem enim in cono galeæ habebat Menœceus, ut vidimus Theb. VII, v. 252.

660. *Renident*. Sanguine perfusa nitidiora fiunt. Lactant.

661. *Quum Dea pugnantis capulum, dextramque repressit*. Reg. B habet, *Quum Dea pugnantes capulum*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Pugnantis*. Menœcei.

662. *Magnanime o juvenis*. « Perquam egregie egregius ille liber scriptus : *Magnanime o juvenum* : quod ego quidem minime suo loco circumscripserim. » Barth.

663. *C. a. Cadmi de semine Mavors*. *Cadmi de sanguine* Lang. Buslid. Dan. Put. Aldd. Colin. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Cadmi de semine* Behott. 1, 2, multi codd. Gronovii, et edd. recentt. et ita legit Lactantius. — *Armifero Cadmi de semine Mavors*. Hoc est, de Spartis, quos seminaverat ille « agricola Martis operti. » Creon enim Menœcei pater, filius erat Menœcei, nepos Penthei, cui pater Echion unus ex Spartis. — *Armifero*. Ob prodeuntes e terra armatorum copias.

665. *Astra vocant, cæloque animam (plus concipe) mittes*. Pro *mittes* Put. habet *mittis*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Plus concipe*. Plus virtutis suscipe. Lactant.

668. *Terrigenam cuncto, etc.* *Terrigenam cuncti* optimus Barth. — *Cuncto patriæ pro sanguine*. Te

Fama canit monitus : gaudet Cadmeia plebes
Certa tui : rape mente Deos, rape nobile fatum.
I, precor, accelera, ne proximus occupet Hæmon. »
  Sic ait, et magna cunctantis pectora dextra
Permulsit tacite, seseque in corde reliquit.
Fulminis haud citius radiis afflata cupressus
Combibit infestas et stirpe et vertice flammas,
Quam juvenis multo possessus numine pectus
Erexit sensus, letique invasit amorem.
Ut vero aversæ gressumque habitumque notavit,
Et subitam a terris in nubila crescere Manto,

devove pro salute omnium civium.

669. *Fama canit monitus : gaudet Cadmeia plebes.* *Cadmeia pubes* Put. Aldd. Colin. Basil. Lindeobr. et Gevart. *Cadmeia plebes* meliores Barth. Behott. 1, 2, Dan. Laur. Buslid. Lipsian. et recentt. — Reg. B, *audet Cadmeia pubes* exhibet; Reg. C nostr. lect. Ed.

670. *Certa tui : rape mente Deos, rape nobile fatum.* Reg. B habet, *Certatim rape mente Deos*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Certa tui.* Id est, persuasum omnino habens, tanto amore a te patriam diligi, ut pro ea libenter morti te devoveas. — *Rape mente Deos.* Ovid. Metam. I, v. 777 : « Et concipit æthera mente. » — *Rape nobile fatum.* Totus hic locus celeriter pronuntiandus est, ut jubentis exprimat affectum.

671. *I, p. a. n. p. occupet Hæmon.* Edd. vett. cum plurimis codd. *Æmon;* Behott. 1, 2, *hemon.*

672. *Sic ait, et magna cunctantis pectora dextra.* Reg. B habet, *Sic ait et magno*, etc. Reg. C nostram lect. Ed.

673. *Permulsit tacite, seseque in corde reliquit.* Behott. 1, 2, *in corde relinquit.* — Reg. B habet, *Permulsit tacitæ*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Seseque in corde reliquit.* Dii Poetici, quum aliquem allocuti sunt, numinis sui vestigia in animis illorum relinquunt ; adeo efficax est deitatis sola præsentia : ut colligitur ex pluribus locis Homeri et poetarum. Papinius Silv. III, 1, 116, Hercule Surrent. « Dixit, mentemque reliquit. »

677. *Invasit.* Arripuit. Lact.

678. *Ut vero aversæ gressumque habitumque notavit.* Reg. B, *Ut vero adversa egressum habitumque notavit* exhibet; Reg. C, *Ut vero adversæ gressumque*, etc. Ed. — *Habitumque notavit.* Virgilius dixerat Æneid. I, 405 : « et vera incessu patuit Dea. »

679. *Et subitam a terris in nubila crescere Manto.* Reg. B habet, *Et subitam terris*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Crescere.* Quia Dea Virtus resumserat propriam staturam : vel *crescere*, sursum tolli. Vide supra vs. 632.

Obstupuit. « Sequimur, Divum quæcunque vocasti,
Nec tarde paremus, » ait : jamjamque recedens,
Instantem vallo Pylium tamen Agrea fixit.
Armigeri fessum excipiunt : tum vulgus euntem
Auctorem pacis, servatoremque Deumque
Conclamat gaudens, atque ignibus implet honestis.
Jamque iter ad muros cursu festinus anhelo
Obtinet, et miseros gaudet vitasse parentes;
Quum genitor; steteruntque ambo, et vox hæsit utrimque
Dejectæque genæ; tandem pater ante profatur :
« Quis novus inceptis rapuit te casus ab armis?
Quæ bello graviora paras? dic, nate, precanti,
Cur tibi torva acies? cur hic truculentus in ore

680. *O. S. D. quæcunque vocasti.* Dan. Behott. 1, 2, Put. Petav. Aldd. Colin. Basil. Lindenbr. Cruc. et Gevart. *quicunque vocasti*; Lang. Laur. Lips. optimi Barth. Venett. 3, 4, et recent. *quæcunque vocasti.*

681. *Nec tarde paremus, ait : jamjamque recedens.* Reg. B, *Nec tarde patremus ait* exhibet, etc. Reg. C nostram lect. Ed.

682. *Fixit.* Occidit. Lact.

683. *Armigeri fessum excipiunt.* *Armigeri fixum* optimæ Barthii membranæ, Laur. Busl. Put. Lindenbrog. Gevart. Grasser. et Ams. *Armigeri fessum* Dan. nonnulli Barthiani, Behott. 1, 2, et edd. recentt. — *Armigeri fessum excipiunt.* Id est, pro more principum sustinuerunt. — *Fessum.* Præliando et occidendo.

685. *Ignibus implet honestis.* Id est, laudibus, quæ illum ardorem devovendi se pro patria augerent. — *Honestis.* Id est, honorificis. Sic Silv. III, 1, 6 et seqq. Hercule Surrentino : « cen tædis iterum lustratus honesti Ignis, ab OEtæa conscenderis æthera flamma. » Et Hercule Epitrapezio, Silv. IV, 6, 82 et sq. « Præcipue quum sacrilega face miscuit arces Ipsius, immeritæque domos ac templa Sagunti Polluit, et populis furias immisit honestas. » — Vide pag. 75 tom. I hujusce operis. Ed.

688. *Quum genitor steteruntque ambo.* Behott. 1, 2, *steterantque.* — *Steteruntque ambo.* Neuter volens præterire alterum. Mira emphasi rem exprimit, quam sermone valde accommodato prosequitur. Vetus Schol. — *Utrimque.* Nec male foret *utrique.*

689. *Dejectæque genæ; tandem pater ante profatur.* Reg. B, *profatus*; Reg. C nostram lect. Ed.

691. *Quæ bello graviora paras? dic, nate, precanti.* Reg. B, *Quæ bello graviora paras? dignate precanti* præbet, et supra correctum, *dic, nate.* Reg. C nostram lect. Ed.

Pallor? et ad patrios non stant tua lumina vultus?
Audisti responsa, palam est: per ego oro tuosque,
Nate, meosque annos, miseræque per ubera matris,
Ne vati, ne crede, puer: Superine profanum
Dignantur stimulare senem? cui vultus inanis,
Exstinctique orbes, et pœna simillima diro
OEdipodæ? quid si insidiis, et fraude dolosa
Rex agit? extrema est cui nostra in sorte timori
Nobilitas, tuaque ante duces notissima virtus?
Illius hæc forsan remur, quæ verba Deorum
Ille monet: ne frena animo permitte calenti:
Da spatium, tenuemque moram: male cuncta ministrat

693. *Non stant.* Incerta sunt, ac sollicitudinem arguunt. — Sil. Ital. Punic. XV, 29, *stans vultus* ad quem videsis notata nost. edit. tom. II, pag. 222. Ed.

694. *Audisti responsa, palam est: per ego oro tuosque.* Lang. Lipsian. Buslid. Dan. Petav. Venett. Aldd. Colin. Basil. Lindenbr. et Gevart. *palam per ego:* Put. Behott. 1, 2, et edd. recentt. *palam est: per ego,* etc. — *Audisti responsa palam.* Quæ te jubeant mori pro patria.

695. *Nate, meosque annos, miseræque per ubera matris.* Unus Behot. *meosque animos,* et pro v. l. *annos.* — Reg. B habet, *Nate, meos annos,* etc. Reg. C, *Nate meosque annos: miserere: per ubera matris.* Ed.

697. *Dignantur stimulare.* Vult pater ab ætatis decrepitæ assertione responsa destruere. Dicit enim Tiresiam jam nimia senectute non posse vera responsa proferre.

698. *Fraude dolosa.* Quid si hoc immissu regis Eteoclis dolose Tiresias fingat? sumus enim regi pro nostra nobilitate suspecti, ne illi succedamus in regnum. Gronov.

700. *Rex agit? extrema est cui nostra in sorte timori.* In altero Behot. *extrema cui* omisso τῷ *est.*

702. *Illius hæc forsan remur, quæ verba Deorum.* « Valde plebeius hic sermo est, ut suspicer intrusum esse aliunde versum, quo optime sententia careat. Quid enim aptius hac scriptione? *tuaque ante duces notissima virtus, Ille monet: ne frena animo permitte calenti.* Generosior utique sermo, et istud *illius,* et mox *ille* sapiunt glossema. *Monere* vatum, de quo supra. » Barth. — *Illius.* Regis supple. — *Quæ verba Deorum.* Forte regis hæc verba sunt, quæ nos responsa credimus numinum. Gronov.

703. *Ille monet: ne frena animo,* etc. Lang. Laur. Buslid. Dan. Put. Petav. Lindenbr. et plerique, *nec fræna;* Behott. 1, 2, Exc. Cantab. Gevart. Amst. Gronov. Veen. et Delph. *ne fræna.* — *Ille.* Tiresias.

704. *Male cuncta ministrat Im-*

Impetus : hoc, oro, munus concede parenti.
Sic tua maturis signentur tempora canis,
Et sis ipse parens, et ad hunc, animose, timorem
Pervenias : ne perge meos orbare penates.
Externi te nempe patres, alienaque tangunt
Pignora? si pudor est, primum miserere tuorum.
Hæc pietas, hic verus honos, ibi gloria tantum
Ventosumque decus, titulique in morte latentes.
Nec timidus te flecto parens : i, prælia misce,
Per Danaas acies, mediosque per obvius enses;
Non teneo : liceat misero tremebunda lavare
Vulnera, et undantem lacrimis siccare cruorem,

petus. Intellexit id Fabius Maximus apud Livium. « Omnia, inquit, audentem contemnet Hannibal : nihil temere agentem metuet. Omnia non properanti clara certaque erunt : festinatio improvida est et cæca. » Et Thucydides : Δύο μὲν ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος τε καὶ ὀργή. « Duo adversissima rectæ menti, celeritas et ira. » Nam, ut ait Demosthenes Philipp. 1, Δεῖ μὲν βουλεύεσθαι, ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς. « Deliberare quidem oportet lente, consulta exequi festinanter. » Sall. Catil. c. 1, « nam et prius quam incipias, consulto, et, ubi consulueris, mature facto opus est. » Ed.

705. *Hoc, oro*. Si fas est filium orari a Patre, oro vel obliviscaris hujus rei, vel differas eam, donec melius auctorem ejus cognoscas. Vet. Comment.

706. *Sic tua*. Adjurantis affectus.

707. *Et sis ipse parens, et ad hunc, animose, timorem*. Barthius ex optimo codice legit : *Sis ut et ipse parens*, etc. — *Timorem Pervenias*. Quomodo ego tibi timeo, sic tu timeas liberis tuis : id est, sic ad id ætatis pervenias, ut pater sis.

710. *Pignora? si pudor est, primum miserere tuorum*. In eodem Barth. codice : *si certum est*.

711. *Ibi gloria tantum Ventosumque decus*. Non potuit aptiore epitheto humanæ gloriæ vanitatem perstringere, cujus tamen aucupio mortales omnia faciunt, cui vitam suam, parentum caritatem, cuncta denique posthabenda arbitrantur.

712. *Ventosumque decus, titulique in morte latentes*. Buslid. *in morte jacentes :* et ita ex optimis codd. legi vult Barthius.

714. *Per Danaas acies*. *I Danaas acies* Lang. Busl. Dan. Put. Ald. Basil. Plant. Lindenbr. et Gevart. *In Danaas acies* unus Behot. *Per Danaas acies* Gronov. Barthian. et Delph. — Regg. B et C, *I, Danaas acies* exhibent. Ed.

715. *Non teneo : liceat misero tremebunda lavare*. Reg. B, *tremibunda labare* exhibet; Reg. C nostram lect. Ed.

Teque iterum sævis, iterumque remittere bellis.
Hoc malunt Thebæ. » Sic colla manusque tenebat
Implicitus : sed nec lacrimæ, nec verba movebant
Dis votum juvenem : quin et monstrantibus illis
Fraude patrem tacita subit, avertitque timorem :
« Falleris heu, verosque metus, pater optime, nescis.
Non me ulli monitus, nec vatum exorsa furentum
Sollicitant, manesque movent : sibi callidus ista
Tiresias, natæque canat : non si ipse reclusis
Cominus ex adytis in me insaniret Apollo.
Sed gravis unanimi casus me fratris ad urbem
Sponte refert : gemit Inachia mihi saucius Hæmon

717. *Teque iterum sævis, iterumque remittere bellis. Teque iterum, sævisque iterum remittere* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. — *Teque iterum sævis iterumque.* Postulante libro scripto, lege versus suffragante, hanc lectionem admisi. Vulg. *sævisque iterum.* BERNART.

719. *Implicitus.* Totus occupatus et impeditus. Lucan. lib. III, 432 : « Implicitas magno Cæsar terrore cohortes Ut vidit. » Et Horat. Arte Poetica, v. 423 : « eripere atris Litibus implicitum. » Valer. Flaccus, Argon. VI, 416 : « implicitos miseraque in veste revinctos Confodiunt. » BARTH.

720. *Quin et monstrantibus illis.* Diis utique sibi devotum juvenem rationem fallendi patris moventibus. Nam securum eum deceptu fraudis effecit. LACTANT.

721. *Fraude patrem tacita subit, avertitque timorem.* Scriptio, *Fraude patrem tacita*, suspecta est Barthio, *avertitque timere* optimæ ejusdem membranæ.

722. *F. h. verosque metus, pater optime, nescis.* Unus Behot. *nescisque metus, pater optime, veros.*

724. *Sollicitant, manesque movent : sibi callidus ista.* Reg. B habet, *Sollicitant, vanisque movent,* etc. Reg. C nostram lect. ED. — *Manesque.* Draconis a Cadmo occisi. Supra v. 613, « Martius inferias et sæva efflagitat anguis Sacra, cadat generis quicunque novissimus exstat Viperei. »

725. *Tiresias, natæque canat : non si ipse reclusis.* Reg. B habet, *Tiresias, nataque canat,* etc. Reg. C nostram lect. ED.

726. *In me insaniret.* Sive in templo positus Apollo talia prædicaret, ut meis auribus divinantis numinis verba perciperem, non facile credidissem. LACTANT.

727. *Sed gravis unanimi casus me fratris ad urbem. Sed gravis unanimis* unus Behot. — Reg. B, *Sed magis unanimi casus* præbet, etc. Reg. C nostram lect. ED.

728. *S. r. g. I. m. s. Hæmon. Æmon* edd. vett. cum multis codd. *hemon* uterque Behot.

Cuspide : vix illum medio de pulvere belli
Inter utrasque acies, jamjamque tenentibus Argis.
Sed moror : i, refove dubium, turbæque ferenti
Dic, parcant, leviterque vehant : ego vulnera doctum
Jungere, supremique fugam revocare cruoris,
Eetiona petam. » Sic imperfecta locutus
Effugit : illi atra mersum caligine pectus
Confudit sensus : pietas incerta vagatur,
Discordantque metus : impellunt credere Parcæ.
  Turbidus interea ruptis venientia portis
Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi.

729. *Vix illum*. Vix illum sauciatum vulnere de hostium medio potui liberare, inter utrasque acies Argivorum et Thebanorum. Lact.

731. *S. m. i. r. d. turbæque ferenti*. Ed. Bipontina : *tubæque ferenti* ex errore typographico, *turbæque furenti* unus Behot. — *Dubium*. Hæmona.

732. *Dic, parcant, leviterque vehant : ego vulnera doctum*. *Dic parcant* Gronov. Obss. III, 5, *leviterque trahant* unus Behot. — Reg. B habet, *Dic, parcant leviterque vehant : ego vulnere doctum*, et supra correctum, *vulnera*; Reg. C, *Dic parcant*. Alii, *parcant*; male. Ed.

733. *Fugam revocare*. Sanguinis fluxum arte medicinæ restringere.

734. *Eetiona petam*. *Actiona* Behot. 1, *Æthiona* Behot. 2, *Æchiona* Lang. Buslid. Dan. Petav. Aldd. Colin. Basil. Lindenbrog. Gevart. Grasser. et Amstel. *Machaona* unus Barth. *Eetiona* Gronov. Barth. et Delph. — *Eetiona*. Ἠετίων Homero frequens.

735. *Illi atra caligine mersum Confudit sensus*. Nescit enim cui magis timere debeat, Hæmoni vulnerato, an Menœceo, cujus quum virtutem compertam haberet, merito timere debebat, ne se pro patria servanda devoveret. Vide pag. 695, tom. I hujusce operis. Ed.

736. *Confudit sensus : pietas incerta vagatur*. *Confundit sensus* Aldd. Colin. Basil. et Plant. *Confudit sensus* Dan. Put. Lang. Busl. Lipsian. — Reg. B, *pietas incerta vocatur* exhibet, Reg. C nost. lect. Ed. — *Pietas incerta vagatur*. Circa Hæmonem et Menœceum.

737. *Impellunt credere Parcæ*. Menœceo affirmanti, sibi non esse talem mentem, qualem ille suspicabatur.

738. *Ruptis*. Quibus eruperant Thebani.

739. *Agit æquore campi*. Observa tu qui in studiis tyro. Æquor Latinis scriptoribus, quidquid planum est : nec solum de mari, sed etiam de terra, fluvio, et cælo dici. Noster Theb. XI, v. 403, « Jamque in pulvereum furiis hortantibus æquor Prosiliunt. » Lucret. lib. III, 1015, « Volvitur, et plani raptim petit

Cornua nunc equitum, cuneos nunc ille pedestres,
Et proculcantes moderantum funera currus.
Idem altas turres saxis, et turbine crebro
Laxat : agit turmas idem, atque in sanguine fumat.
Nunc spargit torquens volucri nova vulnera plumbo,
Nunc jaculum excusso rotat in sublime lacerto,
Nullaque tectorum subit ad fastigia, quæ non
Deferat hasta virum, perfusaque cæde recurrat.
Nec jam aut OEniden, aut Hippomedonta peremtos,
Aut vatem Pelopea phalanx, aut Arcada credunt:
Quin socium coiisse animas, et corpore in uno
Stare omnes : ita cuncta replet : non ullius ætas,
Non cultus, non forma movet : pugnantibus idem,

æquora campi. » Cicero, Divin. I, 93 : « Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes. » Virg. Æn. VIII, v. 96, « viridesque secant placido æquore silvas. » Accius Atreo : « Sed quid tonitru turbida torvo Concussa repente æquora cæli Sensimus sonore? » Papinius Thebaid. I, v. 290 : « Horrendos etenim latices Stygia æquora fratris obtestor, etc. » BERNART.

740. *C. n. e. c. nunc ille pedestres.* Unus Behot. *ille pedestris.* — *Cornua nunc equitum.* Hi versus cum septem sequentibus suspectus est quibusdam : in illis enim multa repetita invenies.

741. *Moderantum.* Regentium equos. — *Currus.* Pro equis. LACT.

743. *Laxat : agit turmas*, etc. *Lassat* in eodem Behot. codice pro *Laxat.* — *Laxat.* Solvit. — *Fumat.* Anhelat. LACTANT.

747. *Deferat hasta virum. Deserat hasta* Dan. Petav. Aldd Colin. Basil. Lindenbr. et Cruc. *Deferat hasta* Exc. Fabr. Lang. Behott. 1, 2, Venett. 3, 4, et recentt. — *Deferat.* Fundat. LACTANT.

748. *OEniden.* Tydeum.

749. *Vatem.* Amphiaraum. — *Arcada.* Parthenopæum. — *Pelopea phalanx.* Omnis exercitus Achivorum. Sic *Pelopea mœnia* universam Græciam Asiæ oppositam notant Maroni Æneid. II, 193 : « Ultro Asiam magno Pelopea ad mœnia bello Venturam. » Notissima virtus et fortuna ejus Herois Provinciæ Peloponneso titulum dedit, quæ sane fuit totius Græciæ nobilissima, nec minima portio. BARTH.

750. *Quin socium coiisse animas, et corpore in uno.* Regg. B et C, *Quin socium coisse animas* exhibent. ED.

751. *Ullius ætas.* Nullius ætas aut virtus Capaneum poterat ab impetu virtutis suæ tardare. LACT.

752. *Non cultus, non forma movet.* Optimi codd. Barthiani *non forma movent.*

Supplicibusque furit : non quisquam obsistere contra,
Non belli tentare vices : procul arma furentis,
Terribilesque jubas, et frontem cassidis horrent.
At pius electa murorum in parte Menœceus,
Jam sacer adspectu solitoque augustior ore,
Ceu subito in terras supero demissus ab axe,
Constitit, exemta manifestus casside nosci,
Despexitque acies hominum, et clamore profundo
Convertit campum, jussitque silentia bello.
« Armorum Superi, tuque o qui funere tanto
Indulges mihi, Phœbe, mori, date gaudia Thebis,
Quæ pepigi, et toto quæ sanguine prodigus emi.
Ferte retro bellum, captæque impingite Lernæ
Relliquias turpes, confixaque terga foventes

754. *Non belli tentare vices : procul arma furentis. Aut belli* uuus Behot. Optimæ Barthii membrauæ : *procul arma ruentis.* — Reg. B habet, *Non belli temptare vices;* Reg. C, *Non belli teptare vices.* Eo. — *Belli vices.* Apte, vicibus eoim pugnabant.

755. *Terribiiesque jubas, et frontem cassidis horrent.* Reg. B habet, *Terribilesque tubas;* Reg. C nostr. leet. Eo.

756. *Electa murorum in parte.* Apollodorus Biblioth. lib. III, tradit Menœceum se ante portas Thebarum occidisse. Vide exeursum ad calcem huj. lib. Eo.

757. *Jam sacer adspectu,* etc. Reg. B habet, *Tam sacer aspectu;* Reg. C nostrum leet. Eo. — *Jam sacer adspectu.* Vide Livium eadem dieentem de Decio se devoveute pro salute exercitus. — *Augustior.* Venerabilior. Lactant.

758. *C. s. i. t. supero demissus ab axe.* « In optimo alioque uno libro diserte legitur : *supera demissus ab arce;* quod uon est librariorum. » Barth.

759. *Constitit, exemta.* « Non sollicitanda videtur bæe lectio : iu optimo tamen et altero libro elarissimis literis legitur : *Constitit, et demta,* etc. » Barth. — *Exemta manifestus casside nosci.* Qui facile agnoscebatur ademta casside.

760. *Despexitque acies hominum.* Quasi ipse jam Deus, vitam pro gloria eontemturus. Lactant.

761. *Convertit campum.* Ad orationem suam pugnantium ora vultusque convertit. Lact.

765. *Ferte retro bellum.* Retro agite hostes iu fugam. — *Captæque impingite Lernæ.* Ut qui nunc victores sunt Argivi, vincantur, et qui insequuntur, fugiant. Lact.

766. *Confixaque terga foventes Inachus indecores pater aversetur alumnos.* Vulnera in tergo ignomi-

Inachus indecores pater aversetur alumnos.
At Tyriis templa, arva, domos, connubia, natos
Reddite morte mea : si vos placida hostia juvi,
Si non attonitis vatis consulta recepi
Auribus, et Thebis nondum credentibus hausi,
Hæc Amphioniis pro me persolvite terris,
Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem. »
Sic ait, insignemque animam mucrone corusco
Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri
Arripit, atque uno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres, et mœnia lustrat,

niosa. — *Inachus*. Fluvius Argolidis. — *Alumnos*. Argivos.

767. *I. i. p. aversetur alumnos*. Unus Behot. *adversetur alumnos*.

768. *Templa, arva, domos, connubia, natos*. Paucis verbis omnem felicitatem indicavit. Deorum templa, id est, Religionem, patriam, agros, urbes, conjugia, sobolem, conjunctim vovens prosperari. Vet. Comment. Ita in Carmine Seculari Horatius, primum omnia vota conjungit; deinde per partes explicat, ut per faciles partus, per feracitatem, et felicia connubia, et sic deinceps : « Alme sol, curru nitido diem qui Promis et celas, aliusque et idem Nasceris, possis nihil urbe Roma Visere majus. »

769. *Reddite m. m. s. v. placida*. Quidam corrigunt *placita*. — *Reddite*. Restaurate. Magnam enim partem jam debilitatæ erant opes Thebanorum, præcipue illa extrema nocturna strage. — *Si vos placida hostia juvi*. Si mandata vestra volens obii, et sic vobis litavi.

770. *Si non attonitis*. Si non divinantis Tiresiæ verba stupefactus, sed *placidus* et submissus accepi.

771. *A. e. T. nondum credentibus hausi*. Nonnulli codd. Barth. *nondum cedentibus*. Sed vulg. præstat : erat sane religiosum quod ipse primus lethali oraculo credidisset. Ed.

772. *Amphioniis*. Thebanis, ab Amphione rege.

773. *Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem*. Regg. B et C, *At mihi deceptum* exhibent. Ed. — *Exorate*. Placate mihi, vel deceptum *mihi*, id est, a me; facite ut a me deceptus memoriæ meæ non irascatur. Ed.

775. *Mœstamque teneri*. Carcere scilicet corporis. Quippe quæ jam cælum petebat.

776. *Arripit, atque uno*. *Arripit inque uno* Behott. 1, 2.

777. *Sanguine tunc spargit turres, et mœnia lustrat*. « Optimæ aliæque membranæ nec volam nec vestigium hujus versus agnoscunt. Poterat sane abesse. » Barthius. — *Et mœnia lustrat*. Non memini apud Paganos expiationes sanguine factas. Solum id fiebat apud Ju-

Seque super medias acies, nondum ense remisso,
Jecit, et in sævos cadere est conatus Achivos.
Ast illum amplexæ Pietas Virtusque, ferebant
Leniter ad terras corpus : jam spiritus olim
Ante Jovem, et summis apicem sibi poscit in astris.
  Jamque intra muros nullo sudore receptum
Gaudentes heroa ferunt : abscesserat ultro
Tantalidum venerata cohors : subit agmine longo
Colla inter juvenum, lætisque favoribus omni
Concinitur vulgo, Cadmum atque Amphiona supra
Conditor : hi sertis, hi veris honore soluto

dæos, ut colligitur ex utroque Testamento.

780. *Ast illum amplexæ.* « Optimus codicum aliter hæc concipit : *Ast Idūm ;* in alio codice exstat : *At sudum amplexæ.* » Barth. — *Pietas.* Apte, quia pietas nihil aliud est quam officium præstitum sanguine conjunctis, ac patriæ. Hinc Poeta inducit Pietatem et Virtutem corpus Menœcei amplexantes, et leniter ferentes ad terram.

781. *Leniter ad terras corpus : jam spiritus olim.* « Scribendum ex auctoritate optimarum membranarum : *non spiritus olim.* » Barth. Ita habent etiam Behott. 1, 2. — Regg. B et C, *nam spiritus olim* exhibent. Ed.

782. *A. J. e. s. a. sibi poscit in astris.* Dan. *quærit in astris.* — *Et summis apicem sibi poscit in astris.* Ut qui præclarissimum ac fortissimum facinus ediderat, pro patria moriendo. Veteres enim miris laudibus efferebant eos, qui pro patria moriebantur, et pleni sunt auctores laudibus quibus populi hosce Heroes prosecuti sunt, eosque ut humanam conditionem prætergressos, et ut Deos coluerunt.

783. *Nullo sudore.* Corrigit Peyraredus *multo*, quia per medias acies perrumpere illis opus fuit, ut corpus extraherent ; nam se supra medios acies jecerat. Sed fallitur ; dicit enim infra Poeta veneratum Argivorum exercitum ultro abscessisse.

784. *G. h. f. abscesserat ultro.* Unus Behot. *accesserat ultro.* « Meliores libri scribunt *abscesserat.* »

785. *C. i. j. lætisque favoribus omni.* Nonnulli codd. exhibent : *lætisque faventibus.*

787. *C. v. C. atque Amphiona supra.* Petrens. habet : *Amphiona super.* — *Concinitur.* Collandatur. Ordo : Concinitur vulgo, eum populus conditorem urbis suæ vocabat, et Cadmo atque Amphione meliorem dicebat. Lact.

788. *Conditor : hi sertis, hi veris honore soluto.* Unus codex : *hi ruris honore*, ex Horatio I, Od. 17, 16. Vide Bentl. ibid. et Silv. IV, 5, 1. — Regg. B et C præbent, *Conditur : hi sertis.* Ed. — *Conditor.*

Accumulant artus, patriaque in sede reponunt
Corpus adoratum : repetunt mox bella peractis
Laudibus : hic victa genitor lacrimabilis ira
Congemit, et tandem matri data flere potestas :
« Lustralemne feris ego te, puer inclyte, Thebis,
Devotumque caput, vilis ceu mater alebam ?
Quod molita nefas ? cui tantum invisa Deorum ?

Plus enim erat servasse conditam urbem, quam primnm condidisse ac mœnibus cinxisse, quod Cadmus et Amphion fecerant. Sic Camillus secundus Romæ fundator dictus, quod Gallos expulit, Romamque ab eorum armis pæne exstinctam liberavit, ac servavit. — *Sertis*, etc. φυλλοβολίαν intelligit, qua Deos seu homines, quos honore auctos volebant, prosequebantur. In more etiam erat mortuorum corpora floribus adspergere ac venerari. Sic Augustus prolatum e penetrali corpus Alexandri Magni floribus adspersis veneratus est. Et Virgilius Æn. VI, v. 884 : « manibus date lilia plenis, Purpureos spargam flores. » Sepulcra etiam floribus conspersa, ac rosis ornata, qui mos etiam Christianis observatus. *Serta* sunt vel coronæ, a sertis, id est, digestis invicem floribus frondibusque, ex quibus ab initio coronæ fiebant : vel flores una simulque colligatos. — *Veris honore soluto*. Id est, Rosis, quæ sunt Veris honor. — *Soluto*. Vel in serta non ligato, vel aperto.

789. *Accumulant artus, patriaque in sede reponunt*. Nonuulli codd. Barth. *Adtumulant*. Uuus Bebot. *patria jam sede reponunt*.

790. *Adoratum*. Alii legunt *odoratum*, id est, unguentis delibutum. — *Peractis Laudibus*. Alludit absque dubio ad morem Romanùm, quo insignes viri pro Rostris publice post mortem laudabantur.

791. *Lacrimabilis*. Quia dolebat fraude deceptum a filio, et eum iratus nolebat flere. LACTANT.

793. *Lustralemne*, etc. Hic Lactantius : « Lustrare civitatem humana hostia Gallicus est mos : nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet; qui anno toto publicis sumtibus alebatur purioribus cibis, deinde certo et sollemni die per totam civitatem ductus, ex urbe extra pomaria saxis occidebatur a populo. » Sed quod Gallis universe attribuit Lactantius, hoc de Massiliensibus proprie, et in pestilentia ex Petronio refert Servius ad Æn. III. Observatum etiam illud apud Athenienses, qui φαρμάκους illos vocabant, qui sic se devovebant. Græcis etiam καθάρματα dicuntur, et περιψήματα. Sic urbem suam expiarant Ephesii, apud Philostratum lib. IV. Eumdem quoque morem observari in Saxonia, refert Alciatus lib. IX, παρέργων. Cujus loci imitationem vide ad calc. hujusce lib. ED.

794. *Vilis ceu mater*. Nam ex egentissimis et vilioribus capiebantur hæ hostiæ.

Non ego monstrifero coitu revoluta notavi
Pignora, nec nato peperi funesta nepotes.
Quid refert? habet ecce suos Iocasta, ducesque
Regnantesque videt: nos sæva piacula bello
Demus, ut alternis, placet hoc tibi fulminis auctor,
OEdipodionii mutent diademata fratres.
Quid Superos, hominesve queror? tu, sæve Menœceu,
Tu miseram ante omnes properasti exstinguere matrem.
Unde hic mortis amor? quæ sacra insania menti?
Quosve ego conceptus, aut quæ male pignora fudi

796. *Non ego monstrifero coitu revoluta notavi.* Behott. 1, 2, Lang. Buslid. Aldd. Colin. Basil. Plant. *revoluta novavi;* Dan. Put. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *revoluta notavi.* — Reg. B habet, *Non ego monstrifero cultu revoluta natavi;* Reg. C, *revoluta novavi.* — *Non ego monstrifero coitu revoluta notavi (novavi).* Tangit Jocastæ factum quæ filio nupserat. — *Novavi.* Pro *renovavi.* Sicut supra dixit *novare gregem.* Et Ovidius, Fast. I, v. 622: « Ingratos nulla prole novare viros. » Quod in liberis patres renasci viderentur. — *Revoluta.* Sic Theb. I, v. 235: OEdipos dicitur « propios revolutus in ortus. »

797. *Pignora, nec nato.* « Nihil mutandum, licet in duobus libris non inscite legitur *natos.* » Barth.

798. *Quid refert? habet ecce suos Iocasta ducesque. Quid refert? potitur natis Iocasta* Put. — Hanc lectionem habet Reg. B, Reg. C nostram. — *Quid refert? habet ecce suos Iocasta.* Simili loquendi modo Ovidius pluribus in locis Epistola Paridis, v. 211: « Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis? » Metam. XIII, v. 268: « Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga Arma tulisse refert? » Et alibi.

799. *Regnantesque videt: nos sæva piacula bello.* Versus ille in Reg. B desideratur: adest in Reg. C. Ed.

800. *Demus, ut alternis, placet hoc tibi fulminis auctor.* « Scribam *alterni* cum nostris omnibus libris. » Barth. Ita habent Behott. 1, 2, Lang. Laur. Busl. et Lipsian. *actor* pro *auctor* habet unus Behot. — *Alternis* vicibus, id est, vicissim. — *Placet hoc tibi fulminis auctor.* Hæc cum indignatione pronuntianda. Veteres enim invehi solebant in Deos, quum piis probisque mala evenirent, malique bonis affluerent. Exempla passim obvia. Sic OEdipus Theb. I, v. 80: « et videt ista Deorum Ignavus genitor. »

801. *OEdipodionii. OEdipodionidæ* unus Behot. alter Lindenbrogii et Exc. Fabri.

802. *Quid Superos, hominesve queror?* Codd. Barthiani, *hominesque.*

805. *Qv. e. c. a. quæ male pignora fudi.* Lang. Lipsian. Put. et edd. vett. *mala pignora.* — *Male.* Hoc est, infeliciter, meo magno luctu et malo. Noster Theb. VII,

Tam diversa mihi? nimirum Martius anguis,
Quæque novis proavum tellus effloruit armis.
Hinc animi tristes, nimiusque in pectore Mavors,
Et de matre nihil: sponte en ultroque peremtus
Irrumpis mæstas fatis nolentibus umbras.
Ast egomet Danaos, Capaneaque tela verebar.
Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrumque, quod amens
Ipsa dedi: viden'; ut jugulo consumserit ensem?
Altius haud quisquam Danaum mucrone subisset. »
Diceret infelix etiamnum et cuncta repleret
Questibus: abducunt comites, famulæque perosam
Solantes thalamoque tenent: sedet eruta multo
Ungue genas: non illa diem, non verba precantum

v. 179, « Et in tumulos si quid male fœta reliquit Mater. » Ovid. Met. II, v. 148: « Dumque male optatos nondum premis inscius axes. »

807. *Qq. n. p. tellus effloruit armis.* In quibusdam codd. Barthii: *effloruit arvis.* — *Effloruit armis.* Qui de serpente illo, cujus Cadmus severat dentes, Creon Menœcei pater a serpentibus duxit originem; queritur ergo mater Menœcei, omnia illum a patre habuisse, et nihil de matre, et inde illum amore mortis abreptum. Lact.

809. *Et de matre nihil: sponte en ultroque peremtus.* Vide p. 268 tom. I hujusce operis.

810. *Fatis nolentibus.* Diutius enim vixisses per fata.

811. *Ast egomet Danaos, Capaneaque tela verebar. At egomet* unus Behot. *Ast ego vel Danaos* optimi codd. Barthii. — Reg. B habet, *At egomet Danaos;* Reg. C, *Ast egomet Graios.*

812. *Hæc erat.* Tua scilicet, o Menœceu. — Adi Excursum ad elegiam de Spe, vs. 29 et 30, Poet. Lat. Min. tom. II, p. 286, ibi invenies quæ diximus de hoc loco Papiniano. Ed.

813. *Viden'.* Syllaba quum naturaliter longa sit, tamen eam corripuit, secutus autoritatem Maronis dicentis, Æneid. VI, v. 780: « viden' ut geminæ stent vertice cristæ. » — *Consumserit ensem.* Quia totum pectore recepit ferrum.

814. *Haud quisquam.* Non tantam ab hoste fuisset infixus gladius.

815. *D. i. e. et cuncta repleret.* Unus Behot. *cuncta replesset.* — *Diceret infelix et repleret.* Pro dixisset et replevisset.

816. *Questibus*, etc. *Planctibus* pro *Questibus* in eodem Behot. codice. — *Perosam.* Odio habentem consolantes. Lact.

818. *U. g. n. i. d. non verba precantum.* Heins. in Advers. p. 629 legit: *non verba precantem.* — *Ungue genas.* Ut fit in luctu. — *Non*

Respicit, aut visus flectit tellure relictos,
Jam vocis, jam mentis inops : sic aspera tigris
Fœtibus abreptis Scythico deserta sub antro
Accubat, et tepidi lambit vestigia saxi.
Nusquam iræ : sedit rabies, feritasque, famesque
Oris, eunt præter secura armenta, gregesque.
Adspicit illa jacens : ubi enim, quibus ubera pascat,
Aut quos ingenti premat exspectata rapina?
 Hactenus arma, tubæ, ferrumque, et vulnera : sed nunc
Cominus astrigeros Capaneus tollendus in axes.
Non mihi jam solito vatum de more canendum :
Major ab Aoniis sumenda audacia lucis.
Mecum omnes audete Deæ : sive ille profunda

illa diem, etc. Ex more Romanorum, qni se domi continebant, et neminem aodire et videre volebant. Vide Phœnissas Euripidis, in quo hæe omnia de Menœceo describuntur.

819. *Tellure relictos*. Qnia solam terram intuebantur. Lact.

822. *Saxi*. Id est, eubilis, in qno catuli jaeuerant. Quatuor autem versus sequentes snspecti sunt Guyeto.

824. *Præter*. Juxta tigridem orbam. Lactant.

825. *Ubi enim*. Interrogative, quia nusquam videbat filios, quibus alimoniam lactis pararet. Lact.

827. *Hactenus arma, tubæ*. Jam de humanis pugnis dietum sit. Restat nunc ut Jnvis enm Capaneo bellum memoretnr, ad quod opus putat non unins Musarum, sed omnium omnino succursu et inspiratione. Barth.

828. *Cominus astrigeros*. *Cominus astriferos* Behot. 1, et omnes Barthiani. Unns Behot. in *axis*. — *Cominus*. Mox insequenti. — *Tollendus*. Carminibus altius efferendus. Lactant.

829. *Non mihi jam solito vatum de more canendum*. Put. *de more canentum*. — Reg. B habet, *N. m. j. s. v. de more canentum*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Non mihi*, etc. Imitatio Virgilii qui Æn. XII, 500, exelamat : « Quis mihi nunc tot aeerba Deus, quis earmine eædes Diversas.... expediat? » Ad hune loeum vide notata Virgil. tom. IV, pag. 344. Ed.

830. *Major ab Aoniis sumenda audacia lucis*. Reg. B habet, *M. a. A. poscenda amentia lucis*; Reg. C nostram lect. Ed.

831. *Mecum omnes, audete Deæ*. Reg. B habet, *Mecum omnes audite Deæ*; Reg. C nostr. leet. Ed. — *Mecum omnes*, etc. Hic versus et qninque sequentes garrulitatis suspecti sunt quibusdam. Cæterum mos poetarum, ut, quum quid no-

Missus nocte furor, Capaneaque signa secutæ
Arma Jovem contra Stygiæ rapuere sorores,
Seu virtus egressa modum, seu gloria præceps,
Seu magnæ data fama neci, seu læta malorum
Principia, et blandæ Superum mortalibus iræ.
  Jam sordent terrena viro, tædetque profundæ
Cædis, et exhaustis olim Graiumque suisque
Missilibus, lassa respexit in æthera dextra.
Ardua mox torvo metitur culmina visu,
Innumerosque gradus, gemina latus arbore clusus,
Aerium sibi portat iter, longeque timendus

vum ac inexpectatum dicere aggrediuntur, Musas de novo invocent, ac novas vires sibi subministrari petant. — *Profunda nocte.* Inferna.

832. *Signa secutæ.* Velut Capaneo militent.

833. *Arma Jovem.* Invidiose se contra Jovem Capaneus armavit, ut gloriosa morte periret. LACT. — *Stygiæ sorores.* Furiæ.

834. *Præceps.* Temeraria, et per præcipitia ruens.

835. *Seu magnæ data fama neci, seu læta malorum.* Lang. Laur. Buslid. Put. et Venett. 3, 4, *fata neci.* Pro *læta* Lactantius legit *cæca*, cum gloss. « Incerta, quia interdum quæ putamus bona, malo eveniunt exitu. » *Seu magnæ data fata neci* Regg. B et C habent. ED. — *Seu læta malorum Principia.* Quando gaudemus arduas res et periculosas aggredi, quarum nos postea pœnitet.

836. *Mortalibus iræ.* Ludibrio habere Deos res humanas dicit, ut alii infiniti auctores, quosque velint magnis malis afficere, iis successibus rerum optabilibus prius illudere. Vetus Schol.

837. *Profundæ Cædis.* Id est, plurimæ.

838. *Cædis, et exhaustis olim Graiumque suisque.* Conf. not. ad Silv. III, 5, 45, nost. edit. tom. I, pag. 385. ED.

839. *M. l. respexit in æthera dextra.* Uterque Behot. *in æthere.*

841. *Innumerosque gradus, gemina latus arbore clusus.* In iisdem Behott. codd. *in arbore clausis.* — Reg. B habet, *arbore clusus*, et supra correctum, *clausus*; Reg. C eamdem lect. ED. — *Gemina latus arbore clusus Aerium sibi portat iter.* Pulcherrima scalarum periphrasis. Pompon. sane in armorum judicio: « Tum præ se portant ascensibilem semitam, quam vocant scalam. » Porro observandum est, Capaneum primum fuisse, qui scalis admotis hostium muros ascendere tentaverit: quum autem lapidibus a Thebanis obrutus fuisset, hinc Poetæ locum cepere fingendi, hunc fuisse a Jove fulmine percussum. Vide et Phœnissas Euripidis.

842. *Aerium sibi portat iter, longeque timendus.* Reg. B habet, *lon-*

Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.
Arma rubent una, clipeoque incenditur ignis.
« Hac, ait, in Thebas, hac me jubet ardua virtus
Ire, Menœceo qua lubrica sanguine turris.
Experiar, quid sacra juvent, an falsus Apollo. »
Dixit, et alterno captiva in mœnia gressu
Surgit ovans : quales mediis in nubibus æther
Vidit Aloidas, quum cresceret impia tellus
Despectura Deos, nec adhuc immane veniret
Pelion, et trepidum jam tangeret Ossa Tonantem.
Tum vero attoniti fatorum in cardine summo,

gæque timendus; Reg. C nostram lect. Ed.

843. *Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.* Reg. B habet, *M. q. flagranti fulmine vibrat;* Reg. C nostram lect. Ed.

844. *A. r. u. clipeoque incenditur ignis.* Behot: 1, *accenditur ignis.* — *Arma rubent.* Hic versus delendus videtur Guyeto. — *Incenditur ignis.* Nitore clipei repercussus splendidior fit. Vetus Schol.

845. *H. a. i. T. h. me jubet ardua virtus.* « In nonnemine librorum fuit *improba virtus;* quod castigatum apparet recentiore manu. Nihil mutamus. » Barth.

847. *Experiar, quid sacra juvent, an falsus Apollo.* Reg. B habet, *an fallis Apollo*, et supra correctum, *an falsus Apollo;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Quid sacra juvent.* Quid prosit Thebanis mors Menœcei sacris inventa. Vetus Schol.

848. *Captiva.* Quæ capere animo jam præsumserat. — *Alterno gressu.* Id est, modo dextro, modo sinistro pede. Mire describit scalis ascendentem. Vetus Schol.

850. *Aloidas.* Id est, Othum et Ephialtem Aloei Gigantis filios, qui una cum cæteris gigantibus bellum Diis intulerunt, quique Dianæ et Apollinis sagittis confixi perierunt. — *Impia.* Hos enim Gigantes dicitur terra genuisse, ut Deos bello invaderent.

851. *Nec immane veniret Pelion*, etc. Gigantes enim, ut facilius Deos in cælo aggrederentur, dicuntur tres montes Olympum, Pelion, et Ossam imposuisse unum supra alterum. Apud Homerum hi montes eodem ordine collocati, quo apud Nostrum : Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον. « Tentarunt imponere Ossam Olympo, deinde Pelion Ossæ. » Aliter eos collocat Ovidius Metam. I, v. 155 : « Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subjecto Pelion Ossæ. » Et Virgil. Georg. I, v. 281 : « Ter sunt conati imponere Pelion Ossæ, Scilicet atque Ossæ frondosum involvere Olympum. »

853. *Cardine summo.* Prodigiosa res, unius viri metu, quem contra

Ceu suprema lues urbem, facibusque cruentis
Æquatura solo turres Bellona subiret,
Omnibus e tectis certatim ingentia saxa,
Roboraque, et gravidas fundæ Balearis habenas,
(Nam jaculis, cæloque vagis spes unde sagittis?)
Verum avidi et tormenta rotant, et molibus urgent.
Ille nec ingestis, nec terga sequentibus unquam

in acie sæpe steterant, tot millia hominum, et quidem intra munimenta, tantopere consternari. Cardo est ultima imminens necessitas. Virgil. Æneid. I, v. 672: « Haud tanto cessabit cardine rerum. » Conferenda not. a Markl. ad Silv. II, 6, 70; tom. I, hujus operis, p. 264.

854. *Ceu suprema lues urbem, facibusque cruentis*. Put. *lues urbi*. — Hanc lectionem habet Reg. B, Reg. C nostram. Ed.

857. *Roboraque, et gravidas fundæ*, etc. In eodem Put. libro: *et validas fundæ*. — *Fundæ Balearis*. Inventio fundæ Phœnicibus tribuitur a Plinio Naturalis Historiæ lib. VII, cap. 57, 10. Contra Vegetius secutus Florum, aliosque, Balearibus præter usum, etiam fundæ inventionem tribuit. Certe Baleares peritissimi funditores erant, unde etiam ea arte nomen invenisse creduntur, nempe ἀπὸ τοῦ βάλλειν, a *feriendo*. Florus equidem lib. III, cap. 8, tribus quemque fundis præliari solitum testis est, et cibum pueros a matre non accepisse, nisi quem ipsa monstrante percussissent: certos etiam eorum ictus fuisse; quum hæc sola genti arma fuerint, id unum ab infantia studium. Eis erant tres fundæ: una caput cingebant; altera ventrem; tertiam in manibus gestabant. Funda semel tantum circa caput rotabatur, auctore Vegetio lib. III, cap. 23. Diversum tamen apud Virgilium Æneid. IX, v. 586, servatum videbis: « Stridentem fundam positis Mezentius armis Ipse ter adducta circum caput egit habena: Et media adversi liquefacta tempora plombo Diffidit, ac multa porrectum extendit arena. » Baleares autem insulæ duæ sunt in mari Mediterraneo, Tarraconensi Hispaniæ obversæ, quarum major hodie *Majorca*, minor *Minorca* dicitur.

858. *Nam jaculis, cæloque vagis spes unde sagittis?* « In manuscriptorum optimo sic ista concipiuntur: *cæloque vagis spes unde sagittis?* » Barth. *Spes nulla* Lang. Laur. Busl. Dan. et edd. vett. *spes una* Behott. 1, 2. — *Spes unde sagittis*. Nimirum interdum quo caremus, cujusve potiundi vel nulla est, vel difficilis copia, de illo dicebant: « Unde mihi res illa? » et « unde rem illam mihi? » et « unde illud? » Nam quis speret jaculis aut sagittis muros posse defendi? Noster lib. VI, 142, « Unde ergo bella tibi Thebasque ignara timerem? »

859. *Verum avidi et tormenta rotant, et molibus urgent*. Reg. B habet, *Verum avidi tormenta rotant*; Reg. C nostram lect. Ed.

860. *Ille nec ingestis, nec terga*

Detrahitur telis, vacuoque sub aere pendens
Plana velut terra certus vestigia figat,
Tendit, et ingenti subit occurrente ruina.
Amnis ut incumbens longævi robora pontis
Assiduis oppugnat aquis : jam saxa fatiscunt,
Emotæque trabes : tanto violentior ille,
Sævit enim majore salo, quassatque, trahitque
Molem ægram, nexus donec celer alveus omnes
Abscidit, et cursu victor respirat aperto.
Utque petita diu celsus fastigia supra
Eminuit, trepidamque assurgens desuper urbem
Vidit, et ingenti Thebas exterruit umbra,
Increpat attonitos : « Humilesne Amphionis arces,

sequentibus unquam. « In fine versus cum tribus melioribus libris scribendum *usquam.* » Barth. — Reg. B habet, *Ille nec ingentis*, etc. Reg. C, *Ille nec ingentis*, et supra correctum, *ingestis.* Ed.

863. *Tendit, et ingenti subit occurrente ruina.* Reg. B habet, *Tendit, et ingenti subito occurrente ruina;* Reg. C nostram lect. Ed.

864. *Amnis ut incumbens.* Hæc comparatio Guyeto suspecta est, sed mihi non incommoda videtur.

865. *Assiduis oppugnat aquis. Assiduis impugnat* unus Behot.

867. *Sævit enim majore salo. Sentit enim* Put. « Duo membranacei veteres libri non agnoscunt hunc versum. Agnoscit optimus, et optime quidem. Non enim potest commode abesse, et est eruditior quam pro insititio. » Barth. — *Salo.* Poetice pro aquarum et undarum mole. Virg. Æn. I, v. 537 : « Perque undas superante salo, perque invia saxa Dispulit. »

868. *Molem ægram.* Invalidam, et jam quassatam.

869. *A. e. c. victor respirat aperto.* « Fatui sunt nonnulli libri, qui variam lectionem annotant : *respirat*, vel *requiescit.* » Barth. — *Respirat.* Libere vagatur.

870. *Utque petita diu celsus fastigia supra.* Reg. B habet, *Utque perita diu*, etc. Reg. C nostr. lect. Ed. — *Petita diu.* Cum magno labore, propter catapultas et fundas hostium, qui ex omnibus locis ascendentem impediebant.

871. *Eminuit. Emicuit* optimæ Barthii membranæ; *Exsiluit* alter codex ejusdem.

872. *Ingenti.* Quia staturæ velut Giganteæ Capaneus.

873. *Increpat attonitos : Humilesne Amphionis arces. Increpat attonitos : Hæne illæ Amphionis arces* optimæ Barthii membranæ. — *Humilesne Amphionis arces.* Legit Peyraredus *artes*, et vult *humiles*, sive despectas artes, lyram esse.

Pro pudor, hi faciles, carmenque imbelle secuti,
Et, mentita diu Thebarum fabula, muri?
Et quidnam egregium prosternere mœnia molli
Structa lyra? » simul insultans, gressuque, manuque
Molibus obstantes cuneos, tabulataque sævus
Destruit : absiliunt pontes, tectique trementis
Saxea frena labant, disseptoque aggere rursus
Utitur, et truncas rupes in templa, domosque
Præcipitat, frangitque suis jam mœnibus urbem.
Jamque Jovem circa studiis diversa fremebant
Argolici, Tyriique Dei : pater æquus utrisque
Adspicit ingentes ardentum cominus iras,
Seque obstare videt : gemit inservante noverca

874. *Carmenque imbelle secuti.* Quia Amphione cantante fuisse dicuntur constructæ. Lactant.

875. *Et, mentita diu Thebarum fabula, muri? Hi merita dies* in iisdem membranis; unde Barthius : *Hi mentita Deos*, ete.

876. *Et quidnam egregium. Et quid enim* ex optimo codice legit Barthius ; *Et quid tam egregium* Exe. Cant. Petrens. et eodex Collegii Emanuelis. Ita quoque ex codd. emendat Bentl. ad Horat. III, Od. 3, 65, et II, Sat. 3, 283.

878. *Cuneos.* Munimenta, quibus moles innitebantur. Cunei, euneata munimenta, a forma cunei in aeutum desinentis.

879. *Destruit : absiliunt pontes, tectique trementis. Restruit* Dan. *textique trementis* in quibusdam codd. Barthii. — Reg. B habet, *Restruit: absiliunt pontes lectique prementes.* Ed. — *Pontes.* Tabulatorum species.

880. *Frena.* Compages quadratorum, quæ eonstringunt et continent ædificationem. Ingentia saxa quæ tectum sustinebant.

881. *Utitur, et truncas rupes in templa, domosque.* Reg. B habet, *Utitur, et truncas rudis inter templa, domosque ;* Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Utitur.* Utitur in hostes.

884. *Pater æquus utrisque.* Neutris favens.

886. *Seque obstare videt : gemit inservante noverca.* Behot. 1, pro v. l. *inspectante noverca ;* Behot. 2 Lang. Lanr. Buslid. Lipsian. Aldd. et Plant. *infestante noverca;* Dan. Put. Lindenbrog. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Veen. et Delph. *inservante noverca;* duo eodd. Barthii : *infestare noverca.* — *Seque obstare videt.* Ne manus conserant, ae dimicent. — *Inservante noverca.* Id est, trucibus et sollicitis eum oculis denotante ac adspiciente. Verbum alioqui Papinio proprium. Thebaid. VI, v. 936 : « Piget inser-

Liber, et obliquo respectans lumine patrem :
« Nunc ubi sæva manus, meaque heu cunabula flammæ,
Fulmen, io ubi fulmen? » ait : gemit auctor Apollo
Quas dedit ipse, domos. Lernam, Thebasque rependit
Mœstus, et intento dubitat Tirynthius arcu. 891
Maternos plangit volucer Danaeius Argos.
Flet Venus Harmoniæ populos; metuensque mariti
Stat procul, et tacita Gradivum respicit ira.

vare, peritque venturi promissa fides. » Theb. VIII, v. 194 : « Dedit inservare volucres. » Vel *inservante*, custodiente, ne quid pro Thebanis diceret.

887. *Obliquo*. Non e parte adspiciens propter Junonem, sive quasi iratus Jovi.—*Obliquo lumine*. Male contenti animi signum et alteri infesti, Hor. lib. I, Epist. 14, vs. 37 et seq. « Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat, non odio obscuro morsuque venenat. » Patrem autem adspicere contra non audet, ne Juno in mala verba erumpat. Barth.

888. *Meaque heu cunabula flammæ*. Bacchus enim extractus fuerat ex utero ardentis matris.

889. *F. i. u. f. a. gemit auctor Apollo*. — Quia Cadmus oraculo Apollinis monitus Thebas condiderat : unde *auctor*, sive conditor Thebarum dici poterat Apollo.

891. *Dubitat Tirynthius*. Ideo inducit Herculis dubium favorem, quia et ab Argivis, et a Thebanis ducebat originem : ab Argivis, propter patrem a Perseo venientem; nam Perseus Danaes filius; ejus filia Gorgophone; Gorgophones Electrion; Electrionis Amphitryo; Amphitryonis Hercules; a Thebanis vero propter uxorem Megaram, Creontis filiam, de qua suscepit Oxeam et Creontiadem : quas furore correptus occidit. Gronov.

892. *Volucer Danaeius*. Perseus Danaes filius, *volucer*, quia alas habebat. — *Maternos Argos*. Quia Danae mater Argiva erat, et ipse Argivus.

893. *Flet Venus Harmoniæ populos : metuensque mariti*. « In plerisque veteribus libris corruptum et hic et alibi hoc nomen scribitur *Hermionæ*. » Barth. *Hermione* Behott. 1, 2, *metuensque maritum* Behott. 1, 2, Lang. Buslid. Aldd. Basil. et Plant. *metuensque mariti* Dan. Put. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt. — *Harmoniæ populos*. Thebanos. Nupserat enim Harmonia, seu Hermione, Veneris filia, Cadmo Thebarum conditori. —*Metuensque mariti*. Noster Theb. XI, v. 326 : « Trepidumque tubarum Prospiciebat equum. » Lucan. lib. II, 578 : « Metuens pelagi pirata. » Lucret. lib. VI, 1238 : « Vitai nimium cupidi, mortisque timentes.

894. *Et tacita Gradivum respicit ira*. Quod Thebanos desereret, nec eos defenderet. — *Tacitu*. Ob reverentiam Jovis. Supra, v. 886 : « Seque obstare videt. »

Increpat Aonios audax Tritonia Divos.
Junonem tacitam furibunda silentia torquent.
Non tamen hæc turbant pacem Jovis : ecce quierant
Jurgia, quum mediis Capaneus auditus in astris.
« Nullane pro trepidis, clamabat, numina Thebis
Statis? ubi infandæ segnes telluris alumni,
Bacchus et Alcides? piget instigare minores.
Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior?) en cineres Semeleaque busta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me connitere flammis,
Juppiter : an pavidas tonitru turbare puellas
Fortior? et soceri thalamos exscindere Cadmi? »

895. *Aonios.* Thebanos. — *Tritonia.* Hæe etiam Argivis favet. De Junone autem uemo dubitet, quam Homerus Argivam nominat. Bene ergo *tacita ;* ubique Juno tacens describitur, unde ei oratio uecessitate datur. Unde Virg. Æneid. X, 63 : « Quid me alta silentia cogis Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem? »

896. *Junonem tacitam furibunda silentia torquent.* Reg. B habet, *Junonem tacite furibunda silentia torquent;* Reg. C nostram lectionem. Ed.

897. *N. t. h. t. p. J. ecce quierant.* Nonnulli Barthiani : *ecce requirant;* Dan. *ecce queruntur.* — *Pacem Jovis.* Claudiauus, VIII, de Quarto Cons. Hon. v. 513, « Tranquillaque magni Pax animi. »

898. *J. q. m. C. auditus in astris.* Uuus Behot. *auditur in astris.*

901. *Bacchus et Alcides? piget instigare minores.* Put. *pudet instigare.* — Regg. B et C, *Bacchus et Alchides* habent. Ed. — *Bacchus et Alcides.* Bacchus enim et Alcides, seu Hercules, ab avo Alceo Thebaui erant.

903. *D. e. c. Semeleaque busta tenentur. Simeleaque busta* codex Burmanni; *Simileiaque busta* Taurin. « Quod si legamus per appositionem : *en cineres Semeleia busta, tenentur?* » Burmann. quem vide ad Ovid. Fast. VI, 503. — *Semeleia busta.* Bustum Semeles, locus Thebis ab eventu sic dictus. Refert Hyginus Zethum et Amphionem Thebas muris ciuxisse usque ad Semeles bustum, ubi vulgo male legitur *Semedustum.* Turneb. lib. XXVIII, cap. 43.

904. *Nunc age, nunc totis in me connitere flammis.* Put. *continere flammis.* — Reg. B hanc lect. præbet; Reg. C nostram. Ed.

905. *An pavidas tonitru turbare puellas.* Hoc dicit propter Semelen fulmine a Jove percussam.

906. *Fortior? et soceri thalamos exscindere Cadmi? Fortis* in eodem libro. « Non sollicitarem hanc lectionem, cæteris omnibus libris servatam, si sine uno illo optimo

Ingemuit dictis Superum dolor : ipse furentem
Risit, et incussa sanctarum mole comarum,
« Quænam spes hominum tumidæ post prælia Phlegræ?
Tune etiam feriendus? » ait : premit undique lentum
Turba Deum frendens, et tela ultricia poscit.
Nec jam audet fatis turbata obsistere conjux.
Ipsa dato nondum cælestis regia signo
Sponte tonat, coeunt ipsæ sine flamine nubes,
Accurruntque imbres. Stygias rupisse catenas
Iapetum, aut victam supera ad convexa levari
Inarimen, Ætnamve putes : pudet ista timere

esset, in quo claris literis sat scriptum: *thalamos exscindere Cadmi.* » Barth. — Reg. B habet, *Fortius, at soceri turres exscindere Cadmi;* Reg. C, *Fortior, et soceri turres*, etc. Eo. — *Soceri*. Per eamdem Semelen filiam Cadmi.

909. *Quænam spes hominum.* Reg. B habat, *Quæ non spes hominum;* Reg. C nostram. Eo. — *Quænam spes hominum tumidæ post prælia Phlegræ*. Id est, quidnam sperare possunt homines, quum Gigantes, qui iis fortiores erant, apud Phlegram perierunt; nam *Phlegra* locus in quo gigantes a Diis victi, et fulmine percussi.

912. *Nec jam audat fatis turbata obsistere conjux.* « Optimæ at aliæ membranæ non agnoscunt hunc versum. Minime tamen, licet et abesse possit, nos eum ejiciemus. »

913. *Ipsa dato.* Hunc versum et septem sequentes insititios judicat Guyetus.

915. *Accurruntque imbres. Stygias rupisse catenas.* Reg. B, *Scythias rupisse catenas* exhibet; Reg. C nostram lect. Eo.

916. *Iapetum, aut victam supera ad convexa levari. Laphitum* codd. Lindenbrogii; *Iapeton* Laug. Laur. Aldd. Colin. et Plaot. *Iapetum* unus Behot. at add. recentt. — Reg. B, habet; *Iapetum aut victum*, etc. Reg. C, *Iapeton, aut victam*, etc. Eo. — *Stygias rupisse catenas Japeton*. Japetus, unus e ferocioribus gigantibus. In Inferos cum aliis detrusus fuit, at catenis oneratus. Thebaid. VIII, v. 42, « Habeo jam quassa Gigantum Vincula. »

917. *Inarimen*, etc. *Imarimen* unus Behot. — Rag. B habet, *Inarinem, Ætnamve putes : pudet ista timeri;* Reg. C nostram lect. Eo. — *Inarimen*. Inarime insula in sinu Puteolano, non procul a Neapoli. Primus Virgilius deceptus fuit in vocabulo hujusce insulæ, quæ apud Homerum *Arime* vocatur, ex quo Virgilius sumsit, Æn. IX, 716, Typhœa gigantem sub hanc insulam a Jove detrusum esse. Ovidius aliique, ut et Noster, Virgilium secuti sunt, et eodem modo *Inarimen* protularunt. Vide Erythræum in Virgilium. Eadem insula dicta fuit

Cælicolas : sed quum in media vertigine mundi
Stare virum, insanasque vident deposcere pugnas,
Mirantur taciti, et dubio pro fulmine pendent.
Cœperat Ogygiæ supra fastigia turris
Arcanum mugire polus, cælumque tenebris
Auferri : tenet ille tamen, quas non videt, arces,
Fulguraque attritis quoties micuere procellis,
« His, ait, in Thebas, his jam decet ignibus uti,
Hinc renovare facem, lassamque accendere quercum. »
Talia dicentem toto Jove fulmen adactum
Corripuit : primæ fugere in nubila cristæ,

Ænaria a statione navium Æneæ, et a coxendicis forma *Ischia*, quod nomen hodie retinet. — *Ætnam.* Ætna mons Siciliæ, qui injectus dicitur Encelado. — De *Inarime* confer Heynii excursum II ad Æneid. IX, nostr. ed. tom. IV, p. 89 sq. ubi variæ virorum doctorum opiniones exponuntur; de Ætna itidem Excurs. XV ad Æn. III, nost. ed. tom. II, p. 471. Ed.

920. *Mirantur taciti, et dubio pro fulmine pendent.* « Optimus codicum, et alius unus diserte scribunt *fulmine pallent;* quod tantumdem facit, nisi quod sermoni temerario etiam aptius venit. » Barth. Put. habet etiam : *fulmine pallent.* — Reg. B habet, *Mirantur tacite, et dubio pro fulmine pallent ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Pro fulmine pendent.* Desperatione fulminis solliciti sunt, id est, timent ne non valeat fulmen perimere Capaneum. Lactant.

921. *Ogygiæ turris.* Id est, quæ ad Ogygiam portam, seu Thebanæ.

923. *Tenet ille tamen, quas non videt, arces.* Ob circumfusas scilicet tenebras.

924. *Fulguraque attritis quoties micuere procellis.* Reg. B habet, *Fulguraque attristi quotiens micuere procellæ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Attritis.* Physici enim dicunt fulgura nihil aliud esse quam nubium collisionem.

925. *His jam decet ignibus uti.* A te mihi suppeditandi sunt ignes, unde meam quercum accendere et Thebas exurere possim.

926. *Hinc renovare facem, lassamque accendere quercum. Hinc renovare faces* Dan. Behott. 1, 2, Put. Lindenbr. et Cruc. *Hinc renovare facem* Lang. Laur. Lipsian. Colin. Gryph. et recentt. *assamque* Dan. *lapsamque* Put. *lassamque* in cæteris omnibus. — Reg. B habet, *Hinc renovare faces;* Reg. C eamdem lect. Ed. — *Renovare facem.* Silius lib. VI, 76, « Renovata focis et paupere Vesta Lumina. » — *Lassamque accendere quercum.* Capaneus enim facem gerebat. Vide paullo supra.

928. *Corripuit: primæ. Corripit et primæ* unus Behot. — *Fugere in nubila.* Ex Euripidis Phœn. 1200, *comis* decenter *cristas* fecit Papi-

Et clipei niger umbo cadit : jamque omnia lucent
Membra viri : cedunt acies, et terror utrimque,
Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.
Intra se stridere facem, galeamque, comasque
Quærit, et urentem thoraca repellere dextra
Conatus, ferri cinerem sub pectore tractat.
Stat tamen, extremumque in sidera versus anhelat,
Pectoraque invisis obicit fumantia muris,
Ne caderet : sed membra virum terrena relinquunt,

nius. Nec illud ἐσφενδονᾶτο melius reddere poterat. Lib. V, vs. 587, de eodem : « Moti tamen aura cucurrit Fulminis, et summas libavit vertice cristas. » BARTH.

929. *Niger*. Fulmine afflatus.

930. *Acies*. Argivæ et Thebanæ.

931. *Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas*. In Reg. B pro versu illo reperitur versus noster 935 : *stat tamen*, etc. post quem venit iste *Quo ruat*, etc. deinde sequuntur *Pectoraque invisis*, etc. omissis versibus nostris 932, 933, 934. In Reg. C, versus noster 932, *Intra se*, etc. immediate venit post nostrum versum 930; sequuntur deinde nostri 333 et 334 post quos venit versus ille *Quo ruat*. ED. — *Quo caderet*. Locum ubi Capaneus fulmine percussus periit annotavit Pausanias lib. IX. Via nimirum a Platæa ad Electridem portam ducente, secutus Æschylum, qui ibi ab eo pugnatum dicit. Fabulati sunt de mortuo aliqui, vivis redditum. Vide Apollodorum lib. III.

932. *Intra se stridere facem*. Hic versus cum duobus sequentibus absunt a Behot. 2, Dan. et Petav. « Tres hi versus neque Papinii sunt, neque in ullo nostrorum exemplarium inveniuntur. Abfuerunt et Scholto collatis membranis. Merito igitur expungantur. » BARTH. — *Intra se stridere facem*. Hunc versum et duos sequentes rejicit Guyetus tanquam supposititios, et Statio indignos. Exstant in quibusdam MSS.

933. *Quærit, et urentem*, etc. *Sentit et urentem* Dan. Put. Lang. Buslid. Behot. 1, Plant. et plerique. Behot. 2, supra τὸ *stridere*, in superiori versu, scriptum habet *sentit*. Vide Gronov. Obss. lib. II, c. 4.

935. *Stat tamen, extremumque in sidera versus anhelat*. Codd. Lindenbrogii : *versus adhæsit*. — Reg. B hanc legit. Reg. C nostram. ED.

936. *Pectora*. Quod signum erat non cessisse, sed forti animo perseverasse in suo proposito Capaneum. — *Fumantia muris*. Ut eos corporis sui igne succenderet.

937. *Ne caderet : sed membra virum*. Pro *virum* legendum esse *animam* ex Vet. Schol. putat Burmannus ad Ovid. Met. II, 312. Negat Marklandus ad Silv. III, 1, 90. — *Ne caderet*. Hic versus et duo sequentes etiam insititii Guyeto. — *Ne caderet*. Prono corpore muros petit, ne supinus caderet.

Exuiturque animus : paullum si tardius artus
Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.

938. *Exuiturque animus : paullum si tardius artus.* « Nonnulli libri inserunt exclamatiunculam *o si*, quod annotatum de suis etiam Bernartio. Optimus noster nihil mutat, neque est cur quidquam novandum arbitremur. » Barth. *O si* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. — Hanc lect. Reg. B præbet, Reg. C nostram. Ed. — *Exuiturque animus.* Mire exuitur dixit, quia anima corpore exuitur : metaphora sumta a vestibus.

939. *Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.* Optimæ Barthii membranæ : *poterat fulmen sperare secundum* ; quod ille verum putat. — Reg. B habet, *potuit fulmen sperare secundum* ; Reg. C nostram lect. Ed. — *Cessissent.* Hoc est, consumti fuissent.

EXCURSUS

VEL

NOTÆ AMPLIORES

AD LIBRUM DECIMUM

THEBAIDOS.

VERS. 17. DAT *tessera signum*. Tessera antiquis breve lignum, cui signum inscriptum vel insculptum: hinc Polyb. lib. VI, πλατεῖον tesseram vocat et Plinius, Hist. Nat. XVI, cap. 31, ligustrum, cujus lignum molle et tractabile, tesseris aptissimum scribit. Usus Tesseræ qua in pace qua in bello. In pace præcipue triplex. Nam aut *frumentaria* ea, aut *ludicra*, aut *hospitalis*. *Frumentaria* civibus tenuioris fortunæ in principio cujusque mensis distribuebatur; ea accepta ad horrea publica ire licitum; petitum frumentum gratis. Meminere compluries Jurisconsu nostri. Ulpianus De Jud. lib. LII, « Si libertis suis tesseras frumentarias emi voluerit, quamvis major pars hæreditatis in provincia sit, tamen Romæ debere fideicommissum solvi, dicendum est: quum apparet id testatorem sensisse, ex genere comparationis. » Paulus de Leg. XLIX, 2, « Si Titio tessera frumentaria legata sit. » *Ludicra*, a principibus luxu diffluentibus introducta. Vid. Xiphilinum Nerone. *Hospitalem* juventus ut intelligat, scire debet Hospitii necessitudinem non inter privatos modo, sed reges, populos, oppida, veteribus contrahere sollemne. Livius, lib. V, cap. 28, de Timasitheo Liparensi: « Hospitium cum eo Senatusconsulto factum est, donaque publice data. » Et lib. VII, « Nihil nobis tota nostra actione P. C. difficilius neque molestius est, quam quod cum Eumene nobis disceptatio est, cum quo uno maxime regum et privatim singulis, et (quod magis nos movet) publicum civitati nostræ hospitium est. » Hospitii hujus contracti signum (signate inter privatos) tessera erat, quæ utrinque dabatur. Plautus, Pœnulo,

> Si ita est, tesseram conferre si vis hospitalem, eccam attuli.
>
> AG. Agedum huc ostende: est par probe, nam habeo domi.
>
> POE. O mi hospes, salve multum, nam mihi tuus pater, hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.

Allusit lepide, uti solet, idem Comicus Cistellaria:

> Hic apud nos jam Alcesimarche confregisti tesseram.

Novam, sed aptam more suo, ab hoc ritu vocem formavit Tertullianus, de Præscrip. « Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit quam ejusdem sacramenti una traditio. » Memini aliquando erudite de hoc loco disserentem me audivisse, eruditissimum Theologum, Petrum Bernartium, cognatum meum, virum plane (veris, non ambitiosis laudibus utor) antiquæ vitæ, doctum pariter et probum. Ad bellum jam venio, in quo frequens etiam tesseræ usus, signate ad colligendum militem, ad excubias, ad pugnam. De tessera ad colligendum militem accipiendus est Virgilius VII, vs. 637 : « Classica jamque sonant : it bello tessera signum : » Et Papinius noster l. VII, vs. 237 : « longo fugit ordine velox Tessera. » De ea quæ ad excubias aperte idem Statius : « dat tessera signum Excubiis, positæque vices. » Exempla passim obviam in historia Romana. Nec ideo tamen velim existimes, Papinium, more suo, Græcam litem Romano jure decidere. Nam et apud Græc. tesseræ hujus usum fuisse diserte asserit Pausanias Phocicis: immo apud Persas Xenophon, lib. III et VII. Tesseram ad pugnam fuisse, elicias ex Taciti loco Historiarum III : « Eadem utraque acie arma, crebris interrogationibus notum pugnæ signum : » recte ait : *interrogationibus;* nam vocalis ea. Hirtius de Bello Africano : « Cæsar signo Felicitatis dato, equo admisso in hostem ire contendit. » Respicit hanc etiam Suetonius Octavio, cap. XVI : « Sub horam pugnæ tam arcto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. » Denique scito, uti *frumentariæ tesseræ* erant, ita *olearias*, quibus oleum, *cœnarias*, quibus cœna, *nummarias*, quibus nummi præberentur, fuisse. Postremo observabit juventus, Principum ævo ita inolevisse tesserarum usum, ut per tesseram quælibet mandata darentur. Suetonius, Galba, c. VI : « Sollemni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera ut manus penulis continerent. » Ammianus : « Per tesseram edicto itinere ; » dico, *Principum ævo* frequentiæ causa; nam libera Republica etiam usus. Bernart.

106. *Ipse autem vacuus.* Ante hunc versum sex alios e MSS. prolatos Lindenbrogio, post et An. Schotto, nos quoque in sex codicibus invenimus, et sunt omnino excellentis Poetæ. Quod ipsum Somnum passim fictum posuit Vulcanus, idem fecit in regia Martis lib. VII, 56 et sqq.

> ..... cælataque ferro
> . . . .
> . . . . ubique ipsum, sed non usquam ore remisso
> Cernere erat : talem divina Mulciber arte
> Ediderat.

Quum scite autem, quæ maxime causantur somnum, aut in eum desinunt, ea diversis in diætis cum Somno jacent! Sic Virgilius in sexto ea locavit in aditu inferorum, quæ vicina sunt morti, aut secundum mortem creantur, aut in morte sunt, ut observat Servius. *Voluptatem* primam, cujus juxta vivum exemplum apud Petronium in bacchanali Quartillæ, Homerum Jovis in Ida, Virgilium Vulcani, Æn. lib. VIII, vs. 405,

qui « placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem. » Inde *laborem :* unde Terentio Phædria : « Opus faciam, ut defatiger usque ingratis *ut* dormiam. » Silius, lib. VIII, vs. 572 : » sitimque Avertunt fluvio somnique labore parantur. » Additur *Bacchus*, de quo Noster Silv. I, 6, 97 : « tuoque Baccho In serum trahur ebrius soporem. » Silius, lib. VII, vs. 104 : « composuit luctantia lumina somnus, Somnus, Bacche, tibi comes additus. » Expertus Cyclops in Odyssea. Nec temere, quod Amor *Martigena* potissimum cum Somno cubat; nam Martis amor per somnum deprehensus est. Simonides : Σχέτλιε παῖ, δολόμηδες, Ἀφροδίτα τὸν Ἄρει δολομαχάνῳ τέκεν. Cicero, de Nat. Deor. III : » Ex ea et Marte natus Anterus dicitur. » *Interius tectum* exquisite, ut Propertius, I, 5 : « Ulteriusque domos vadere Memnonias. » Quod non cepit scriptor cod. Gall. qui dedit *tecti*. At ego vereor, ne sic quoque Persius dixerit Sat. VI, vs. 41 : « Hæc cinere ulterior metuas. » Quod sequitur, Virgilii est in Æn. VII, 59 : « tecti medio in penetralibus altis. » Sed *Et cum Morte jacet*, quia consanguineus leti sopor. Refert Pausanias in Eliacis instar feminæ duos pueros sopitos, album dextra, nigrum sinistra sustinentis, et indicare titulos, alterum Somnum, alterum Mortem esse, mulierem Noctem utriusque nutricem. Convenientissime mox : *nullique ea tristis imago ;* quia summum morti jungentibus nec terror, nec dolor. Ut hoc libro vs. 311 :

> Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras
> Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores.

Ovidio inter centauros, » sopitus vinis et inexperrectus « Aphidas occiditur : igitur *Mors caruit sensu*, Metam. XII, vs. 317. Quod autem Paris. et Tolet. cod. *Cernitur hæc species autem :* hominis stolidi commentum est, qui sententiam, ut putabat, laborantem explere voluit. Nostri sex illi versum hunc illibatum servant : *Ipse autem vacuus curis hum.* Gron.

176. *Domumque verendam Signorum.* Alludit ad ædiculam sive templum, in quo, religionis causa, Aquila et signa servabantur in exercitu Romano : Herodotus, lib. IV, Ὡς δὲ ἐσέπεσε εἰς τὸ στρατόπεδον, εἴς τε τὸν νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται. « Postquam in castra venit, et id sacellum in quo signa et imagines exercitus adorantur. « Ne velim te mirari quod introducit duces apud signa, seu in principiis, consultantes : nosti enim quam Papinius amet exprimere Romanos mores. Illi vero præcipuos castrórum actus apud signa celebrabant. Jus illic dictum. Livius, l. XXVIII, 24, « Tribunos tamen jura reddere in principiis sinebant. » Concionari inibi solet Imperator. Tacitus, Ann. I, 67 : « Contractos in principia milites jussit cum silentio audire ; » litteræ publicæ ibi lectæ. Spartianus Pescennio : » Itaque misi litteras recitandas ad signa. « Juramenta illic exacta. Tacit. Annal. XV, c. 16 : » Jurejurando Pæti cautum apud signa. « Animadversio denique nonnunquam et illic. Frontinus, Stratag. lib. IV, 1, 15 : « M. Cato memoriæ tradidit in furto comprehensis dextras esse præcisas, aut si le-

nius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum. » Dico *nonnunquam*, quia ut in oppidis animadversio extra muros, ubi et carnifex et vespillones habitabant, (Cicero, pro Rabirio; Artemidorus, lib. I, cap. 4; Tacitus, Annal. XI, videntor), ita alias in castris extra vallum. Consule Senecam de Ira, lib. I, cap. 16. Tacitum Annal. I, 67. Hirtium de Bello Africano, Calphurnium Declamatione VII, in ipso argumento. BERNART.

326. *Quarta soporiferæ superabant tempora nocti.* Veteres noctem in quatuor vigilias distribuere solitos, omnes sciunt : respicit huc Papinius. Illud non perinde vulgatum, Romanos initio in ortum et occasum solum diem distribuisse, adeo ut in XII Tabulis, nusquam horarum facta fuerit mentio. Censorinus auctor et Plin. Hist. Nat. VII, c. 60: « Duodecim tabulis ortus tantum et occasus nominantur : post aliquot annos adjectus et meridies, accenso Coss. id pronuntiante. » Recte *pronuntiante* dicit, quia horæ postea inventæ, non signo campanæ vel instrumento, ut hodie apud nos, sed arbitrio solius magistratus dividebantur. Varro, lib. V de Lingua Latina : « Hoc idem Cosconius in actionibus scribit, Prætorem accensum solitum tum esse jubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem et horam nonam. » Deinde excogitatum, ut dies, sicuti et nox, semper esset XII horarum, quæ pro tempore anni, longiores vel breviores forent; horæ vero clepsydris discriminarentur. Nox prætcrea quatuor vigilias haberet, singulæ vigiliæ tres horas, et quando vigilia mutaretur, signum daretur buccina. Vegetius, lib. III, cap. 8; Livius, lib. VII, cap. 35, 2; Propertius, lib. IV, videntor. BERNART.

501. *Tyndarides, nitidi moriens*, etc. Qui spuriam hanc lectionem intruserunt, vellem mihi dicerent qua fiducia hoc fecerint : libri veteres, quos non dubitavi audire : « primis quem cæstibus ipse ligarat Tyndarides, nitidi moriens convexa magistri, etc. » Mens : Alcidamam ad cæstuum certamen a Polluce formatum morientem sustulisse oculos in cælum, ubi magister ejus sidus, quod statim etiam tanquam abominaretur discipuli mortem, se abscondit. Noster Thebaid. VI, vs. 741 :

> . . . . sed socii fretum Polluce magistro
> Norant, et sacras inter crevisse palæstras.

Seneca philosophus Medea : « Sed Castore cum suo Pollux cæstibus aptior. » Arnobius, lib. I, « Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugillator bonus; ideo non Castor, sed Pollux dicitur. » Nec recedit ab his Virgilius, dum ait, Georg. lib. III, vs. 89 : « Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus. » Nam, ut ibidem inquit Servius, « Castor domitor equorum fuit, sed fratrem pro fratre posuit poetica licentia. » BERNART. — *Convexa*. Plaga cæli, in qua lucet stella Pollucis, quam refert Poeta propter mortem cultoris sui nominis in occasum fuisse conversam. Unde superius, *Sed socii fretum Polluce*, etc. LACTANT.

756. *At pius electa murorum in parte Menœceus, Jam sacer adspectu,* .... *Jecit, et in sævos cadere est conatus Achivos.* Forsitan Papiniani loci imitationes nostrorum poetarum hic in promptu habere juvabit: eas, non exempli, sed comparandi causa, adduximus.

Sic Rotrou in tragœdia cui titulus *Antigone*, act. I, scen. 2:

Quand lui, la face ouverte, et nullement émue,
Hardi, s'étant planté sur le bord de la tour,
Et voyant, sans frayeur, les bas lieux d'alentour,
A regardé le camp, et d'une voix profonde
A fait tourner vers lui les yeux de tout le monde.
« Arrêtez, a-t-il dit d'un ton imperieux,
« Arrêtez, je l'ordonne, et de la part des Dieux:
« Arrêtez. » Cette voix est à peine entendue,
Que la main aux soldats demeure suspendue:
Chacun reste interdit, l'œil et le bras levé;
Le coup demeure en l'air, et n'est point achevé:
Là, ce jeune héros pousse une voix moins forte,
Et, d'un accent égal, leur parle en cette sorte:
« Thèbes, goûte la paix que je vais t'acheter.
« Mon sang en est le prix, je viens te l'apporter;
« Repousse loin de toi cet orage de guerre
« Qu'excite un insolent sur sa natale terre;
« Possède en paix tes champs, tes temples, tes maisons,
« Sans autre changement que celui des saisons.
« Qu'Hymen, mettant tes fils dans les bras de tes filles,
« De liens éternels unisse tes familles;
« Règne enfin, caressée et du Ciel et du sort:
« La promesse des dieux doit ce prix à ma mort. »
Il tire après ces mots une brillante épée,
Et se l'étant au sein jusqu'aux gardes trempée,
S'élance de la tour, le fer encore en main,
Noble victime aux Dieux, pour le peuple Thébain.

Sic Racine, in Tragœd. *Les Frères ennemis*, Act. III, scen. 3:

A cet instant fatal, le dernier de nos princes,
L'honneur de notre sang, l'espoir de nos provinces,
Ménécée, en un mot, digne frère d'Hémon,
Et trop indigne aussi d'être fils de Créon,
De l'amour du pays montrant son âme atteinte,
Au milieu des deux camps s'est avancé sans crainte;
Et se faisant ouïr des Grecs et des Thébains:
« Arrêtez, a-t-il dit, arrêtez, inhumains! »
Ces mots impérieux n'ont point trouvé d'obstacle.
Les soldats, étonnés de ce nouveau spectacle,
De leur noire fureur ont suspendu le cours;
Et ce prince aussitôt, poursuivant son discours,
« Apprenez, a-t-il dit, l'arrêt des destinées,
« Par qui vous allez voir vos misères bornées.

« Je suis le dernier sang de vos rois descendu,
« Qui par l'ordre des Dieux doit être répandu.
« Recevez donc ce sang que ma main va répandre;
« Et recevez la paix, où vous n'osiez prétendre. »
Il se tait, et se frappe en achevant ces mots.

793. *Lustralemne feris ego te, puer inclyte, Thebis, Devotumque caput,*... .
....
OEdipodionii mutent diademata fratres. Hunc locum ante oculos habuisse videtur Rotrou, quum sic in Tragœd. act. I, scen. 2, Creon Deos incuset de morte filii:

Que vous a fait mon sang pour vous être immolé?
Quel droit de la nature avons-nous violé?
Ai-je, autre Œdipe, entré dans le lit de ma mère;
Lui suis-je époux et fils? mon fils fut-il mon frère?
Voilà que les surgeons d'un sang incestueux
Portent le diadème, et vous êtes pour eux:
Nous, vous nous destinez, innocentes victimes,
A périr pour leur gloire, et payer pour leurs crimes.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM

CARMINIBUS DESCRIPTUM. *

Tunc Capanei ardentis Danaos incendia terrent.
Castra petunt miseri. Eumenis in tempore belli
Tisiphone, gentis geminæ exsaturata cruore,
Germanæ auxilium poscit: fratresque nocentes
Diversis agitant stimulis. Tunc omina dira
Horrescit Tyrius ductor: mox Epytus auctor
Armatum fratrem pulsantem cuspide portas
Nuntiat: ille celer gaudens rapit impius arma:
Nec matris lacrimæ revocant, nec verba sororis.
Postquam sacrilegis telis confixus uterque,
Deflevit pietas fratrum miserata ruinam,
OEdipoden Creon Thebanis mœnibus arcet.

* Hoc Argumentum exhibent Behott. 1, 2, unus Barthianus, Venett. 3, 4. Lindenbrog. Cruc. et Barth. — Hoc Argumentum quod non habet Reg. B, præbet Reg. C.

1. *Tunc Capanei ardentis Danaos incendia terrent.* Barthius legit ex vet. libro: *Dum Capanei*, etc. Unus Behot. habet, *Tunc Capaneus ardentes d. i. terret.*

2. *Castra petunt miseri. Eumenis in tempore belli. Euminis* Behot. 2, *impar tempore* Behott. 1, 2, *longi per tempora belli* ex vet. cod. legit Barthius. — Reg. C habet, *Eumenis instat tempore belli.* Ed.

3. *Tisiphone, gentis geminæ exsaturata cruore. Tesiphone* Behot. 1, *Thesiphone* Behot. 2, *Tisiphone geminæ gentis satiata cruore* vet. Barthii.—Reg. C habet, *Tesiphone.* Ed.

5. *Divertis agitant stimulis. Tunc omina dira.* Behott. 1, 2, *Diversis agunt.*—Reg. C habet, *diversis adigunt stimulis. Tunc omnia dira.* Ed.

6. *Horrescit Tyrius ductor: mox Epytus auctor. Ephytus* edd. vett. *Epitus* Behott. 1, 2.—Reg. C habet, *mox Epytus actor.* Ed.

10. *Postquam sacrilegis telis confixus uterque.* In iisdem codd. *confusus uterque.*—Reg C eamdem habet lect. Ed.

12. *OEdipoden Creon Thebanis mænibus arcet.* — *OEdipodem inde Creon* Barthii membranæ. — Reg. C habet, *OEdipoden Creon Thebanus in omnibus arcet.* Ed.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Argivi, Capanei fato exterriti, effuse in castra fugiunt; 1—56. Tandem Tisiphone, fratrum secum invicem certamine, bellum finire statuit. Verum tanto facinori se solam parem non sentiens, sororem Megæram ex Inferis evocat; 57—74. Duæ Furiæ, consilio habito, munera partiuntur; 75—113. Tisiphone Thebas tendit Eteoclem instimulatura; Megæra it, eadem mente, ad Polynicem; 114—135. Hæc eum offendit spectro Argiæ uxoris, quæ illi apparuerat in atra veste, summopere territum, et incertum an turpi fuga aut ferro mala sibi impendentia evitaret; 136—150. Sed Megæra vix illum flagello tangit, quum subito furore correptus, et sanguinem fratris sitiens, equum conscendens ad portas Thebarum volat, ubi sæpius alta voce fratrem in certamen provocat; 151—204. Interim Eteocles, ratus Capanei casu confectum bellum, Jovi sacra faciebat, ei gratias acturus; 205—225. Verum, diro præsagio, ignis in vultum ejus insiliens diadema comburit, et taurus, ante receptum ictum, ara cornibus percussa, e media circumstantium turba aufugit; 226—230. Quum vero aruspex redintegrari sacrificium juberet, ecce accurrit Æpytus, Eteocli nuntians, Polynicem muris obequitantem illum in prælium poscere; 231—256. Aulici regi suadent hoc spernere; ipsos facile hostem repulsuros; 257—262. Sed Creon morte Menœcei

efferatus, ut videt Eteoclem cunctantem, illum duris verbis aggreditur, oportere hunc in certamen descendere; non diutius cives toleraturos illum patriæ calamitatibus frui; 263—297. Eteocles ei respondet, ipsum, sub fictis de morte Menœcei lacrimis, regnandi ambitionem tegere; sed fata non permissura, ut regnum Thebanum in tam indignas manus caderet: sibi nunc ultionem facilem, daturum pœnas, quum vicisset. His dictis arma et equum poscit; 298—314. Jocasta adveniens, nec lacrimis, nec precibus, obstinatum illius animum potest flectere; 315—353. Ex alia parte Antigone turrim subito conscendit, et mollioribus quam potest verbis Polynicem deterrere conatur; 354—381; et illum movebat, quum Tisiphone e portis Eteoclem emisit clamantem, Adsum, et pugnam pari furore poscentem; 382—423. Accurrens Adrastus ab his nihil obtinet: quo viso, omnia linquens, Argos fugit; 424—446. Bis concurrunt illæsi, fortuna primum tali prælio non assentiente; et uterque exercitus certantibus se opponere cogitat; 447—456. Qua opportunitate utens Pietas e cælo in campum descendit, tam execrandum facinus impeditura; 457—473. Tunc fratres subito horrore perstringuntur, et Dea omnium animos flexisset, nisi Tisiphone, perspectis ejus artibus, eam e campo fugasset; 474—496. Cujus discessu versæ mentes, fratres acrioribus odiorum stimulis in se invicem excitantur, et copiæ, quæ modo motæ fuerant, tam diri spectaculi voluptatem capere percupiunt; 497—512. Eteocles primus hastam in fratrem jaculatur; hanc Polynices in clipeo recepit, suaque emissa, equum Eteoclis in latere perfodit; equus it præceps, et campum cruore inficit; 513—514. Polynices credens fratris esse sanguinem, tanto impetu equum in eum impellit, ut utrique in terram cadant; 515—538. Pedibus renovant prælium; Polynices Eteoclem in inguine letaliter vulnerat; 539—543. Eteocles, sibi vires deficere sentiens, sponte labitur, quum adhuc stare posset, fraudem in media morte molitus; 544—555. Alter fratrem occisum ratus, tensis ad cælum manibus, Superis gratias agit; et quum ad detrahenda fratri spolia, in pectus ejus

inclinatur, Eteocles tenues vitæ relliqnias odio sustentans, erectum clam ensem in cor fratris adigit, qui moriens Eteoclem totis armis obruit; 556—579. OEdipus, comperto certaminis exitu, filiæ jubet, ut se in locum, ubi filiorum corpora jacebant, ducat; 580—598. Post multos questus, ensem clam quærit, quo se occidat; sed provida Antigone omnia arma averterat; 599—633. Jocasta, non exspectato pugnæ fine, mortem sibi ferro consciscit; 634—647. Fratribus interfectis, Creon regni potitur; 648—664. Qui, primo sni specimine, vetat edictis, ne Argivi in acie cæsi sepulturæ mandarentur; et invectus in OEdipum, cui obvius fuerat, eum finibus Thebanis excedere jubet; 665—672. Ei respondet OEdipus ferocibus verbis, ac ejus sævitiam et crudelitatem perstringit, eo animo, ut a Creonte interficeretur; 673—707. Verum Antigone, mitigato Creonte, obtinet tandem, ut pater in exsilium non pellatur; 708—747. Imperat igitur Creon, OEdipum se recipere in montem Cithæronem; 748—756. Argivi relictis castris ignominiosam fugam capiunt; 757—761.

Postquam magnanimus furias virtutis iniquæ
Consumsit Capaneus, exspiravitque receptum
Fulmen, et ad terras longe comitata cadentem
Signavit muros ultricis semita flammæ;
Componit dextra victor concussa plagarum

1. *Iniquæ.* An impiæ, an imparis contra Jovem?

2. *Espiravitque receptum*, etc. Una cum anima. Indicant hæc corpus Capanei incombustum permansisse, quod infra mox clare dicit: « Ille jacet laceræ complexus fragmina turris Torvus adhuc visu. » Quod concordat Physicorum nonnullorum traditis, Fulminis ignem nullum corpus consumere. Vide Minutium Felicem Octavio. Barth. — Vide Cl. Rutilii itinerarium, lib. II, 58, tom. IV, p. 172 Poet. Lat. Min. nost. Ed.

4. *Signavit muros. Exussit muros* Lactantius in Commentario.

5. *Plagarum.* Cælestium supple.

Juppiter, et vultu cælumque diemque reducit.
Gratantur Superi, Phlegræ ceu fessus anhelet
Prælia, et Encelado fumantem impresserit Ætnam.
Ille jacet laceræ complexus fragmina turris,
Torvus adhuc visu, memorandaque facta relinquens
Gentibus, atque ipsi non illaudata Tonanti.
Quantus Apollineæ temerator matris Averno
Tenditur: ipsæ horrent, si quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immensaque membra jacentis
Spectant, dum miseræ crescunt in pabula fibræ.
Sic gravat injectus terras, hostiliaque urit
Arva, et anhelantem cælesti sulfure campum.

7. *Phlegræ*. Vide Theb. II, v. 595, et lib. sup. vs. 904.

8. *Encelado fumantem impresserit Ætnam*. Vide et sup. lib. vs. 912. — *Fumantem*. Quia Ætna flammas et fumum e jugo emittit. Vide p. 331, tom I, Stat. Ed.

9. *Ille*. Capaneus. — *Jacet laceræ*, etc. Hæc probant corpus Capanei incombustum permansisse. — *Laceræ*. A se convulsæ. Moriens enim partem turris, quam amplectebatur, secum abstulisse in terram fingitur.

10. *Torvus adhuc visu*: *Sævus adhuc visu* unus Behot. — *Memoranda facta* Quod a Jove meruit fulmine percuti.

11. *G. a. i. n. illaudata Tonanti*. In eodem. Behot. codice: *illaudanda Tonanti*. — *Atque ipsi non illaudata Tonanti*. Propertius lib. II, Eleg. 34, v. 40: « Aut Capanei grata ruina Jovi. » Hoc vero dixit ad exaggerationem virtutis Capanei, ejus morte etiam Jovem sese notuisse jactare.

12. *Temerator matris*. Tityon, Latonæ concubitum violenter affectans, Apollinis est peremtus sagittis, et a Jove apud inferos perpetua pœna damnatus. Lactant.

14. *Emergunt volucres*. Huc secundum Homerum, qui dicit Tityi viscera exedi a gemino vulture, non uno, ut alii volunt. Vide Theb. I, 710. Capaneum jam Tityo comparaverat Theb. VI, v. 750.

15. *Spectant, dum miseræ crescunt in pabula fibræ*. Dan. *crescunt in pectora*. — Reg. B habet, *spectandum, miseræ crescunt in pabula fibræ*; Reg. C nostram lect. Ed.

16. *Injectus*. Capaneus scilicet.

17. *Cælesti sulfure campum*. Quia fulmen odorem et lucem sulfuris habet. Seneca Nat. Quæst. lib. II, cap. 53: « Quocunque decidit fulmen, ibi odorem sulfuris esse certum est. » Plin. Hist. Nat. XXXVI, cap. 50: « Fulmina et fulgura quoque sulfuris odorem habent, et lux ipsa eorum sulfurea est. » Tzetzes: Θειώδης γὰρ ὁ κεραυνὸς βαρεῖαν ὀδμὴν ἔχει. « Sulfureum enim fulmen gravem odorem habet. » Et ipse docet

Respirant Thebæ, templisque jacentia surgunt
Agmina: jam finis votis, finisque supremis
Planctibus, et natos ausæ deponere matres.
At vaga palantes campo fuga volvit Achivos.
Nec jam hostes turmæ, aut ferrum mortale timetur:
Omnibus ante oculos iræ Jovis, omnibus ardent
Arma metu, galeæque tonant, visusque paventes
Ipse sequi, et profugis opponere Juppiter ignes.
Instat Agenoreus miles, cælique tumultu
Utitur: indomitos ut quum Massyla per arva
Armenti reges magno leo fregit hiatu,

fulmen etiam vocari *sulfur*, ὁ κεραυνός θεῖον.

20. *Natos ausæ deponere matres.* Qnas scilicet sno gremia applicitos et pressas tenebant præ timare.

21. *At vaga palantes campo fuga volvit Achivos. At vaga pallentes* Put. *Aut vaga* Ald. et Basil. — Reg. B habet, *At vaga pallentes*; Reg. C nastram. Ed. — *At vaga palantes.* Hanc leetianem seripti libri et editia princeps apprabant, sententia flagitat. Vulg. *Aut vaga.* Bernart.

22. *Nec jam hostes turmæ, aut ferrum martale timetur. Nec jam aut hastiles turmæ, ferrumve timetur* Lang. Buslid. Aldd. plerique et Gevart. *Nec jam hostiles turmæ aut ferrum mortale timetur* Behatt. 1, 2, Dan. optimus aliique Barthiani et Ram. Hinc. Lindenbrogius et Barth. eanj. *Nec turmæ hastiles, ferrum aut mortale timetur.* Salus Put. veritatem exhibet: *Nec jam hostes turmæ, aut ferrum martale timetur;* quam lectianem reeeperunt Dan. Heinsius in Amstel. et Delph. *hostes turmæ* pra hastilibus. — Reg. B nostr. lect. exhibet, Reg. C, *Nec turmæ hastiles ferrum aut mortale timetur.* Ed.

24. *Arma.* Clipei. — *Galeæque tonant.* Velnt tanitru insonant.

25. *Ipse sequi, et profugis opponere Juppiter ignes.* Reg. B habet, *Ipse sequi, profugis*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Ipse sequi, et profugis oppanere Juppiter ignes.* Huia versui subnectit Gnyetus illum: *Arctatur denso fugientum ex agmine vallum*, deletis amnibus intermediis: past quem etiam versum delet omnes nsque ad *Stabat in Argalicæ*, etc.

26. *Instat Agenareus miles. Instat Agenarius* nnns Behat. — *Agenorrus.* Thebanus. — *Cælique tumultu Utitur.* Javis fulmine audaciam dimicandi plebs Thebana conceperat. Lactant.

27. *Massylla per arva.* Terras Africæ. Lactant.

28. *A. r. m. leo fregit hiatu.* Lang. Buslid. Aldd. Basil. et Plaut. *leo fregit hiatu;* Behott. 1, 2, Dan. Petav. et edd. recentt. *leo frangit hiatu.* — *Armenti reges.* Maximos taurorum.

Et contentus abit: rauci tunc cominus ursi,
Tunc avidi venere lupi, rabieque remissa
Lambunt degeneres alienæ vulnera prædæ.
Hinc premit Eurymedon, cui rusticus horror in armis,
Rustica tela manu, patriumque agitare tumultum.
Pan illi genitor: tener hinc conatibus annos
Egreditur, juvenemque patrem puer æquat Alatreus.

29. *E. e. a. rauci tunc cominus ursi.* Bernartius legit: *ravi tunc cominus ursi.* — *Rauci tunc cominus ursi.* Ut ingenue loquar, non satis percipio cur raucedinem ursis tribuat. Fuit quum divinarem legendum, *ravi tunc cominus ursi*, a colore deducto epitheto. Sed adhuc delibero. BERNART.

30. *Tunc avidi venere lupi.* Optimi duo libri nec volam nec vestigium hujus versus agnoscunt. Optime omnino. Assutus est ex Ovidianis ab homine talibus intrudendis infesto huic auctori, ut jam semel deprehensum est. Nam quorsum *rabieque remissa?* BARTH.

32. *Eurymedon.* Vide Theb. VII, v. 262, catalogum ducum Thebanorum.—*Cui rusticus horror in armis.* Hunc enim sic describit Noster lib. VII, v. 262: « Cui pastoralia Fauni Arma patris, pinusque jubas imitatur equinas. »

33. *Rustica tela manu, patriumque agitare tumultum.* « Insaniunt libri nonnulli, qui *Rustica mala* scribunt. » BARTH. Optimæ ejusdem Barthii membranæ et Put. *agitare tumultus;* quod ille probat. — Reg. B habet, *patriumque habitare tumultus*, et supra correctum: *patriæque.* Reg. C nostram lect. ED.— *Rustica tela.* Sunt stipites et sudes præustæ rusticorum arma. Virg. Æn. VII, v. 623: « Non jam certamine agresti Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis. » — *Patriumque agitare tumultum.* Panis enim erat filius Eurymedon. Pan autem subitos terrores animis immittere creditus, iique *Panici*, ab ipso dicti. Græcis πανικὰ vocantur, καὶ πανικὰ δείματα. De quibus in Miscellaneis Angelus Politianus. Quod evenisse non raro constat ex historiis, quum in exercitu nulla apparente justa causa viri et equi subito pavore corripiuntur, ac fugam capiunt. Conferendus vero hic locus, in quo agitur de Eurymedonte et Alatreo cum alio lib. VII, in quo de iisdem loquitur Poëta, quia sibi mutuam præbent lucem.

34. *P. i. g. tener hinc conatibus annos.* Dan. et unus Bernartii, *tener hic;* i. e. *hic*, vel *hinc.* « Vera lectio, *tener hinc;* nec mutanda. » BARTH. — Sil. Ital. Punic. II, 348: « certant annos anteire labore. » Plus laboris et ante, quam ætas patiatur, suscipere. ED.

35. *Egreditur, juvenemque patrem puer æquat Alatreus.* Reg. B habet, *Elatres;* Reg. C nostr. lect. ED. — *Juvenemque patrem.* E diverso dicit Pythonem cum Adelphilo bellum movere, pari pæne ætate pollentes: et istorum meminit in catalogo. Theb. VII, 296:

Felices ambo; sed fortunatior ille,
Quem genuisse juvat: nec jam dignoscere promtum,
Quæ magis arma sonent, quo plus eat hasta lacerto.
Arctatur denso fugientum examine vallum.
Quas volvis, Gradive, vices? modo mœnia Cadmi
Scandebant, sua nunc defendunt tecta Pelasgi.
Ceu redeunt nubes, ceu circumflantibus Austris
Alternus procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit æstus arenas.
Procumbit late pubes Tirynthia, alumni
Exuvias imitata Dei: trux mæret ab alto

« pater est natusque, sed ævi Confudere modos. »

39. *Arctatur denso fugientum examine vallum.* Lang. Lipsian. Behott. 1, 2, Venett. Colin. Lindenbrog. et Crue. ex *agmine vallum:* » Optime nostri libri *examine vallum;* ut voluit et Bernartius; item ante eum longe Gul. Canterus. » BARTH. Hoc exhibent Grasser. Gevart. et Delph. — Regg. B et C, *Artatur*, præbent. ED.

42. *C. r. n. ceu circumflantibus Austris.* Unus Behot. *circunstantibus Austris.*

43. *Alternus procumbit ager. Æternis procumbit* Put. *Alternis procumbit* Dan. Petav. Gevart. et Amstel. *Alternus procumbit* Behott. 1, 2, Exc. Lang. Venett. 3, 4, Rom. Colin. Basil. Barth. et Delph. — Reg. B habet, *Æternus procumbit ager;* Reg. C, *Æternis*. ED. — *Alternus procumbit.* Nihil Statio frequentius, quam hoc adjectivum poni pro adverbio: ut lib. V, v. 722: » Alternaque pectora mutat. » Id est, alternatim sive alternis. Lib. VI, v. 857: « Et jam alterna manus frontemque humerosque lacessit. » Hoc ipso lib. v. 336: « Quid alternos vultus pallorque ruborque Mutat? » Sic et lib. præced. vs. 796, » Ut alterni, etc. OEdipodionii mutent diademate fratres. »

44. *N. r. b. n. obruit æstus arenas.* Put. *induit æstus.*

45. *Procumbit late.* Dan. Petav. et Venett. 3, 4, *Expirat late.* — *Alumni*, Herculis, qui apud Tirynthium educatus dicitur. — *Pubes Tirynthia.* Juvenes dicit qui cum Agyleo fuerant, Herculis filio, qui stipitibus et sagittis dimicabant, non gladiis: ut in catalogo, lib. IV, 154 et 599: » flavent capiti tergoque leonum Exuviæ, gentilis honos, ac pineus armat Stipes, inexhaustis artantur tela pharetris. »

46. *Exuvias imitata Dei: trux mæret ab alto.* » Meliores nostri *ab astris* expresse habent. » BARTH. Ita quoque Dan. Put. et receperunt Lindenbrog. et Crue. *ab alto* servant Lang. Lipsian. Venett. Aldd. Gevart. Grasser. et recentt. Pro *imitata Dei* Lipsian. habet, *imitata tui;* unde Bernartius fecit: imi-

Amphitryoniades Nemeæa in sanguine terga,
Et similes ramos, similesque videre pharetras.
Stabat in Argolicæ ferrato margine turris
Egregius lituo dextri Mavortis Enipeus
Hortator; sed tunc miseris dabat utile signum,
Suadebatque fugam, et tutos in castra receptus:
Quum subitum obliquo descendit ab aere vulnus,
Urgentisque sonum læva manus aure retenta est,
Sicut erat: fugit in vacuas jam spiritus auras,
Jam gelida ora tacent; carmen tuba sola peregit.
Jamque potens scelerum, geminæque exercita gentis
Sanguine, Tisiphone fraterna cludere quærit
Bella tuba: nec se tanta in certamina retur

tata sui.—Reg. B habet, *trux mœret ab astris;* Reg. C nostram lect.

47. *A. Nemeæa in sanguine terga.* *Nemeæ in sanguine* Lang. Buslid. Dan. Petav. Behot. 1, Colin. Gryph. Gevart et Crue. *Nemees in sanguine* Behot. 2, et optimæ Barthii membranæ, probante Barthio; *Nemeæi in sanguine* alii codd. Barthii. — *Amphitryoniades.* Hercules. — *Nemeæa terga.* Hoc est, vacuæ leonum pelles.

48. *E. s. r. similesque videre pharetras.* Unus Behot. *similes videre.* — *Similes ramos.* Clavas.

49. *Stabat in Argolicæ ferrato margine turris.* Put. *culmine turris.* « Meliores libri: *limine turris:* omnino melius. » Barth. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostr. Ed.

50. *Enipeus.* Hic tuba Thebanos in bellum excitare solebat, sed tum amens fugam civibus suadebat. Lactant.

52. *Sq. f. et tutos in castra receptus.* « Magis placet, quod in duobus libris invenio: et *celeres in castra.* » Barth. Pro *receptus* Behot. 1, habet *recessus;* Dan. *nepotes.*

54. Hic versus in Reg. B desideratur, adest in. Reg. C. Ed. — *Læva manus aure retenta est.* Corrigit Peyraredus: *læva manus ære retenta est.*

56. *Carmen tuba sola peregit.* Ennianus versus: « Quumque caput caderet, carmen tuba sola peregit, Et pereunte viro raucum sonus ære recurrit. »

57. *Jamque potens scelerum, geminæque exercita gentis.* Dan. Put. et Petav. *exterrita gentis.*—Reg. B hanc lect. Reg. C nostram. Ed.

58. *Sanguine, Tisiphone fraterna cludere quærit.* *Thesiphone* Behott. 1, 2, *ducere quærit* Behot. 1, et e regione: *includere.* In uno Barthian. glossa est: « *concludere,* i. e. terminare. » — Reg. B et C, *Tesiphone,* exhibent. Ed.

59. *Bella tuba: nec se tanta in certamina retur.* Aldd. Gryph. Plaut. et Crue. *certamina fidit;* Lang. Laur. Lipsian. Petav. Cantab. Venett. 3,

Sufficere, inferna comitem ni sede Megæram,
Et consanguineos in prælia suscitet angues.
Ergo procul vacua consedit valle, solumque
Ense fodit Stygio, terræque immurmurat absens
Nomen, et, Elysiis signum indubitabile regnis,
Crinalem attollit longo stridore cerasten.
Cæruleæ dux ille comæ, quo protinus omnis
Horruit audito tellus, pontusque, polusque,
Et pater Ætnæos iterum prospexit ad ignes.
  Accipit illa sonum: stabat tunc forte parenti
Proxima, dum cœtu Capaneus laudatur ab omni
Ditis, et insignem Stygiis fovet amnibus umbram.

4, Rom. Amstel. Gronov. Barth. et Delph. *certamina retur.* — Reg. B habet, *tanta in certamina fidit*; Reg. C eamdem lect. Ed.

60. *Megæram.* Megæra, una ex Furiis.

61. *Consanguineos angues.* Angues enim loco capillorum habent Furiæ.

62. *Vacua valle.* Ab humano cultu. In deserta vestigiis omnibus valle. Vet Schol. Peragentem inducit sacra infernalia, educendæ Megæræ, qualia solita poetis adscribi Manium Elicitoribus, Tisiphonem. Barth.

63. *Terræque immurmurat absens Nomen.* Pro « absentis Furiæ nomen. » — Sil. Ital. Punic. V, 332: « telum ore cruento Exspirans premit atque admorsæ immurmurat hastæ » ad quem illustrandum Nostri locus adductus est. Vide nost. edit. tom. I, pag. 319. Ed.

64. *Nomen, et, etc.* « In optimo libro est *Numen*; quod et verum puto. » Barth.

65. *Crinalem*, etc. Conferendus hic locus cum simili primi Theb. vs. 116.— *Attollit.* Erigit. Lactant.

68. *Et pater Ætnæos iterum prospexit ad ignes. Et pater Æthereos* unus Behot. et pro v. l. *Ætneos* Pul. *respexit ad ignes.* — Hanc lectionem Regg. B et C exhibent. Ed. — *Et pater Ætnæos iterum prospexit ad ignes.* Bene *iterum*, quia paullo ante Jupiter Capaneum fulmine percusserat. Nunc audito tam horrendo stridore, ratus vel eumdem, vel novum hostem prodire, requirit fulmen. Ætnæi autem ignes, fulmina, quorum fabricatores Cyclopes Ætnæ montis accolæ, et in quo erat Vulcani officina.

69. *A. i. s. s. tunc forte parenti.* Behott. 1, 2, *tum forte.* — *Parenti.* Acheronti. Nam ex Acheronte et Nocte Furiæ natæ.

70. *Laudatur.* Ob impietatem in Deos.

71. *Ditis et insignem Stygiis fovet amnibus umbram.* Reg B habet, *Stygiis fovet omnibus umbram*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Stygiis amnibus.* Bene *amnibus*, quia anima

Protinus abrupta terrarum mole sub astris
Constitit, exultant Manes, quantumque profundæ
Rarescunt tenebræ, tantum de luce recessit.
Excipit atra soror, dextræque innexa profatur:
« Hac germana tenus Stygii metuenda parentis
Imperia, et jussos potui tolerare furores,
Sola super terras, hostilique obvia mundo,
Dum vos Elysium et faciles compescitis umbras.
Nec pretium deforme moræ, cassique labores.
Hoc quodcunque madent campi, quod sanguine fumant
Stagna, quod innumero Lethæa examine gaudet
Ripa, meæ vires, mea læta insignia: sed quid

Capanei ustulata fuerat a fulmine.

72. *Protinus abrupta.* « Omnino scribendum ex indicio optimi codicis: *Protinus crupta:* prorsus digna Papinio scriptura; nec aliam poscit aut admittit sententia. »

73. *Quantumque profundæ Rarescunt tenebræ*, etc. Furiæ, inquit, discessu tantum luminis inferis accessit, quantum ejus adventu dies amisit.

74. *Rarescunt tenebræ. Rarescunt umbræ* unus Behot.

75. *E. a. s. dextræque innexa profatur.* Dan. Petav. alii, cum edd. vett. *innixa;* Put omnes Barthiani, Gevart., Barth. et Veen. *innexa.* — *Atra soror.* Tisiphone. — *Innexa* (*innixa*). Quidam codices habent *innexa.*

76. *Hac germana tenus.* Supra Theb. VIII, 65, irascentis Ditis verba ad Furiam hæc fuerant: « sed quid ego hæc? i, Tartareas ulciscere sedes Tisiphone. » Lactant.

78. *Hostili mundo.* Supero.

79. *Faciles.* Supple, regi, vel compesci.

80. *N. p. d. m. cassique labores.* Behott. 1, 2, *cassique laboris.* — *Nec pretium.* Nec operæ pretium fuit diu mansisse apud Superos tantis factis stragibus. Lactant. — *Deforme.* Inhonestum, turpe secundum officium furiarum.

81. *Hoc quodcunque madent campi, quod sanguine fumant. Huc quodcunque* Put. et Venett. 3, 4. — Reg. B habet, *hoc quodcunque madet campi;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sanguine fumant Stagna.* Cruore recenti per rivos in stagna defluente.

82. *Quod innumero Lethæa examine gaudet Ripa.* Claud. XV de Bello Gild. v. 158, « quod Nilus et Atlas Dissidet. » Videsis notata ad hunc locum. nost. edit. tom. I, pag. 404. Ed.

83. *Meæ vires.* Ex Virgilio, Æn. I, 664: « Nate, meæ vires. » Guyetus. Sed fallitur. Non enim sic sororem compellat Tisiphone, sed innuit suas esse vires, seu sua esse munia, seu opera, « quod madent campi, etc. » — *Sed quid Hæc*

Hæc ego? Mars habeat, vulgataque jactet Enyo.
Vidistis (Stygiis certe manifestus in umbris)
Sanguine fœdatum rictus, atroque madentem
Ora ducem tabo: miserum insatiabilis edit
Me tradente caput: modo nempe horrendus ab astris
Descendit vos usque fragor: mea sacra premebat
Tempestas, ego mixta viri furialibus armis
Bella Deum, et magnas ridebam fulminis iras.
Sed jam (effabor enim) longo sudore fatiscunt
Corda, soror, tardæque manus: hebet infera cælo
Taxus, et insuetos angues nimia astra soporant.

ego? Mars habeat, vulgataque jactet Enyo. Hæc quæ superius dixit, nimirum: « Hoc quodcunque madent campi, » etc. ut leviora tribui vult Marti et Bellonæ, et sibi soli assignat, quidquid impium in Deos, quidquid contra mores humanos commissum fuerat, ut furorem Tydei, quo caput hostile voravit, et Capanei impietatem, qua bellum Diis denuntiavit, meruitque fulmine percuti. *Enyo* vero, Bellona.

84. *Hæc ego? Hoc ego* Dan. Put. Aldd. Plant. et Crue. *Hæc ego* Lang. Laur. Buslid. Behott. 1, 2, Grasser. Amstel. Barth. et Delph.—*Hæc ego.* Quæ hactenus facta sunt sibi Mars cum Bellona vindicat, nunc ego ad singulare impellam. LACTANT.

85. *Vidistis (Stygiis certe manifestus in umbris).* Put. *manifesta sub umbra.*—Reg. B habet, *Vidisti Stygiis*, etc. Reg. C, *Vidistis Stygiis certe manifestus in undis.*—*Stygiis certe manifestus in umbris.* Ob inusitatam hanc immanitatem notabilis est inter omnes impias umbras, etiam in locis Pœnarum, Tydeus.

86. *Sanguine fœdatum rictus. Sanguine fœdantem.* Petav. Basil. Plant. Crue. et Gevart. *Sanguine fœdantem* Put. Laur. Buslid. Behott. 1, 2, omnes Barthiani, Venett. 3, 4, et recentt.—*Fœdatum.* Tydeum.

87. *Miserum insatiabilis edit Me tradente caput.* Hæc insititia judicat Guyetus, quare jungit τὸ, *tabo*, hujusce versus cum τῷ, *modo*, sequentis.

88. *Horrendus ab astris.* Capaneum quoque, sed modice, fuisse se dicit audacem. LACTANT.

89. *Fragor.* Supple fulminis, et tonitrus, quo percussus Capaneus.—*Mea sacra.* Id est, mihi devotum caput.

90. *Tempestas, ego mixta viri furialibus armis* Reg. B habet, *Tempestas, ego mixta viris furialibus armis;* Reg. C, *viri furialibus ausis.*—*Viri* Capanei.

91. *Bella Deum.* De Thebis contendentium. Vide sup. lib. V, 877 et 599.

92. *Fatiscunt.* Lassantur. LACT.

94. *Taxus.* Quia Furiæ de taxo arbore dicuntur faces habere.—*Insuetos.* Id est, lumini non assuetos.—*Hebet infera cælo Taxus.* Inferis nata et assueta fax, apud Supe-

Tu, cui totus adhuc furor, exsultantque recentes
Cocyti de fonte comæ, da jungere vires.
Non solitas acies, nec Martia bella paramus,
Sed fratrum (licet alma fides, pietasque repugnent,
Vincentur), fratrum stringendi cominus enses.
Grande opus: ipsæ odiis, ipsæ discordibus armis
Aptemur: quid lenta venis? agedum elige, cujus
Signa feras: ambo faciles, nostrique; sed anceps
Vulgus, et affatus matris, blandamque precatu
Antigonen timeo, paullum ne nostra retardet
Consilia: ipse etiam, qui nos lassare precando
Suetus, et ultrices oculorum exposcere diras,
Jam pater est: cœtu fertur jam solus ab omni
Flere sibi: atque adeo moror ipsa irrumpere Thebas,
Assuetumque larem: tibi pareat impius exsul,

ros vim suam perdit. Conf. Claud. XXXVI de raptu. Pros. lib. III, 386, ad quem illustrandum adductus est Nostri locus, nost. edit. tom. II, pag. 280. Ed.

95. *T. c. t. a. f. exultantque recentes.* Nonnulli codd. *recentis;* ita etiam Gevart. et marg. ed. Barth. — *Recentes de fonte comæ.* Id est, quem recentes potarunt. — *Comæ.* Serpentes, qui loco crinium sunt.

97. *Martia bella. Martia tela* Dan. — *Martia.* Qualia Mars solet efficere. Lactant.

98. *Alma fides, pietasque.* Earum enim numina hoc atroci crimine nimium offendentur.

99. *Fratrum stringendi cominus enses.* Unus Behot. *stringentur cominus enses.* « Optima et nullo modo sollicitanda scriptura: *stringendi cominus enses.* Insaniunt ergo unæ membranæ, quæ referunt: *et fratrum stringatur mutuus enses.* » Bart.

102. *Ambo faciles.* Id est, facile eos in crimina impellemus. Intelligit Eteoclem, et Polinicem. De eisdem lib. I, 86: « nec tarda sequetur Mens juvenum. »

103. *Blandamque precatu Antigonen timeo.* Ne flectat precibus fratres.

104. *Antigonen timeo, paullum ne nostra retardet.* Exc. Cantab. et Petrens. *ne nostra retardent;* omnes alii codd. et edd. *retardet.* — Reg. B habet, *ne nostra retardent;* Reg. C *retardet* et supra correctum: *retardent.*

105. *Lassare precando Suetus.* Vide initio Th. I, 56 et seq.

107. *Jam pater est.* Hoc est, jam patris affectu in filios tangitur, vel jam meliora cœpit habere circa filios vota.

108. *Thebas.* Ad instigandum, et in furorem impellendum Eteoclem.

109. *Assuetumque larem.* Diutur-

Argolicumque impelle nefas; neu mitis Adrastus
Prævaleat, plebesque, cave, Lernæa moretur.
Vade, et in alternas inimica revertere pugnas. »
  Talia partitæ diversum abiere sorores.
Ut Notus et Boreas, gemino de cardine mundi,
Hic nive Riphæa, Libycis hic pastus arenis,
Bella cient : clamant amnes, freta, nubila, silvæ;
Jamque patent strages : plangunt sua damna coloni,
Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas.
Illas ut summo vidit pater altus Olympo
Incestare diem, trepidumque Hyperionis orbem
Suffundi maculis, torvo sic inchoat ore :
  « Vidimus armiferos, quo fas erat usque, furores,
Cælicolæ, licitasque acies, etsi impia bella

no jam tempore habitatum, ex quo nimirum Laium occiderat; et matrem duxerat, Furiæ habitabant domum OEdipi. — *Impius exsul*. Polynices.

110 *Argolicumque impelle nefas*. « Scribendum ut est in optimo et aliis duobus codd. *Argolicum tu impelle nefas* : plus enim habet energiæ. » Barth.

114. *Ut Notus et Boreas, gemino de cardine mundi*. Put. *medio de cardine*. — Hanc Reg. B habet lect. Reg. C nostram. Ed. — *Gemino de cardine mundi*. Alter enim, nimirum Boreas, a Septemtrione flat, Notus vero a Meridie.

115. *Riphæa*. Vide Theb. I, 420. —*Libycis hic pastus arenis*. I. e. vaporibus eductis ex arenis Africanis.

116. *Bella cient : clamant amnes, freta, nubila, silvæ*. In eodem Put. libro : *clamant manes*. — Hanc Reg. B habet lect. Reg. C nostr. Edit.

118. *Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas*. Ut quos sæva tempestas submerserit.

120. *Incestare diem*. *Infestare diem* in quibusdam codd. sed vide Dan. Heins. ad Claudian. de Rapt. Proserp. II, 217.—*Incestare diem*. Inquinare, impuram facere. Idem Maro, Æn. VI, 150 : « Totamque incestat funere classem. » Ita et melius de Dite Claudian. Rapt. Pros. lib. II, 217 : « Tua cur sede relicta Audes tartareis cælum incestare quadrigis? » Superorum res incestari adspectu infernalium multis habent Tragœdiæ in fabulis Herculis. Barth. — Claud. Bello Getico, III, 147 : « Patriis lunare venenis Incestare jubar. » Cons. Manlii, XVII, 267 : « Latios incestant nomina fastos. »—*Hyperionis*. Solis. Vide lib. VIII, 47.

122. *V. a. quo fas erat usque, furores*. Bernartius conj. *qua fas erat*.

123. *Etsi impia bella Unus init*. Capaneum intelligit. Vide lib. sup.

Unus init, aususque mea procumbere dextra.
Nunc par infandum, miserisque incognita terris
Pugna subest: auferte oculos: absentibus ausint
Ista Deis, lateantque Jovem: sat funera mensæ
Tantaleæ, et sontes vidisse Lycaonis aras,
Et festina polo ducentes astra Mycenas.
Nunc etiam turbanda dies: mala nubila tellus
Accipe, secedantque poli: stat parcere mundo,
Cælitibusque meis: saltem ne virginis almæ

Cæterum de ingenuitate hujusce versus et sequentis dubitat Guyetus, dicitque sententiam suam confirmari a codice Buslidiano.

124. *Ausus que mea procumbere dextra.* Id est, ausus mereri, ut mea procumberet dextra. Quidam codices habent: *dignusque mea*, etc. Alii et plures quidem: *aususque meam contemnere dextram.*

125. *Par infandum.* Fratrum scilicet secum invicem pugnantium, ut dicitur par gladiatorum.

126. *Pugna subest: auferte oculos: absentibus ausint.* Reg. B habet, *absentibus ah sint Ista Deis;* Reg. C nostram lect. Ed.

* 127. *Ista Deis, lateantque Jovem: sat funera mensæ.* Put. *funera mensis.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Sat funera mensæ.* Dicit Juppiter adhuc sibi Tantali horrere convivium, in quo Pelopem prædictus pater numinibus apposuit epulandum. Lact.

128. *Tantaleæ, et sontes vidisse Lycaonis aras.* Reg. B habet, *Tantalei, et sontes*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Lycaonis aras.* Lycaon rex Arcadiæ Jovem suscepit hospitio, quumque vellet explorare, an numen Juppiter esset, quem domo susceperat, humanas ei carnes apposuit: quod quum Juppiter agnovisset, domum ejus incendit ipsumque mutavit in lupum, unde Græce λύκος dicitur *lupus.* Lact.

129. *Et festina polo*, etc. Tangit fabulam solis retrocedentis propter epulas Atrei, in quibus Thyesti fratri proprium filium comedendum præbuit. — *Mycenæ.* Mycenæ Argolidis oppidum. Nunc *Agios-Adrianos*, teste Sophiano. Ed.

130. *Nunc etiam turbanda dies: mala nubila tellus.* Optimi libri: *Nunc iterum:* id melius.

131. *Accipe, secedantque poli: stat parcere mundo.* Dan. *stat parcere solo;* Lang. Buslid. Petav. et edd. vett. *stat parcere cælo;* Behott. 1, 2, *stat parcere soli*, et pro v. l. *cælo;* Put. *stat parcere mundo.* — *Mundo.* Id est cælo. Neque enim Papinius minus quam alii Veteres *mundum* pro cælo usurpat. Lib. III, v. 498. Amphiaraus: « immensi fruitur caligine mundi. »

132, *Cælitibusque meis: saltem ne virginis almæ. Sideribusque meis saltem neu virginis*, etc. unus Behot. — *Virginis almæ.* Astrææ vel Erigones ob pietatem in patrem. Vide Theb. IV.

Sidera, Ledæi videant neu talia fratres. »
  Sic pater omnipotens, visusque nocentibus arvis
Abstulit, et dulci terræ caruere sereno.
  Jamque per Argolicas Erebo sata virgo cohortes
Vestigat Polynicis iter, portisque sub ipsis
Invenit, incertum leto tot iniqua fugane
Exeat, et dubios turbabant omina sensus.
Viderat, obscura vallum dum nocte pererrat
Æger consilii, curisque novissima volvens,
Conjugis Argiæ lacera cum lampade mæstam
Effigiem (sunt monstra Deum, sic ire parabat,
Has latura viro tædas erat): ergo roganti,
Quæ via, quisve dolor, cur mœsta insignia? tantum

133. Hic versus in Reg. B desideratur, adest in Reg. C. — *Ledæi fratres*. Pollux et Castor Ledæ filii, qui miro se amore dilexerunt.

135. *Et dulci terræ caruere sereno*. Sic ante prælium Pharsalicum, insignes fuere interdiu tenebræ, ut referunt Florus et Lucanus. — Serenum absolute dictum, ut Sil. Ital. Punic. V, 58: « Sensimque fluebat Caligo in terras nitido resoluta sereno. » Virg. ante dixerat, Georg. I, 393: « Nec minus ex imbri soles et aperta serena Prospicere, etc. » Ad quem locum ab Heynio notata legere si velis, adi nost. edit. t. I, pag. 313. Ed.

136. *Erebo sata virgo*. Megæra Furia.

137. *Vestigat*. Intentis oculis observat et inquirit. Virgil. Æn. VI, 145: « Ergo alte vestiga oculis. » Servius: « require omni intentione. » Ita « in umbra vestigare » omnem animi intentionem, etiam demto visu, designat Valerio Flacco lib. II, vs. 116: « famamque vagam vestigat in umbra. » Barth.

138. *Invenit, incertum leto tot iniqua fugane*. Dan. Put. Petav. et Cruc. *fugave*. Versus ille cum sequenti locum mutavit in Reg. B. Reg. C nostram habet lect. Ed.

139. *Exeat*. Declinet.

141. *Æger consilii*. *Æger consiliis* Behott. 1, 2, Put. Petav. Venett. 3. 4, Aldd. Basil. Lindenbrog. et Cruc. *Æger consilii* Lang. Lipsian. Gronov. Barth. et Delph. — *Æger consilii*. Tristia cogitans, sive consilio imbellis. Lactant.

142. *C. A. lacera cum lampade mæstam*. Put. *laceram c. l. mæstam*.

144. *Has latura viro tædas*. Tædæ hic mortem proximam Polinici portendebant: tædæ enim funeribus adhibitæ.

145. *Quæ via, quisve dolor, cur mœsta insignia? tantum*. Edd. vett. *cur mœsta insignia tantum*, etc. Interpunctio nostra debetur Bernartio. — *Mœsta insignia*. Vestes nigras, et facem.

Fleverat; atque manu timidos averterat ignes.
Scit mentem vidisse nefas: etenim unde Mycenis
Afforet, et vallum conjux inopina subiret?
Sed fati monitus, vicinaque funera sentit,
Ac sentire timet: quum vero Acherontis operti
Diva ter admoto tetigit thoraca flagello,
Ardet inops animi, nec tam considere regno,
Quam scelus, et cædem, et perfossi in sanguine fratris
Exspirare cupit, subitusque affatur Adrastum:
« Sera quidem, extremus sociûm, gentisque superstes
Argolicæ, consulta, pater, jam rebus in arctis
Aggredior: tunc tempus erat, quum sanguis Achivum
Integer, ire ultro, primamque capessere pugnam,
Non plebis Danaæ florem, regumque verendas

146. *Fleverat; atque manu timidos averterat ignes.* Omnes fere codd. et edd. vett. *timidos averterat ignes;* Put. vero exhibet: *tacitos averterat ignes.* —Reg. B habet, *F. a. m. tacitos averterat ignes;* Reg. C nostram lect. Ed.

150. *A. s. t. q. v. Acherontis operti. Acherontis aperti* Put. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Acherontis operti Diva.* Furia Megæra.

151. *Diva ter admoto tetigit thoraca flagello.* — Reg B habet, *Dira ter admoto;* Reg C nost. lect.— *Diva ter admoto.* Quum iteravit eum percutere Furia, incipit amare mortem per fratricidium ardens amore sceleris, ut interficiat fratrem. Theb. VII, 579: « Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello, Eumenis in furias, animumque redire priorem Impulit. » — *Flagello.* Nam Furiæ flagellum gestabant, ut et facem.

153. *Quam scelus, et cædem, et perfossi in sanguine fratris.* Unus Behot. *et perfossi funere;* Dan. *percussum in sanguine.* — Reg. B habet, *et perfossi sanguine fratris;* Reg. C eamdem lect. Ed.

154. *E. e. s. q. affatur Adrastum.* Hunc locum Nostri imitati sunt Robert Garnier et Rotrou in tragœdiis quibus titulus *Antigone*. Has imitationes legere si velis, invenies collectas in opere V. Cl. Cormiliolle, tom. I, pag. 115. Ed.

155. *S. q. e. s. gentisque superstes.* Dan. Heinsius ad Claudian. VI, Cons. Honor. 227, corrigit: *gentique superstes Argolicæ consulta, pater,* etc. — *Extremus sociûm.* Omnes enim perierant.

158. *Integer, ire ultro, primamque capessere pugnam.* Laug. Laur. Lipsian. omnes Barth. et Venett. 3, 4, *propriamque e. pugnam.* — Regg. B et C hanc lect. exhibent.

159. *N. p. D. f. regumque verendas.* « Alia est lectio in optimo co-

Objectare animas, ut lamentabile tantis
Urbibus induerem capiti decus: aspera quando
Præcepit virtus; nunc saltem exsolvere fas sit,
Quæ merui: scis namque, socer, licet alta recondas
Vulnera, et afflictum generi vereare pudorem:
Ille ego sum, qui te pacem et pia jura regentem
Infelix (utinamque aliis datus urbibus hospes)
Extorrem patria, regnoque: sed exige tandem
Supplicia: fratrem suprema in bella (quid horres?
Decretum est, fixumque) voco: desiste morari:
Nec poteris: non si atra parens, miseræque sorores
In media arma cadant: non si ipse ad bella ruenti
Obstet, et exstinctos galeæ pater ingerat orbes,
Deficiam: anne bibam superest quodcunque cruoris

dice: *magnasque regentum Objectare animas.* Puto ita reliquisse Papinium. » Barth.

161. *U. i. c. d. aspera quando.* « Vitiatus locus, et utique scriptum Papinio, ut refert unus omnium optimus codex: *at fera quando Præcepit virtus.* Sic melius cohæret sermo, et plenior est sententia. » Barthian. — *Aspera quando Præcepit virtus.* Sunt, qui sic explicent: Quoniam ita me coegit virtus rem aggredi, armis scilicet.

162. *Præcepit virtus. Præteriit virtus.* Put. — Reg. B habet eamdem lect. Reg. C nostram. Ed.

164. *V. e. a. g. vereare pudorem.* Dan. *venerare pudorem.*

165. *Ille ego sum, qui te pacem et pia jura regentem.* Ita loquuntur quum de se aliquid insigne dicere volunt. Virg. Æneid. I, 1, « Ille ego qui quondam, etc. »

167. *Patria regnoque.* Extra fines patrios te coegi bella suscipere.

168. *Supplicia: fratrem suprema in bella (quid horres?* « Sic vulgo editum: *Supplicia;* nec abeunt ab hac scriptura libri veteres aliorum, nihil enim varium notarunt. Et defendimus hanc similibus productis exemplis, in Analectis Poeticis, et ad III, olim Epigramma Claudiani. At dissimulandum non est principem codicum, cum illo suo traduce, disertissime referre: *Supplicium.* Cui pari bonorum librorum equidem assentimur. » Barth. *quid arces* unus Behot. sed correctum inter lineas. — Reg. B habet, *supplicium;* Reg. C nostram lect. Ed.

170. *Nec poteris: non si atra parens; miseræque sorores.* Reg. B habet, *nec poteris, nec si atra parens.* Reg. C nostram lect. Ed.

171. *In media arma cadant: non si ipse ad bella ruenti.* Reg. B habet, *nec si ipsæ ad bella ruenti.* Reg. C nostram lect. Ed.

172. *Galeæ.* Supple, meæ.

Inachii? et vestris etiamnum mortibus utar?
Vidi egomet propter ruptos telluris hiatus,
Nec subii: vidi examinum, fecique nocentem
Tydea: me Tegee regem indefessa reposcit,
Orbaque Parrhasiis ululat mihi mater in antris.
Ipse nec Ismeni ripas, dum stagna cruentat
Hippomedon, Tyrias potui nec scandere turres,
Dum tonat, et tecum, Capaneu, miscere furores?
Quis tantus pro luce timor? sed digna rependam.
Conveniant ubicunque nurus, matresque Pelasgæ,
Longævique patres, quorum tot gaudia carpsi,
Orbavique domos: fratri concurro: quid ultra est?
Spectent, et votis victorem Eteoclea poscant.
Jamque vale, conjux, dulcesque valete Mycenæ.
At tu, care socer, (nec enim omnis culpa malorum

174. *Mortibus utar.* Supra, v. 27: « Cælique tumultu Utitur. »

175. *Vidi egomet propter ruptos telluris hiatus. Vide egn me* Lang. Laur. Dan. Venett. 3, 4, Aldd. Colin. Basil. et Gevart. *Vidi egomet* Behnt. 1, Grnnov. Barth. et Delph. — Regg. B et C, *Vidi ego me propter* exhibent. En. — *Hiatus.* Amphiarai casum intelligit.

176. *Fecique nocentem Tydea.* Quum prn me, furore enrreptus, bnstile capnt voraverit.

177. *T. m. T. r. indefessa reposcit.* Put. *indefensa reposcit.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. En. — *Tegee.* Arcadia, a Tegea óppido. — *Regem.* Parthenopæum.

178. *Ululat mihi.* Quia mea causa amisit filium Parthenopæum. — *Mihi*, in me, mea causa. Claudian. IV, Cons. Hnn. 625: « tibi mille ruebant Per fluvium, plenæ cuneis immanibus, alni » Scilicet tuæ gloriæ causa, ut in eas superares. BARTH. — *Parrhasiis.* Arcadiis. Omnia autem hæc clara ex precedentibns libris. — *Mater.* Atalanta.

179. *Ipse nec Ismeni ripas.* Snpple, vel *subire*, vel *invadere*, aut simile verbnm: nam « *scandere* sequentis versns nnn potest inservire utrique membro, nisi improprie, qnod tamen fieri pntest.

182. *Quis tantus pro luce timor?* Unus Behot. pro. v. l. habet, *pro luce furor.*

183. *Pelasgæ.* Peloponnesiæ.

185. *Orb. d. f. c. quid ultra est?* Behott. 1, 2, *quid ultra*, omissn τῷ *est.*

188. *At tu, care socer. Ac tu* Aldd. Basil et Plant. et ita qnnque nonnulli edd. — *Nec omnis culpa malorum Me penes: et Superi mecum, Parcæque nocentes.* Etiam sunt Dii et fata mecum, quæ me impellunt. Ex illo, Quos Deus vult perdere,

Me penes; et Superi mecum, Parcæque nocentes),
Sis lenis cineri, meque hæc post prælia raptum
Alitibus, fratrique tegas, urnaque reportes.

dementat. Paytharedus. Homerus, Iliad. T: Ἐγὼ δ᾽ οὐκ αἴτιός εἰμι, Ἀλλὰ θεὸς, καὶ Μοῖρα, καὶ ἠεροφοῖτις Ἐριννύς. Sic plerique Veterum sentiebant, ut quod illi per se facerent, non vererentur ipsi numini tribuere. Si calamitatibus conflictabantur, id Deum fecisse dicebant. Si male agerent, non se, sed Deos Parcasque perpetrasse: unde illa verba Diaoæ, apud Euripidem, ad Theseum, quum inscius, Venere ita volente, filium Hippolytum perdidisset: Ἀνθρώποισι γὰρ Θεῶν διδόντων εἰκὸς ἐξαμαρτάνειν: « Hominibus licet, Diis auctoribus, peccare. » Non tamen omnes Veteres in hac opinione fuisse Deum causam malorum esse, ex Pindaro clarum est apud Clementem Alexandrinum Strom. V: Ζεὺς ὑψιμέδων, ὃς ἅπαντα δέρκεται, οὐκ αἴτιος θνατοῖς μεγάλων ἀχέων· ἀλλ᾽ ἐν μέσῳ κεῖται κιχεῖν πᾶσιν ἀνθρώποισι δίκαν ὁσίαν, ἁγνὰν, Εὐνομίας ἀκόλουθον, καὶ πινυτᾶς Θέμιδος. Ὀλβίων παῖδες, οἵ νιν εὕροντες σύνεικον. « Juppiter alte dominans, qui videt omnia, non est causa malorum mortalibus; sed in medio proponitur hominibus omnibus, ut apprehendant justitiam sanctam castam, Eunomiæ comitem, et Themidis prudentis. Felicium liberi, qui illam invenerunt secum habitantem. » Et apud Platonem de Rep. II: Οὗτος μὲν τοίνυν (ἦν δ᾽ ἐγὼ) εἷς ἂν εἴη τῶν περὶ θεοὺς νόμων τε καὶ τύπων, ἐν ᾧ δεήσει τοὺς λέγοντας λέγειν, καὶ τοὺς ποιοῦντας ποιεῖν, μὴ πάντων αἴτιον τὸν θεὸν, ἀλλὰ τῶν ἀγαθῶν· « Illa igitur, dicebam ego, debet esse una ex legibus et sententiis quæ de Diis sunt, in qua oporteat, et scriptores scribere, et poetas dicere, Deum non esse causam omnium, sed tantum bonorum. »

190. *Sis lenis cineri.* Veteres magna cura sepulturam suam amicis aut hæredibus commendabant, ac sollemnia sui funeris præscribebant. Sæpe jubebant, ut corpus suum in patriam et sepulcra majorum inferrentur. Quidam tamen sepulturam neglexere, ut de Tydeo refert Poeta sub finem lib. VIII, v. 736.

191. *Alitibus, fratrique tegas, urnaque reportes.* Dan. Petav. Colin. Lindenbrog. plerique et Amst. *neges urnaque reponas;* Lang. Laor. Buslid. et Venett. 3, 4, *neges urnaque reportes;* Bebott. 1, 2, *teges urnaque reportes.* — Regg. B et C, *urnamque reportes* exhibent. Edit. — *Alitibus fratrique tegas, urnaque reportes. Alitibus fratrique tegere*, est, ab alitibus et fratre defendere, ab illorum injoria prohibere, et *tegere* etiam verbum funebre. Virgil. Æneid. VI, v. 228: « Ossaque lecta cado texit Corinæos aheno. » Nec minus exquisitum, *me reportes urnam*, hoc est, meos cineres, relliquiasque in urna, per metonymiam continentis. Martial. IX, Ep. 77, 7: « Absentemque patri rettulit urna rogum. » Noster Theb. VIII, v. 113, « nec attonito saltem cinis ibo parenti. » Quædam editiones habent: *neges, urnamque reponas.*

Hoc tantum, et natæ melius connubia jungas. »
Ibant in lacrimas; veluti quum vere reverso
Bistoniæ tepuere nives, submittitur ingens
Hæmus, et angustos Rhodope descendit in amnes.
Cœperat et leni senior mulcere furentem
Alloquio: scidit orsa novo terrore cruenta
Eumenis, alipedemque citum, fataliaque arma,
Protinus Inachii vultus expressa Perinthi
Obtulit, ac fidas exclusit casside voces.
Ac super hæc: « Abrumpe moras: celeremus, et illum
Adventare ferunt portis. » Sic omnia vicit,
Correptumque injecit equo: volat æquore aperto
Pallidus, instantemque Deæ circumspicit umbram.
Sacra Jovi merito Tyrius pro fulmine ductor

192. *Natæ melius connubia jungas.* Id est, natam feliciori marito in conjugium des.

193. *I. i. l. veluti quum vere reverso.* Dan. *vere remisso.*

194. *Bistoniæ.* Thraciæ, a Bistonibus gente Thracia. — *Submittitur.* Id est, solutis nivibus minuitur.

195. *Hæmus, et,* etc. Edd. vett. *Æmus*, Behott. 1, 2, *hemus;* Behot. 2, *Rhodopes.* — De hoc loco vide quæ dicta sunt ad vers. 4 Petronii Trojæ Halos. « Delio profante, cæsi vertices Idæ trabuntur. » Poet. Lat. Min. nost. ed. tom. III, pag. 648.

196. *Senior.* Adrastus.

199. *P. I. v. expressa Perinthi.* Dan. Put. Petav. et edd. vett. *Pericli;* Behott. 1, 2, *Perichi;* Behot. 2, a m. pr. *Pericli;* nonnulli alii *Perinthi.* — Reg. B habet, *Phere-cli;* Reg. C, *Perichi.* Eo.

200. *Obtulit, ac fidas exclusit casside voces.* Behott. 1, 2, excussit *casside.* — Reg. B habet: *excludit casside voces;* Reg. C nostram lect. Eo. — *Fidas.* Casside caput Polynicis obduxit Furia Tisiphone, ne fideles admonitiones Adrasti posset exaudire.

202. *A. f. p. Sic omnia vicit.* Lipsian. Dan. Put. et Venett. 3, 4, *omnia vincit.*

203. *Correptumque injecit equo.* Aldd. Colin. et Basil. *injecit equum.* — *Injecit equo.* Invitum et ignorantem semetipsum raptat. Ita infra de adveniente Eteocle vs. 388: « subito quum matre repulsa Eumenis ejecit fractis Eteoclea portis. » Barth.

205. *Sacra Jovi merito Tyrius pro fulmine ductor. Jovis Tyrius merito* unus Behot. *pro fulmine victor* edd. vett. *pro fulmine ductor* omnes fere codd. et edd. recentt. — *Tyrius ductor.* Thebanus Eteocles. — *Pro fulmine.* Pro fulminato Capaneo

Nequicquam Danaos ratus exarmasse ferebat.
Nec pater æthereus, Divumque has ullus ad aras;
Sed mala Tisiphone trepidis inserta ministris
Adstat, et inferno prævertit vota Tonanti.
« Summe Deum, tibi namque meæ primordia Thebæ,
Liveat infandum licet Argos, et aspera Juno,
Debent, Sidonios ex quo per litora raptor
Turbasti thyasos, dignatus virgine nostra
Terga premi, et placidas falsum mugire per undas!
Nec te vana fides, iterum Cadmeia adeptum
Connubia, et Tyrios nimium irrupisse penates.

207. *Nec pater æthereus.* Reg. B habet, *Nec pater ætherius;* Reg. C eamdem lect. Eo. — *Pater æthereus.* Juppiter.

208. *Sed mala Tisiphone. Tesiphone* Behott. 1, 2. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *Thesiphone.*

209. *A. e. inferno prævertit vota Tonanti.* « Lipsian. *pervertit vota*, genus sermonis notum vel ex uno Plauto. » Bern. — *Inferno prævertit vota Tonanti.* Propinat ex scripto Bernartius, *pervertit:* idque genus sermonis notum ait vel ex uno Plauto. Ego vero undecunque id ignotum mihi fateor. Scio *perversa vota* esse Papinio diras: *perversaque vota secunda.* Sed nemo dixit unquam « pervertere vota Plutoni. » Merus hic error librarii. Recte autem *prævertit*, id est, intercepit et avertit a Jove et aliis Diis ad Plutonem. Florus, II, 4: « Mox Ariovisto duce vovere de nostrorum militum præda Marti suo torquem. Intercepit Juppiter votum. » Gronov.

210. *S. D. t. n. m. p. Thebæ. Thebe* Laug. Laur. Lipsian. et edd. vett. — *Primordia Thebæ.* Si enim Juppiter Europam non rapuisset, Cadmus navem ad sororem recuperandam non conscendisset, nec sic Thebas condidisset.

211. *Licet Argos.* Quamvis Græci tibi serviant, et ipsi sacrificia debeant; tamen et nos amare, quia multa apud nos, ob stuprum Europæ, amoris gaudia perfecisti.

212. *Sidonios Turbasti thyasos.* Intelligit raptum Europæ, quum e medio saltantium puellarum Sidoniarum seu Tyriarum choro, a Jove rapta est.

213. *Virgine nostra.* Europa, virgine nostræ gentis.

214. *Falsum.* Id est, mutatum in taurum.

215. *N. t. v. f. iterum Cadmeia adeptum. Cadmeia ademptum* Put. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *Cathmeia ademptum.* — *Cadmeia Connubia.* Intelligit Semelen Cadmi filiam.

216. *Tyrios nimium.* Propter sui vultus imaginem, et bene *nimium*, quia adventum Jovis armati ferre non potuit, vique fulminis interiit.

Tandem, inquam, soceros, dilectaque mœnia gratus
Respicis, assertorque tonas: ceu regia cæli
Attentata tui; sic te pro turribus altis
Vidimus urgentem nubes, lateque benignum
Fulmen, et auditos proavis agnovimus ignes.
Accipe nunc pecudes, et magni thuris acervos,
Votivumque marem: dignas sed pendere grates
Haud mortale opus est: certent tibi reddere Bacchus
Noster et Alcides: illis hæc mœnia serva. »

217. *Tandem, inquam, soceros.* Reg. B habet, *Tandem unquam soceros*, etc. Reg. C nostr. lect. En. — *Soceros.* Thebanos principes.

219. *Attentata tui; sic te pro turribus altis.* « Vitiose duo libri: *pro turribus arcis.* » Barth. — Reg. B habet, *Attemptata tui*; Reg. C, *Attemptata foret.* — *Tui.* Supple fuisset.

220. *Vidimus urgentem nubes, lateque benignum.* Lang. Laur. Lipsian. Dan. Petrens. Cantab. Burmann. alii, cum Venett. 3, 4, Rom. Aldd. Basil. Gevart. Grasser. et Amstel. *letique benignum.* Jortinus legit, *lætique.* Edd. Grnu. Barth. Delph. habent: *lateque benignum.* « Mirum in codd. et edd. vel *leti*, vel *lethi* legi, exceptis edd. a Gronoviana oriundis, et Barthiana, in quibus *late.* In Barthiana tamen *leti* in margine apparet: quo modo illud *leti* vel *lethi* explicuerint, non facile dictu. In codd. *leti* autem pro *læti* esse positum nulla hæsitatio: ita in meo *leti* cum gloss. *nos*, at illud *lateque benignum*, licet alteram lectionem sinceram putem, non adeo absurdum, ut defendi aliqua specie non possit. Non aliter « late victrices catervæ » Horatin, IV, Od. 3, dicuntur. Et Val. Flacc. III, 130, « Late fumanti nube coruscus. » Burm. Hoc loco silent Barthius, et Gronovius, qui *lateque* primus in textum intulit. — Reg. B habet, *lætique benignum*; Reg. C, *letique benignum.* — *Benignum.* Nempe, quod hostes nostros percuteret.

221. *F. e. a. p. agnovimus ignes.* Put. *agnoscimus ignes.* — *Auditos proavis.* Nempe, quum ad Semelen cum fulmine accessisti.

223. *Votivumque marem.* Lactantius: « Sacrificio Jovis dicatum taurum, qui Hæmus dicitur. » Et more Romano victoria parta sacrificabantur tauri, unde sic boves loquuntur ad Imperatorem Antonium: « Te jubemus salvere, Imperator; sed si vincis, omnino actum est de nobis. » Οἱ βόες οἱ λευκοὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν, Ἢν δὲ σὺ νικήσῃς ἄμμες ἀπολλύμεθα. Xenoph. Cyrop. Τῷ Διὶ ἤγοντο ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέσσαρας. Et Julianus ad Libanium: Ἔθυσα τῷ Διὶ βασιλικῶς ταῦρον λευκόν. « Sacrificavit Jovi candidum taurum régie. »

224. *Bacchus Noster et Alcides.* Quia hi Dii erant Thebani.

225. *Noster et Alcides: illis hæc*

Dixerat: ast illi niger ignis in ora genasque
Prosiluit, raptumque comis diadema cremavit.
Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat
Taurus, et obstantum mediis e cœtibus exit
Turbidus, insano feriens altaria cornu.
Diffugiunt famuli, et regem solatur haruspex.
Ipse instaurari sacrum male fortis, agique
Imperat, et magnos ficto premit ore timores.
Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem

mœnia serva. In eodem Put. codice: *hæc mœnia servas.* — Reg. B habet, *illic hæc mœnia servas*, et supra correctum, *illis;* Reg. C nostram lect. Ed.

226. *D. a. i. n. i. in ora genasque.* Behott. 1, 2, *in ore;* sed correctum *in ora.* — *Ast illi niger*, etc. Hæc omnia mali ominis erant.

228. *Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat Taurus, et obstantum mediis e cœtibus exit Turbidus, insano feriens altaria cornu.* Dirum omen hoc Veteres esse arbitrabantur, si victima ante receptum ictum fugeret, si ipsum ictum quiete non reciperet, si cornibus aram feriret. Hinc a Lucano inter prodigia Pharsalicæ cladis hoc quoque positum, VII, 165: « Admotus Superis discussa fugit ab ara Taurus. » Livius quoque ait, factum esse omen cladis futuræ Flaminio consuli, quo immolante vitulus ictus e manibus sacrificantium sese proripuit, multosque circumstantes cruore respersit. Exempla passim obvia apud poetas et scriptores. — Confer Sil. Ital. Punic. XVI, 262 et sqq. et ibi notata nost. edit. tom. II, p. 204. Ed.

230. *Turbidus, insano feriens altaria cornu.* Dan. Put. et Petav. *insanoque ferens.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed.

232. *Ipse instaurari sacrum male fortis.* Erat enim moris, ut si prima sacrificia minime fuissent numinibus accepta, aruspex secunda sacrificia repararet, donec viderentur esse suscepta. — *Agique Imperat. Agi* in sacris verbum usitatum, *hoc age quod agis.*

333. *Magnos ficto premit* ore *timores. Ficto ore.* Sensum cordis non exprimente. — *Premit.* Virg. Æn. I, 209: « Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem. »

234. *Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem*, etc. In hac comparatione Papinius imitatur Ovidium, qui Met. IX, de eodem Hercule ait v. 158 et sqq. « capit inscius heros, Induiturque humeris Lernææ virus Echidnæ. Thura dabat primis et verba precantia flammis, Vinaque marmoreas patera fundebat in aras. Incaluit vis illa mali, resolutaque flammis Herculeos abiit late diffusa per artus. Dum potuit, solita gemitum virtute repressit. Victa malis postquam est patientia, reppulit aras; Implevitque suis nemorosum vocibus OE-

Sensit, et OEteas membris accedere vestes,
Vota incepta tamen, libataque thura ferebat
Durus adhuc, patiensque mali, mox grande coactus
Ingemuit, victorque furit per viscera Nessus.
Nuntius exanimi suspensus pectora cursu
Æpytus ad regem, portæ statione relicta,
Tendit, et hæc trepido vix intellectus anhelat:
« Rumpe pios cultus, intempestivaque, rector,
Sacra Deum: frater muris circum omnibus instat,

ten. » Tangit fabulam, qua Dejanira ægre ferens sibi ab Hercule Iolen præferri, misit marito tunicam tinctam sanguine Nessi centauri, qui, sagitta Herculis Hydræ veneno imbuta, occisus fuerat, rata præsentissimum philtrum, ac efficacissimum amoris remedium, quod illi Nessus moriens persuaserat. Hercules tunc temporis sacrificaturus erat Jovi in Cenæo Eubœæ promontorio: sed simul ac hanc tunicam induit, virus exardescere cœpit, vestisque affixa corpori, concepto igne, ossa et carnem Herculis exussit. Ille, doloris impatientia, pyram sibi in monte OEta exstrui jussit, in qua se cum clava ac leonis pelle cremavit. Qua intellecta fabula omnia clara sunt.

235. *Sensit, et OEteas membris accedere vestes.* Reg. B habet, *Sensit, et OEteas membris accendere vestes.* Ed. — *OEteas vestes.* Id est, vestes quæ causa fuerunt, cur sibi Hercules pyram exstrui jusserit in monte OEta.

236. *Vota incepta tamen.* Sacrificabat enim Jovi Hercules.

237. *Durus adhuc.* Obdurato animo.

238. *Victor Nessus.* Venenum ab eo oriundum. Sunt qui *naphtam* fuisse autument, qua et coronam Medea, etc. tinxerit. Vide Plin. Hist. Nat. II, c. 105. Doctissimus medicus Leon. Fuchsius ad Nicol. Myrepsum *Petrolei* genus esse autumat. « Colamen Bituminis Babylonici » accipit Dioscorides lib. I, cap. 101. Barth.

239. *Nuntius exanimi suspensus pectora cursu.* Expressit Noster hunc locum Virgilii Æneid. XII, 650 et sqq. « medios volat ecce per hostes Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum. » Ad quem consule Heynium nost. edit. tom. IV, p. 357. Ed.

240. *Æpytus ad regem*: *Æphytus* multi codd. et edd. vett. *Epytus* optimæ Barthii membranæ; *Ephitus* unus Behot. *Æpitus* alter Behot. Vide Robert Garnier, in Antigon. act. III, ubi locum Nostri imitatur.

241. *Hæc trepido vix intellectus anhelat.* Loquitur per anhelitum ex festinatione contractum Catull. de Aty, Carm. LXIII, 33: « Furibunda simul, anhelans, vaga vadit, etc. » Lucan. Phars. VI, 92: « Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant. »

Portarumque moras frenis assultat, et hastis,
Nomine te crebro, te solum in prælia poscens. »
Flent mœsti retro comites, et uterque loquenti
Adgemit, et pulsis exercitus obstrepit armis.
Ille vocat! Nunc tempus erat, sator optime Divum.
Quid meruit Capaneus? » Turbatus inhorruit altis
Rex odiis, mediaque tamen gavisus in ira est.
Sic ubi regnator post exsulis otia tauri,
Mugitum hostilem summa tulit aure juvencus,
Agnovitque minas, magna stat fervidus ira
Ante gregem, spumisque animos ardentibus effert,
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aera findens,
Horret ager, trepidæque exspectant prælia valles.

246. *Flent retro comites*, etc. Hunc versum et aliquos sequentes ineptos et spurios judico. Quid enim vult interpolator? Guyet. — *Comites.* Polynicis.

247. *Uterque exercitus.* Thebanus et Argivus. — *Obstrepit armis.* Ad deterrendum Polynicem.

248. *I. v. Nunc tempus erat, sator optime Divum. Tunc tempus* Lang. Lipsian. Put. Behott. 1, 2, Aldd. Plant. et Cruc. « Omnes meliores nostri libri cum Bernartianis: *Nunc*; quod genuinum putem. » Barth. Ita habent Buslid. Gronov. Barth. et Delph. — *Nunc tempus erat, sator optime Divum. Quid meruit Capaneus.* Prosequitur sermonem nuntius, et interpellat eum indignatione Jovem, affirmans ad hoc usque tempus fulmen reservare debuisse, quo impium Polynicem feriret, nec Capaneum impie furentem tam meruisse, quam Polynicem fulmine perculi.

250. *Odiis.* Forte, odiosa oratione.

252. *Mugitum hostilem. Augitum* in uno Behot. et pro v. l. *Vagitum.*

254. *Ante gregem, spumisque animos ardentibus effert.* Dan. Taurin. et Behott. 1, 2, *ardentibus offert;* Petrens. et liber Rottendorphius *efflat.* — Hanc ultimam lect. Reg. B habet, Reg. C nost. Eo.

256. *H. a. tq. exspectant prælia valles.* Burm. Lipsian. Behot. 2, pro v. l. Aldd. Colin. Gryph. Plant. Cruc. Gevart. et Amstel. *exspectant prælia vaccæ.* Dan. Put. Behott. 1, 2, a m. pr. Gron. Barth. et Veen. *exspectant prælia valles*, probante Burmanno. — *Exspectant prælia valles (vaccæ).* Recepit in sua editione Gronovius *valles*, loco *vaccæ*, ex constanti membranarum, ut ait, scriptura. Quam scripturam confirmare nititur duobus testimoniis Horatii et Ovidii. Horat. Epod. II, v. 13, « Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges. » Ovid. Met. V, v. 164: « Tigris ut auditis diversa valle duorum

Non desunt regi comites: « Sine, mœnia pulset
Irritus: ille autem fractis huc audeat usque
Viribus? hic miseris furor est instare periclo,
Nec librare metus, et tuta odisse: resiste
Hoc fretus solio: nos propulsabimus hostem.
Hos bellare jube. » Sic proxima turba; sed ardens
Ecce aderat luctu, dicturusque omnia belli
Libertate Creon: urit fera corda Menœceus:
Nulla patri requies: illum quæritque, tenetque.
Illum sanguineos proflantem pectore rivos
Adspicit et sæva semper de turre cadentem.
Ut dubium, et pugnas cunctantem Eteoclea vidit:
« Ibis, ait, neque te ulterius, fratrumque ducumque

Exstimulata fame mugitibus armentorum. » Sed nihil mutandum. Sunt enim *vaccæ*, et non *valles*, de quibus præcipue tauri inter se contendunt. — At, qui regnat in *vallibus*, vaccas habet. Bene igitur *valles*. Ed.

257. *Non desunt regi comites.* *Non desunt regni* Lipsian. — *Non desunt regi comites.* Notat signate aulæ illa mancipia, quibus nihil magis familiare, quam omnia Principum sive honesta, sive inhonesta, laudare. « Perpetuum malum Regum (Curtii verba sunt) quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit. » Verissima vox, quæ utinam personet aures magnatum! Bernart. — *Sine, mœnia pulset Irritus.* Membratim ista legenda sunt, ut videantur a multis satellitibus dici: ut alterius sit: *sine mœnia pulset Irritus.* Alterius vero: *ille autem fractis huc audeat ire Viribus?* Alterius item: *hic furor est miseris instare periclo.* Lactant.

260. *Nec librare.* *Non librare* nonnulli codd. Lindenbrogii.

261. *Hoc fretus solio.* Regg. B et C, *Hic fretus solio* exhibent. Ed.

262. *Hos bellare jube.* *Nos bellare jubes* Lang. Boslid. Dan. Put. Behott. 1, 2, Aldd. Basil. Plant. Cruc. et Gevart. *Hos bellare jubes* tacite scripsit Gronovius, eumque secuti sunt Daum. et Delph. — Regg. B et C, *Nos bellare jube* præbent. Ed. — *Proxima turba.* Proceres Regni et amici regii.

263. *E. a. l. dq. omnia belli.* Put. *omina belli;* quod reponendum putat Lindenbrogius. — *Belli libertate.* In pace non laturus tantam loquendi libertatem impone. Ratio hujus libertatis est: Non audebat Creontem ob tam libera verba interficere Eteocles, ne occulta hactenus multorum in se odia suscitaret, et erumpere faceret in propatulum. Neminem enim latebat perfidiam ejus omnium patriæ malorum causam esse. Barth.

269. *Ibis, ait, neque te ulterius, fratrumque ducumque.* Idem codex exhibet: *fratremque ducemque.* —

Pessime, funeribus patriæ, lacrimisque potitum,
Eumenidum bellique reum, patiemur inulti.
Sat tua non æquis luimus perjuria Divis.
Urbem armis opibusque gravem, et modo civibus arctam,
Ceu cælo dimissa lues, inimicave tellus,
Hausisti, vacuamque tamen sublimis obumbras?
Deest servitio plebes: hos ignis egentes
Fert humus, hos pelago patrius jam detulit amnis.
Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.
Redde agedum miseris fratres, natosque, patresque,
Redde arvis domibusque viros: ubi maximus Hypseus,
Finitimusque Dryas? ubi Phocidos arma sonoræ,

Hanc lectionem Regg. B et C habent. Ed.

270. *Pessime, funeribus patriæ, lacrimisque potitum.* « Nescio an non sit τοῦ Ποιητοῦ lectio optimarum membranarum *potentem:* cui assentitur codex Lindenbrogio laudatus. » Barth. — Hæc in Regg. B et C invenitur lectio. Ed.

271. *Eumenidum bellique reum.* Id est, oneratum omnibus criminibus in hoc bello commissis, et quæ Eumenides suggesserunt.

272. *Perjuria.* Quia imperium sorte debitum fratri negasti.

274. *Ceu cælo dimissa lues, inimicave tellus. Ceu cælo dijecta* unus codex Lindenbrogii. — Reg. B habet, *Ceu cælo dejecta lues;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Inimicave tellus.* Quæ negando fruges, sterilitate ac fame homines occidit.

276. *Deest servitio plebes: hos ignis egentes. Jam deest* unus Barth. et Behot. 1, « Inepta scriptura *servitio plebes*, præ illa quæ in optimis membranis perspicue, in aliis adjecta cernitur pro varia lectione, *sævitiæ;* quæ omnino Papiniana est. » Barth. *Hos ignis egenos* unus Behot. pro v. l. — *Deest servitio plebes.* Hunc versum atque sequentes delet Guyetus, ut insititios. — Vide pag. 308 tom. I Stat. Ed.

277. *Patrius amnis.* Ismenus, in quo pugnatum fuerat, cæsique ab Hippomedonte multi, quorum corpora a fluvio in mare delata fuerant.

278. *Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.* Pul. et Behot. 2, pro v. l. *auxia vulnera.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Artus.* Perditos supple.

280. *Hypseus, Finitimusque Dryas.* Duces Thebani, qui in hoc bello perierant, ut vidimus. — Adi pag. 445 tom. I Stat. nost. Ed.

281. *Fq. D. Ubi Phocidos arma sonoræ.* Put. *arma sonare.* — *Phocidos sonoræ.* A Phoco Æaci filio, quem Peleus et Thelamon occidisse dicuntur, civitas nomen accepit. Lactant. — *Sonoræ.* Vel propter oracula, quæ ibi reddebantur, vel propter Musas, quæ in Parnasso

Euboicique duces? illos tamen æqua duelli
Fors tulit ad Manes : at tu, pudet, hostia regni,
Hostia, nate, jaces, ceu mutus et e grege sanguis.
Hei mihi primitiis armorum, et rite nefasto
Libatus, jussusque mori, et cunctabitur ultra
Iste? nec adverso nunc saltem Marte vocatus
Stabit? an in pugnas alium jubet ire profanus
Tiresias? iterumque meos oracula nectit
In gemitus? quid enim misero super unicus Hæmon?
Ille jube subeat, tuque hinc spectator ab alta
Turre sede : quid sæva fremis, famulamque cohortem
Respectas? hi te ire volunt, hi pendere pœnas :
Ipsa etiam genitrix, ipsæque odere sorores.
In te ardens frater ferrum, mortemque minatur,

omnia eantibus suis replebant, vel taodem propter Cyrrham voealem.

283. *Fors tulit ad Manes. Sors tulit ad manes* optimæ Barthii membranæ; *Fors tulit* in cæteris Barth. sed illud probat. — *At tu.* Apostrophe ad filium. — *Hostia regni.* Pro regno immolatus.

284. *Et e grege sanguis.* Pecus ignobile : *de grege* enim, de multitudine vulgari dixit. LACTANT.

285. *Hei mihi primitiis armorum, et rite nefasto.* Pro *armorum* unus Barthiaous exhibet *ararum*; alter ejusdem pro v. l. habet *annorum*. Ed. Lindenbrog. habet *rarum*. — Regg. B et C, *Hei mihi primitiis ararum* habent. En. — *Primitiis armorum.* Veteres omoium fere rerum primitias Diis eonseerabaut. — *Rite nefasto. Rite* pro *ritu* posuit; expiatio enim foerat eivitatis mors Menœcei.

287. *Iste.* Per daspectum, et Eteoclem intelligit.

289. *Oracula nectit.* Tecum responsa eomponit. LACTANT.

290. *I. g. q. e. m. s. unicus Hæmon? Æmon* in edd. vett. *hemon* Behott. 1, 2.

291. *I. j. s. tuque hinc spectator ab alta.* Put. Lang. Buslid. Aldd. Basil. Plaot. Lindeobrog. et Cruc. *tuque hie;* Dao. Behott. 1, 2, et edd. recentt. *tuque hinc;* ut conj. Bernartius.

292. *Famulamque eohortem.* Id est, servilem et assentatricem; dieit supra *regi eomites.*

293. *Respectas? hi te*, ete. Reg. B habet, *Respectans;* Reg. C nost. leet.

294. *Ipsa etiam genitrix*, ete. Hune versum et tres sequentes Guyetus delet.

295. *In te ardens frater. In me* unus eodex Lindenbrogii. — Reg. B habet hane leet. Reg. C, *ante ardens frater.* — *In te ardens.* Toto aoimo ardeos odio tui, et te oeeidere quærens.

Sævaque portarum convellit claustra, nec audes? »
Sic pater infrendens, miseraque exæstuat ira.
Ille sub hæc: « Non fallis, ait, nec te inclyta nati
Fata movent: canere illa patrem, et jactare decebat.
Sed spes sub lacrimis, spes atque occulta cupido
His latet: insano prætendis funera voto,
Meque premis frustra, vacuæ ceu proximus aulæ.
Non ita Sidoniam fortuna reliquerit urbem,
In te ut sceptra cadant, tanto indignissime nato.
Nec mihi difficilis præsens vindicta: sed arma,

296. *Sævaque portarum convellit claustra, nec audes?* Put. Behott. 1, 2, Lang. Buslid. et edd. vett. *audis;* Dan. unus Behot. pro v. l. nonnulli Barthiani, Gronov. et Veen. *audes.* — Reg. B habet, *nec audis?* Reg. C nost. lect. Ed.

297. *Pater.* Creon. *Miseraque exæstuat ira.* Melius optimus codicum: *Miseramque exæstuat iram.* Verbis nimirum egerit intus æstuantem iracundiam. Ex imo æstuat. Virgil. Æn. IX, v. 798, de Turno: mens exæstuat ira. Barth.

298. *Ille.* Eteocles. — *Non fallis.* Id est, neminem decipis; omnesque intelligunt, quid hac oratione velis: lugere filium simulas, sed, me pugnante ac pereunte, regnare vis.

299. *Fata movent: canere illa patrem, et jactare decebat.* Put. *jactare solebat.* — Reg. B habet hanc lectionem, Reg. C nostram. Ed. — *Canere illa patrem, et jactare decebat.* Affirmative, non interrogative, legit et interpungit Lactantius, et sic placet: sic enim exponit; « Laudare mortem filii, et præconiis efferre debebas, qui pro patria periit, non dolere. »

300. *Occulta cupido.* Regnandi scilicet.

301. *His latet. His tacet* edd. Lindenbrog. et Cruc. *His latet* in cæteris. Lindenbrogius tacet tamen. — *Insano voto.* Maximo tuo, sed incongruo desiderio prætendis funus Menœcei. Re autem ipsa doles super vita mea, quo semoto speras te Thebis regnaturum. — *Funera.* Mortem filii. Hunc Nostri locum habebat ante oculos Rotrou, *Antigone*, act. II, scen. 4:

Votre intérêt, Créon, vous meut plus que ma gloire;
Vous pressez le combat, et eraignez la victoire.
Vous savez, qu'après nous, le sceptre des Thébains,
Par ordre et droit de sang doit tomber en vos mains:
Mais les garde le ciel de votre tyrannie!

Edit.

302. *Premis.* Dictis opprimis et persequeris. — *Vacuæ.* Successore ac hærede destitutæ.

303. *Sidoniam.* Thebanam.

304. *In te ut sceptra cadant, tanto indignissime nato.* Reg. B habet, *In te sceptra cadant;* Reg. C nostr. lect. Ed.

305. *Nec mihi difficilis præsens vindicta: sed arma.* Reg. B habet,

Arma prius famuli : coeant in prælia fratres.
Vult gemitus lenire Creon. Lucrare furorem :
Victori mihi cuncta lues. » Sic jurgia paullum
Distulit, atque ensem, quem jam dabat ira, repressit.
Ictus ut incerto pastoris vulnere serpens
Erigitur gyro, longumque e corpore toto
Virus in ora legit; paullum si devius hostis
Torsit iter, cecidere minæ, tumefactaque frustra
Colla sedent, irasque sui bibit ipse veneni.
At genitrix primam funestæ sortis ut amens
Expavit famam, nec tarde credidit, ibat
Scissa comas, vultuque, et pectore nuda cruento,
Non sexus, decorisve memor. Pentheia qualis
Mater ad insani scandebat culmina montis,
Promissum sævo caput allatura Lyæo.

sub arma; Reg. C nostram lectionem. En.

307. *Vult gemitus lenire Creon.* Ironice. — *Lucrare furorem.* Furore tuo fruere nunc impune. Vel lucro appone furorem, quo feror in fratrem, qui tantus est, ut mihi non det tempus puniendi te, ut meruisti.

308. *Victori.* Postquam vicero.

311. *E. g. longumque e corpore toto.* « In duobus libris est : *longoque e corpore totum;* sed nulla mutatione opus habemus. » Barth.

314. *C. s. iq. s. bibit ipse veneni.* Edd. vett. *bibit ille*, improbante Barthio, cujus membranæ cum Behott. 1, 2, Laug. plerique et Delph. exhibent : *bibit ipse.*

315. *At genitrix primam*, etc. Dan. Petav. et edd. vett. *primum.* « Omnes nostri libri cum Bernart. et Behottii *primam;* quod pariter nobis probatur. » Barth. Ita etiam Put. et Venett. 3, 4. — *Genitrix.* Jocasta.

316. *E. f. nec tarde credidit, ibat.* Putean. *nec tandem.* — Hanc lect. Reg. B habet, Reg. C nostram. En. — *Nec tarde credidit.* Quia similibus cladibus, vel monstris assueta.

317. *Scissa comas, vultuque, et pectore nuda cruento. Scissa comam* Behott. 1, 2. — Reg. B habet, *Scissa comam vultusque, et pectore nuda cruento;* Reg. C, *Scissa comam vultuque*, etc.

318. *Pentheia Mater.* Agave. Nota Penthei fabula.

319. *Insani montis.* Cithæronis, *insani* ob insanientes furentesque in orgiis Bacchas.

320. *P. s. c. allatura Lyæo.* Unus Behot. *caput ablatura.* — *Promissum caput*, etc. Fabulam ob oculos ponunt, qui de magno numero nunc supersunt, Euripides in Bac-

Non comites, non ferre ipsæ vestigia natæ
Æqua valent: tantum miseræ dolor ultimus addit
Robur, et exsangues crudescunt luctibus anni.
Jamque decus galeæ, jam spicula sæva ligabat
Ductor, et ad lituos hilarem, trepidumque tubarum
Prospiciebat equum; subito quum apparuit ingens
Mater, et ipse metu, famulumque expalluit omnis
Cœtus, et oblatam retro dedit armiger hastam.
« Quis furor? unde iterum regni integrata resurgit
Eumenis? ipsi etiam post omnia, cominus ipsi
Stabitis? usque adeo geminas duxisse cohortes,
Et facinus mandasse parum est? quo deinde redibit
Victor? in hosne sinus? o diri conjugis olim
Felices tenebræ! datis, improba lumina, pœnas.

chis. Ov. Met. III, 725 et sqq. Nonnus et alii. Præcipue autem caput Pentheo a *matre* avulsum canebatur. Ovid. Met. III, 725: « ululavit Agave Collaque jactavit, crinemque per aera movit, Avulsumque caput digitis complexa cruentis, etc. » BARTH. — *Lyæo*. Baccho.

321. *N. c. non ferre ipsæ vestigia natæ*. Membranæ Daum. *ferre piæ*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. ED. — *Non ferre ipsæ vestigia natæ*. Margo optimi et quædam in contextu membranæ: *non ferre piæ vestigia natæ*. Nec rejecerim, quando hic melior sexus OEdipi liberorum. GRONOV.

323. *Crudescunt*. Juvenescunt, aut novi fiunt. LACTANT.

325. *Ductor, et ad lituos hilarem, trepidumque tubarum*. « Duo meliores libri diserte scribunt: *intremidumque; a tremendo* nimirum: nec possim ex facili damnare hanc vocem fortassis in pluribus scriptoribus corruptam. » BARTH. — *Intrepidumque* Lang. Laor. Dao. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Plant. Cruc. et Gevart. *trepidumque* tacite reposuit Gronovius, eumque secuti sunt Daum. et Veen. — Reg. B habet, *intrepidumque tubarum*; Reg. C eamdem lect. ED. — *Ductor*. Eteocles.

326. *Prospiciebat equum*. *Respiciebat equum* optimæ Barthii membranæ.

327. *Mater* Jocasta. — *Et ipse metu*. Vide interpolatorum insaniam, qui ea quæ breviter et eleganter dicta erant, ineptiis suis turbare et confundere ausi sunt. GUYETUS.

329. *Integrata resurgit*. Ex integro incohoat. LACTANT.

331. *S. u. a. geminas duxisse cohortes*. In quibusdam codd. Barthianis *geminos*, i. e. germanos. « Sed nihil mutandum videtur. BARTH. » — *Cohortes*. Exercitus.

334. *Datis improba lumina pœnas*. Oculos suos alloquitur Jocasta, vocatque *felices tenebras* seu

Hæc spectanda dies? quo, sæve, minantia flectis
Ora? quid alternos vultus pallorque ruborque
Mutat? et obnixi frangunt mala murmura dentes?
Me miseram vinces! prius hæc tamen arma necesse est
Experiare domi: stabo ipsa in limine portæ
Auspicium infelix, scelerumque immanis imago.
Hæc tibi canities, hæc sunt calcanda, nefande,
Ubera, perque uterum sonipes hic matris agendus.
Parce: quid oppositam capulo parmaque repellis?
Non ego te contra Stygiis feralia sanxi
Vota Deis, cæco nec Erinnyas ore rogavi.
Exaudi miseram: genitrix te, sæve, precatur,
Non pater: adde moram sceleri, et metire, quod audes.
Sed pulsat muros germanus, et impia contra
Bella ciet? non mater enim, non obstat eunti
Ulla soror: te cuncta rogant, hic plangimus omues.

cæcitatem OEdipi, quod atrox facinus, quod sibi spectandum erat, videre non poterat.

336. *Ora? quid alternos vultus.* « Legendum cum optimis libris, *alternus;* quanquam eadem sit sententia in vulgata scriptura. » Barth. Unus Behot. habet etiam *alternus;* atque ita correctum in altero per veteri atramento. Buslid. et Venett. 3, 4, *alternis.*

337. *Obnixi.* Cum sonitu stricti.

338. *Vinces.* Id est, contemnes gemitus ac preces matris, et ibis.

339. *Experiare domi.* *Exspectare domi* Put.—Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed.

341. *Hæc tibi canities, hæc sunt calcanda, nefande.* Reg. B habet, *Hæc sunt calcata nefandæ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Hæc canities.* Δεικτικῶς.

344. *Feralia sanxi Vota Deis.*— *Feralia vota,* diras dicit, quibus pater OEdipus devovit filios suos ob impietatem in se ipsum. Sæpius horum supra mentio facta est. — *Sanxi.* Confirmavi ascitis Deorum numinibus. Vetus Schol. — *Sanxi* Lactantio: *Devovi.* — *Sanxi.* Sancire est summopere, et ut ultra non possis, confirmare. Barth.

345. *V. D. c. nec Erinnyas ore rogavi.* *Erinadas* Behot. 1, *Erinas* Behot. 2. — *Cæco ore.* Id est, insaniente, furente: quia furor mentem excæcat. Pater enim filiis imprecabatur. Barthius vero Poetam alludere dicit ad excæcationem OEdipi.

346. *Exaudi miseram: genitrix te, sæve, precatur.* Reg. B habet, *genitrix te sæva precatur;* Reg. C nostram lect. Ed.

348. *Sed pulsat.* Supple, inquies.

Ast ibi vix unus pugnas dissuadet Adrastus,
Aut fortasse jubet: tu limina avita Deosque
Linquis, et a nostris in fratrem amplexibus exis? »
At parte ex alia tacitos obstante tumultu
Antigone furata gradus, nec casta retardat
Virginitas, volat Ogygii fastigia muri
Exsuperare furens: senior comes hæret eunti
Actor, et hic summas non duraturus ad arces.
Utque procul visis paullum dubitavit in armis,
Agnovitque (nefas!) jaculis et voce superba
Tecta incessentem, magno prius omnia planctu
Implet, et e muris ceu descensura profatur:
« Comprime tela manu, paullumque hanc adspice turrim,
Frater, et horrentes refer in mea lumina cristas.
Agnoscisne hostes? sic annua pacta, fidemque
Poscimus? hi questus? hæc est bona causa modesti

351. *Ast ibi vix unus pugnas dissuadet Adrastus, Aut fortasse jubet.* Ergo magis excusari debet frater Polynices, quam tu, qui iovita matre, sorore et omnibus, vis pugnare cum fratre: frater autem ab omnibns ineitatur, a nemine retinetur. —*Fortasse jubet.* Exensare vult mater filium: vult impulsum potius quam sponte ad arma prosiluisse.

154. *Obstante tumultu.* Id est, strepitu obstaote ne audiretur aut sentiretur exitus ejus.

356. *Ogygii.* Thebani.

358. *Actor.* Custos Antigones. Vide Theb. VII, 245 et ibi notata, hujuscetom. pag. 29. En.—*Non duraturus.* Ob seoium non perventurus ad summas arces.

360. *Agnovitque (nefas).* Edd. vett. *Agnovitque nefas.* « In optimis libris parenthesi includitur hæc vocula *nefas:* bene. »—*Voce superba.* Alta, qualis est superborum.

361. *Tecta incessentem.* « Citat hunc versum, et *incessantem* legit in suis libris Eutyches Grammaticus lib. II, quo tamen opus non est, licet ita habeant duo etiam optimi codices nostri. » —*Tecta incessentem.* Fratrem Polynicem. — Invadentem, pulsantem, aut ferientem. Lactant.

362. *Implet, et e muris ceu descensura profatur.* Reg. B, *Implet et ex muris ceu discensura profatis* habet, Reg C nostram lect.

363. *Comprime tela manu paullumque hancadspice turrim.* Behott. 1, 2, *hanc respice turrem.* — Regg. B et C, *paulumque hanc respice turrim* exhibent. —Ed. Hunc locum imitatus est nostras Rotrou, quem vid. *Antig.* act. II, sc. 2.

Exsulis? Argolicos per te, germane, penates,
(Nam Tyriis jam nullus honos,) per si quid in illa
Dulce domo, submitte animos: en utraque gentis
Turba rogant, ambæque acies: rogat illa suorum
Antigone devota malis, suspectaque regi,
Et tantum tua, dure, soror: saltem ora trucesque
Solve genas: liceat vultus fortasse supremum
Noscere dilectos, et, ad hæc lamenta, videre,
Anne fleas: illum gemitu jam supplice mater
Frangit, et exertum dimittere dicitur ensem.
Tu mihi fortis adhuc? mihi, quæ tua nocte dieque
Exsilia erroresque fleo? jam jamque tumentem
Placavi tibi, sæve, patrem: quid crimine solvis
Germanum? nempe ille fidem et stata fœdera rupit,
Ille nocens, sævusque suis: tamen ecce vocatus
Non venit. » His paullum furor elanguescere dictis

370. *Ambæque acies.* Supra vs. 246, « Et uterque loquenti Adgemit, et pulsis exercitus obstrepit armis. »

371. *Regi.* Eteocli, propter amorem Polynicis: dicitur enim cum eo concubuisse. LACTANT.

372. *Et tantum tua, dure, soror.* Id est, tuis malis ac calamitatibus implicita.

373. *S. q. l. vultus fortasse supremum.* Venett. 3, 4, Rom. Aldd. Colin. et Basil. *fortasse supremos*; Laug. Buslid. Behott. 1, 2, Petrens. Exc. et edd. recent. *fortasse supremum.*

375. *Anne fleas. Illum gemitu jam supplice mater.* « In duobus optimis libris legitur: *illum gemitu par supplice mater Frangit*; quod non puto librariorum esse commentum. » BARTH. — *Illum gemitu*, etc. Eteoclem.

376. *Exertum ensem.* Jam parata arma dicitur deponere, matre hortante. Audisse autem se hæc scite virgo dicit, non enim propter turbam accedere poterat Eteoclem, ut supra memoratum est, vs. 354. BARTH. — Hunc Nostri locum sic imitatur RACINE, *Frères ennemis*, act. II, scen. 3;

Oui, mon frère, il n'est pas comme vous inflexible,
Aux larmes de sa mère il a paru sensible;
Nos pleurs ont désarmé sa colere aujourd'hui;
Vous l'appelez cruel; vous l'êtes plus que lui.
EDIT.

378. *Jamque tumentem Placavi tibi, sæve, patrem.* Hæc duo hemistichia delenda censet Guyetus.

379. *Placavi tibi, sæve, patrem.* Beg. B habet, *Placavi tibi sæpe patrem*; Reg. C eamdem lect. Eo.

382. *N. v. h. p. furor elangues-*

Cœperat, obstreperet quanquam atque obstaret Erinnys.
Jam submissa manus, lente jam flectit habenas,
Jam tacet : erumpunt gemitus lacrimasque fatetur
Cassis : hebent iræ : pariterque et abire nocentem,
Et venisse pudet ; subito quum matre repulsa
Eumenis ejecit fractis Eteoclea portis
Clamantem, « Venio, solumque, quod ante vocasti,
Invideo : ne incesse moras, gravis arma tenebat
Mater : io patria, o regum incertissima tellus,
Nunc certe victoris eris. » Nec mitior ille,
« Tandem, inquit, scis, sæve, fidem? et descendis in æquum?
O mihi nunc primum longo post tempore frater,
Congredere : hæ leges, hæc fœdera sola supersunt. »
Sic hostile tuens fratrem : namque uritur alto
Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis,

cere dictis. Unus Behot. *furor liquescere dictis.*

383. *Cœperat.* Sola enim Antigone poterat Polynicem a singulari cum fratre certamine removere. Supra enim de ipsa dixerat Furia, v. 184, « blandamque precatu Antigonem; timeo paullum ne nostra retardet Consilia. » Lactant.

387. *Subito quum, etc.* Hunc locum imitatus est nostras Rotrou, *Antig.* act. II, sc. 3.

391. *Mater: io patria, o regum incertissima tellus. Mater et o patria, o regni incertissima* Behott. 1, 2, Venett. 3, 4, Rom. Basil. et Gevart. *Mater et o patria, o regum incertissima* Dan. Put. Lang. Buslid. Behot. 1, pro. v. l. Lindenbrog. et Crue. *Mater: io patria, o regum incertissima* optimæ Barthii membranæ, Gronov. et Delph. — *Io patria, o regum incertissima.* Id est, nullum certum regem habens. Sup. lib. v. 883. « Fulmen io ubi fulmen? » Hunc versum delet Guyetus.

393. *T. i. s. s. f. et descendis in æquum?* Put in *æquam.*—Reg. B habet, *et descendit in æquam*; Reg. C nost. lect. Ed.—*Descendis in æquum.* Jocus ex duplici significatione vocis, *æquum*, quæ pro campo accipi potest, et pro jure seu æquitate.

394. *O mihi nunc primum.* Hic versus insititius videtur Guyeto.

395 *C. hæ leges, hæc fœdera sola supersunt.* Unus Behot. *hæ leges et fœdera*; et ita in aliis codd.

396. *Sic hostile tuens.* Quid istis ineptius, ait Guyetus, et intempestivum magis? « Ἐπίχω tamen; nam, pergit ille, toto hoc libro dormitat Papinius. Non id tamen lectores judicabunt.

397. *Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis.* Reg. B habet, *quod regia classis*; Reg. C nost. lect. Ed.

Instratusque ostro sonipes, quod fulva metallo
Parma micet: quanquam haud armis inhonorus et ipse,
Nec palla vulgare nitens: opus ipsa novarat
Mœoniis Argia modis, et pollice docto
Stamina purpureæ sociaverat aurea telæ.
 Jamque in pulvereum Furiis hortantibus æquor
Prosiliunt: sua quemque comes stimulatque, regitque.
Frena tenent ipsæ, phalerasque, et lucida comunt
Arma manu, mixtisque jubas serpentibus augent.
Stat consanguineum campo scelus, unius ingens
Bellum uteri, coeuntque pares sub casside vultus.
Signa tacent, siluere tubæ, stupefactaque Martis

398. *Iq. o. s. quod fulva metallo*. Taurin. et Burm. *fulta metallo*. — *Metallo*. Auro.

400. *Nec palla vulgare nitens: opus ipsa novarat*. Chlamyde. LACT. — De hoc loco vide notata ad vs. 224. Claud. I in Prob. et Olybr. Cons. nost. edit. tom. I pag. 127. En. — *Opus ipsa novarat Mœoniis Argia modis*. Ut Argiam hic Statius, sic Pantheam viro suo vestem nevisse fecit Xenophon. Horatiam commemorat Livius lib. I, paludamentum sponso suo nevisse. — *Mœoniis*. Cur *Mœoniis?* an quia ex Lydia, quæ antea *Mœonia* dicebatur, fuit Arachne lanificii peritissima, ut vult Lactantius? An pro *Phrygiis*, ob vicinitatem Mœoniæ et Phrygiæ? primi enim Phryges invenere acu facere, inde *Phrygiones* appellati. *Mœonia* autem, postea *Lydia* appellata, regio Minoris Asiæ, ab ortu solis Phrygiæ vicina, a Septemtrione Mysiæ, meridiana parte Cariam amplectens, ad occasum supra Ioniam excurrens, ita dicta a fluvio Mœone.

401. *M. A. m. et pollice docto*. Unus Behot. *ac pollice docto*. — Regg. B et C hanc lect. præbent. Eo.

402. *Stamina purpureæ sociaverat aurea telæ*. Vide p. 605 t. I Stat.

404. *P. s. q. c. stimulatque regitque*. Petav. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Basil Plant. et Gevart. *stimulatque movetque;* Dan. Behott. 1, 2, Gronov. Barth. et Delph. *stimulatque regitque;* nonnulli codd. Barthiani: *stimulatque monetque*. — Regg. B et C, *stimulatque monetque* habent. Eo. — *Sua quemque comes*. Supple, Furia.

406. *Arma manu, mixtisque jubas serpentibus augent*. Reg. B habet, *mixtisque tubas serpentibus augent;* Reg. C nost. lect. Eo. — *Serpentibus augent*. Equorum jubas augent Furiæ, adjectione serpentum.

407. *Unius ingens Bellum uteri*. Eleganter dictum, pro pugna duorum contra se fratrum.

408. *Bellum uteri*. *Duellum uteri*, optimæ Barthii membranæ, ἀρχαϊκῶς quod ille probat.

409. *Signa tacent*. *Signa pavent*

Cornua : ter nigris avidus regnator ab oris
Intonuit, terque ima soli concussit, et ipsi
Armorum fugere Dei : nusquam inclyta Virtus :
Restinxit Bellona faces; longeque paventes
Mars rapuit currus; et Gorgone cruda virago
Abstitit; inque vicem Stygiæ rubuere sorores.
  Prominet excelsis vulgus miserabile tectis :
Cuncta madent lacrimis, et ab omni plangitur arce.
Hinc questi vixisse senes, hinc pectore nudo
Stant matres, parvosque vetant attendere natos.
Ipse quoque Ogygios monstra ad gentilia manes

in uno codice Lindenbrogii.—Reg. B habet hanc lectionem, Reg. C nostram. Ed. — *Signa tacent.* Hic versus et octo sequentes suspecti quibusdam.

410. *Ter.* Impar numerus in plerisque casibus felicis erat ominis : sed quia hoc a Plutone veniebat, in malum omen erat existimandum. — *Avidus.* Quia insatiabilis.

411. *Et ipsi Armorum fugere Dei.* Mars et Minerva. LACTANT.

413. *Restinxit Bellona faces. Restrinxit* Dan. Put. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Lindenbrog. et Cruc. *Restinxit* Lang. Busld. omnes Barthiani, Petrens. Cantab. Grasser. Gronov. et Delph. — *Restinxit Bellona faces.* Bellona enim facem gerebat.

414. *Gorgone cruda :* Terribilis ægide, cujus in medio caput Medusæ portabat Pallas. — *Virago.* Bellicosa et pugnarum tractatrix Minerva. Sic *ferox Diva* eadem lib. II, vs. 715. Servius ad Æneid. X, « Crudus, quum ad animum pertinet, asperum et crudelem notat. » Scholiast. Horat. III, Od. 2. Viraginem Minervam dicit etiam Stat. Silv. IV, 5, v. 24, « Mea carmina Regina Bellorum virago Cæsareo peraravit auro. » — Vide tom. I, p. 145 Poet. Lat. Min. ed. nost. ED.

415. *Abstitit, inque vicem*, etc. *Obstitit* in uno codice Lindenbrogii. — Regg. B et C hanc lectionem exhibent. — *Stygiæ sorores.* Furiæ. — *Rubuere.* Quod furor fratrum ultra modum etiam ipsis intentum procedebat.

418. *Hinc questi*, etc. Hæ tragœdiæ, ut vocat, Guyeto non placent, et suspectæ sunt, et ille delet 28 versus sequentes.

419. *S. m. pq. vetant attendere natos.* « Non inepta lectio : *vetant attendere;* meliores tamen libri *ascendere*, illo supra scripto. » BARTH. — *Parvosque vetant attendere natos.* Ne hinc parricidia et fratricidia discant.

420. *Ogygios.* Thebanos. — *Monstra ad gentilia.* An hi manes eorum qui, orti e dentibus serpentis satis, mutuis se invicem vulneribus confecerunt? Cæterum Veteribus persuasum fuit in aliqua ingenti clade

Tartareus rector porta jubet ire reclusa.
Montibus insidunt patriis, tristique corona
Infecere diem, et vinci sua crimina gaudent.
  Illos ut stimulis ire in discrimen apertis
Audiit, et sceleri nullum jam obstare pudorem,
Advolat, et medias immittit Adrastus habenas.
Ipse quidem regnis multum et venerabilis ævo,
Sed quid apud tales, quis nec sua pignora curæ?
Alternos tamen ille rogat: « Spectabimus ergo,
Inachidæ, Tyriique nefas? ubi jura, Deique?
Bella ubi? ne perstate animis[*]: te deprecor, hostis,

manes, maniomque Deos, oberrare. Hoc ex poetarum lectiooe notare facile est, et tetigit Nost. Thebaid. VII.

424. *Illos ut stimulis ire in discrimen apertis.* Put. *in discrimino certos.* — Reg B habet, *Illos in stimulos ire in discriminn certos;* Reg. C nost. lect. Ed.

426. *Advolat, et medias immittit Adrastus habenas.* Uterque Behot. *et mediis;* Behot. vero primus: *habenas.*

427. *Ipse quidem regnis. Ipse quidem et regnis.* Put. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *Ille quidem et regnis.* Ed.

428. *Sed quid opud tales, quis nec sua pignora curæ?* Bernartius coojectabat: *Sed quis opud tales?* Put. *quis nunc sua*; Edd. vett. *quis non sua*; Lang. Laur. Dan. Behott. 1, 2, et recentt. *quis nec sua.*—Reg. B habet, *quis nunc sua pignora curæ?* Reg C nost. lect. Ed.—*Sed quid apud tales.* Aliqui leguot; *Sed quis apud tales.* Sensus: Erat quidem Adrastus, et ratione suæ personæ, et ratiooe dignitatis regiæ, veoerabilis, sed quæ veneratio apud tales, quibus nec pignora, id est, carissimi, ut pater, mater, sorores, et frater, curæ erant?

429. *Alternos tamen ille rogat. Extet honos? tamen*, etc. Lang. Buslid. Basil. et Plant. *Externos* Dan. Put, Behott. 1, 2, Lindenbrog. et Cruc. *Alternos* unus Behot. pro v. l. *Spectabimus ergo hoc* Put.—Reg. B habet, *Extet honos;* Reg. C *Externos.* — *Alternos.* Id est, alternos fratres, modo hunc, modo illum, aggreditur, et quidem precibus: quod et mox facit.

431. *Ne perstate animis.* Ne perseverate his fororibus. Virgil. Æn. V, v. 812: « Nunc quoque meoa eadem perstat mihi. » Et Æn. II, v. 650: « Talia perstabat memorans, fixusque manebat. » Lucan. lib. III, v. 620: « crebra confixos cuspide perstat. » Barth. — H. loc. sic imitatur Rotrou, *Antig.* act. I, sc. 6.

Ah mon fils! étouffez ce damnable dessein!
Si votre ambition ne va qu'à la couronne,
Je dépouille pour vous l'éclat qui m'environne.
Venez prendre et donner un paisible repos
Sur le trône de Lerne, ou sur celui d'Argos.

Quanquam, hæc ira sinat, nec tu mihi sanguine longe,
Te, gener, et jubeo : sceptri si tanta cupido est,
Exuo regales habitus : i Lernan, et Argos
Solus habe : » non verba magis suadentia frangunt
Accensos, sumtisque semel conatibus obstant,
Quam Scytha curvatis erectus fluctibus unquam
Pontus Cyaneos vetuit concurrere montes.
  Ut periisse preces, geminosque ad prælia fusos
Pulvere cornipedes, explorarique furentum
In digitis amenta videt, fugit, omnia linquens
Castra, viros, generum, Thebas, ac fata monentem

432. *Quanquam, hæc ira sinat.* *Quanquam haud ira sinat* Laug. Laur. Buslid. Lipsian. optimæ Barthii membranæ, et Venett. *Quanquam hæc ira sinat* Behott. 1, 2, Dan. Put. et edd. vett. — *Nec tu mihi sanguine longe.* Nam Adrastus origine materna attingebat Agenoridas, seu Cadmi posteros.

437. *Quam Scytha. Quam scita* Lang. Laur. Aldd. Colin. et Plant. *Quam Scytha* omnes Barthii codd. Petav. Behott. 1, 2, Cruc. Gevart. et recentt. — *Scytha Pontus.* Est Pontus Euxinus : septemtrionalior enim ejus ora a Scythis accolitur.

438. *Pontus Cyaneos vetuit.* Quoniam aqua non vetuit sibi montes collidi. Lactant.—*Cyaneos concurrere montes.* Symplegades. Vide nost. edit. Theb. V, 347, tom. II, p. 527; Valer. Flac. Argon. I, 59, 630; II, 382; IV, 562; et V, 483; et Plin. Maj. lib. VI, cap. 12. Ed.

439. *Ut periisse preces, geminosque ad prælia fusos. Utque perisse preces* unus Behot.—Reg. B habet, *geminoque ad prælia fusos;* Reg. C nost. lect. Ed.

440. *P. c. explorarique furentum.* Putean. *exploravitque furentum.*— Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram.

441. *In digitis amenta videt.* Lorum seu ligamen intelligit, quo mediam hastam Veteres religare solebant, ut jaci longius posset. Duxit hinc elegantem Metaphoram Tertullianus, adversus Marcionem lib. IV, « Injustitiæ auctorem et dominatorem totius sæculi nummum scimus, cui famulatam videns Pharisæorum cupiditatem, amentavit hanc sententiam : Non potestis Deo servire et mammonæ. » Bern.

442. *C. v. g. T. ac fata monentem.* Behot. 1, a m. sec. Venett. 3, 4, Rom. Aldd. et Plant. *ac fata morantem ;* Laug. Buslid. Dan. Petav. a m. pr. Lindenbrog. Gevart. Grasser. Gronov. Amstel. Barth. Veen. et Delph. *ac fata monentem.* — *Ac fata.* Hactenus medius inter pugnaturos Arion, morabatur ne possent per liberum campi spatium concurrere. Lactantius et Bernartiani (ut ipse ait) libri *monentem* legunt. Non male, quum fatidicus

Conversumque jugo propellit Ariona : qualis
Demissus curru lævæ post præmia sortis
Umbrarum custos, mundique novissimus hæres
Palluit, amisso veniens in Tartara cælo.
Non tamen indulsit pugnæ, cunctataque primo
Substitit in scelere, et paullum fortuna morata est.
Bis cassæ periere viæ : bis cominus actos
Avertit bonus error equos, puræque nefandi
Sanguinis obliquis ceciderunt ictibus hastæ.
Tendunt frena manu, et sævis calcaribus urgent
Immeritos : movet et geminas miserabile Divum
Prodigium turmas, alternaque murmura volvunt
Mussantes; iterare aciem, procurrere sæpe

semper fuerit iste Adrasti equus. Sic habent et nostri duo libri, nec non Behottiani, et receperunt idem Lindenbrog. et Gevart. BARTH.

444. *Lævæ post præmia sortis Umbrarum custos.* Tangit fabulam, qua Juppiter, Neptunus, et Pluto orbem inter se sorte divisisse dicuntur et Inferos Plutoni obtigisse. *Læva sors* autem, quia pejor.

447. *Non tamen indulsit pugnæ.* Invita fortuna consentit fratricidio,

448. *Substitit in scelere. Sustulit in scelere* Dan. — *Substitit.* Non primo conatu voluit permittere iis cædem. — *Paullum morata est.* Etiam tum spatium deliberandi eis concedens.

449. *B. c. p. v. bis cominus actos.* In eodem Dan. codice : *cominus actus;* Put. *cominus ictus.* — Reg. B habet hanc ultimam lect. Reg. C nost. lect. Ed. — *Bis cassæ.* Notandum est apud poetas hunc numerum esse rei non perfectæ, quæ procurabatur. Ita hic etiam Poeta posuit. Ternarius autem solet rem perfectam prænotare. Vet. Schol.

450. *A. b. e. e. puræque nefandi.* Dan. *parcæque nefandi.*

452. *Tendunt frena manu, et sævis calcaribus urgent* Reg. B habet, *Tendunt frena manu, sævis calcaribus urgent;* Reg. C nost. lect. Ed.

453. *I. m. e. g. miserabile Divum.* Optimæ Barthii membranæ et uterque Behott. *venerabile Divum.* — Regg. B et C hanc lectionem exhibent. Ed. — *Miserabile Divum Prodigium.* Id est, fratres secum invicem dimicantes, quod inter majora prodigia, quibus Dii iram in homines significant, annumerandum erat.

454. *Prodigium turmas, alternaque murmura volvunt.* Reg. B habet, *P. t. alienaque murmura volvunt.* Reg. C nost. lect. Ed. — Vide tom. I, pag. 694 Stat. nost. Ed.

455. *Mussantes : iterare aciem.* Put. *iterare acies.* — Reg. B habet hanc. lect. Reg. C nostram. Ed. —

Impetus, et totum miseris opponere bellum.
Jamdudum terris cœtuque offensa Deorum
Aversa cæli Pietas in parte sedebat,
Non habitu, quo nota prius, non ore sereno,
Sed vittis exuta comam, fraternaque bella,
Ceu soror infelix pugnantum, aut anxia mater,
Deflebat, sævumque Jovem, Parcasque nocentes
Vociferans, seseque polis et luce relicta
Descensuram Erebo, et Stygios jam malle penates.
« Quid me, ait, ut sævis animantum, ac sæpe Deorum,
Obstaturam animis, princeps natura, creabas?
Nil jam ego per populos, nusquam reverentia nostri.
O furor, o homines, diræque Prometheos artes!

Iterare aciem. Denuo bellum instaurare. Lactant.

456. *Opponere*. Objicere se pugnantibus fratribus. Lactant.

457. *Jamdudum terris cœtuque offensa Deorum*. In eodem Put. codice: *offensa duorum*.—Reg. B habet, *cœtusque offensa Deorum*. Reg. C nost. lect. Ed.

458. *Aversa cœli Pietas*, etc. « Omnes meliores libri habent: *Adversa*; nihil tamen mutandum videtur. » Barth.—Reg. B habet *Aversa est, cœli Pietas*, etc. Reg. C nost. lect. Ed.—*Aversa in parte*. Ut non videret fratres pugnantes: hoc enim spectaculo numen suum violabatur.

459. *Non habitu*. Non læta, sed tristis. Lactant.

460. *Sed vittis exuta comam*. Reg. B habet, *Et vittis exuta comam*; Reg. C nost. lect. Ed.

462. *Sævumque Jovem, Parcasque nocentes*. Quod tale certamen permitterent.

464. *Descensuram Erebo, et Stygios jam malle penates*. Reg. B habet, *jam mille Penates*, et supra correctum, *jam velle penates*; Reg. C nost. lect. Ed.

465. *Animantum*. Animas habentium, id est, hominum. Lact.—*Ac sæpe Deorum Obstaturam animis*. Sæpe enim jurgia et contentiones ortæ inter Deos, qui omnes sanguine conjuncti sunt. Vide pag. 330, tom. I, Stat. nost. Ed.

466. *O. a. princeps natura, creabas?* Natura etiam persona, etiam Dea, non modo sequioris ætatis poetis, ut apud Nostrum sed etiam patri Theologiæ poeticæ, Orpheo, h. e. Auctore Hymnorum, qui nomen illud præferunt. Pulchra ibi omnia. Quædam legere si velis, adi notata ad Claudian. nost. XXXVI de raptu. Proserp. lib. III, v. 33, tom. II, pag. 256 et 257. Ed.

467. *Nil jam ego per populos, nusquam reverentia nostri*. Reg. B habet, *nunquam reverentia nostri*; Reg. C nost. lect. Ed.

468. *O furor, o homines, diræque Prometheos artes*. Dan. Put. omnes

Quam bene post Pyrrham tellus pontusque vacabant!
En mortale genus! » Dixit: speculataque tempus,
« Auxilium tentemus, ait, licet irrita coner; »
Desiluitque polo: niveus sub nubibus altis
Quanquam mœsta Deæ sequitur vestigia limes.
Vix steterat campo, subita mansuescere pace
Agmina, sentirique nefas: tunc ora madescunt,
Pectoraque, et tacitus subrepsit fratribus horror.
Arma etiam simulata gerens, cultusque viriles,
Nunc his, nunc illis, « Agite, ite, obsistite, clamat,
Quis nati fratresque domi, quis pignora tanta.

Barthiani et Gevart. *dirique Prometheos artes;* Behott. 1, 2, Gronov. et Delph. *diræque Prometheos artes.* « Male consulunt sibi et lectoribus nonnulli prisci libri, qui *arces* repræsentant. » Barth. — Hic versus in Reg. B desideratur. Reg. C habet, *dirique Prometheos artes.* — *Prometheos artes.* Quia Prometheus dicitur ex luto formasse homines, et igne cælesti animavisse.

469. *Q. b. p. P. t. pq. vocabant!* Petav. Lang. Buslid. et edd. vett. *vacarent;* Dan. Put. *vacabunt;* Behott. 1, 2, Gronov. Barth. et Delph. *vacabant.*—*Post Pyrrham.* Post diluvium, cui sola cum Deucalione suo superstes fuisse Pyrrha perhibetur. Itaque ejus nomine diluvium censetur. Horatius, lib. I, Od. 2, v. 5: « grave ne rediret Seculum Pyrrhæ, nova monstra questæ. » Vide Claudian. Bellon Gildon. Fuit autem diluvium hoc, Pyrrhæ nomine nominatum, in sola Thessalia. Barth.

470. *En mortale genus! Dixit: speculataque tempus. Et mortale genus* unus Behot. — *Speculataque tempus, Auxilium tentemus, ait.* Omnes scripti recte habent *auxilio:* modo bene interpungas: *Speculataque tempus Auxilio, tentemus, ait, licet irrita coner.* Utrumque elegantius: *tempus auxilio,* ut sæpe *locus insidiis* ex Livio, et *tentemus,* sine casu nominis. Gron. — *Speculataque tempus.* Ut ipsum actum fratricidii præveniret.

471. *Auxilium tentemus, ait.* In duobus optimis libris est: *speculataque tempus Auxilio; tentemus ait,* etc. quod non adspernor. » Barth.

472. *Niveus sub nubibus altis Quanquam mœsta Deæ sequitur vestigia limes.* Jam diximus numina, quum cælo desilirent, lucida sui meatus vestigia relinquere.

473. *Quanquam mœsta Deæ.* Quum pietas de cælo descenderet ad terras, licet mœsta esset, tamen quocunque ibat per nubes nigras, claram sui ominis lucem trahebat.

477. *Arma etiam simulata gerens.* Repetita ex superioribus lib. X, v. 633 de Virtute.

479. *Q. n. f. d. quis pignora tanta.* « Optimi duo libri scribunt: *tanti.* Scripsit sic Papinius. »

His quoque, nonne palam est ultro miserescere Divos?
Tela cadunt: cunctantur equi: fors ipsa repugnat. »
  Nonnihil impulerat dubios, ni torva notasset
Tisiphone fraudes, cælestique ocyor igne
Afforet increpitans: « Quid belli obverteris ausis,
Numen iners, pacique datum? cede, improba: noster
Hic campus, nosterque dies: nunc sera nocentes
Defendis Thebas: ubi tunc, quum bella cieret
Bacchus? et armatas furiarent orgia matres?
Aut ubi segnis eras, dum Martius impia serpens
Stagna bibit? dum Cadmus arat? dum victa cadit Sphinx?
Dum rogat OEdipoden genitor? dum lampade nostra
In thalamos Iocasta venit? » Sic urget, et ultro
Vitantem adspectus etiam, pudibundaque longe

480. *His quoque (nonne palam est ultro miserescere Divos?)* Reg. B habet, *hic quoque*; Reg. C nostram lect. En. — *Miserescere*. Causam affert versu sequenti.

482. *Nonnihil impulerat dubios, ni torva notasset*. Reg. B habet, *nos nihil impulerat dubios, ni torva notasset;* Reg. C nostram lectionem. En.

383. *Tisiphone fraudes. Tesiphone* uterque Behot. et sic passim. — *Cælesti igne*. Fulmine.

485. *Numen iners*. Pietas, quæ bella dissuadet. Lactant.

486. *Hic campus, nosterque dies*. Veteres, ut supra diximus, quum aliquo die insigne facinus ediderant, aut aliquod magnum gaudium receperant, dicere solebant: « Hic meus est dies. »

487. *Quum bella cieret Bacchus? et armatas furiarent orgia matres*. Tangit fabulam Agaves. *Armatas* autem thyasis.

489. *Aut ubi segnis eras, dum Martius impia serpens Stagna bibit? dum Cadmus arat? dum victa cadit Sphinx? Dum rogat OEdipoden genitor?* etc. Hæc omnia clara ex præcedentibus.

490. *Stagna bibit? dum Cadmus arat? dum victa cadit Sphinx*. *Cadmus erat* Dan. Put. Petav. Lipsian. et edd. vett. *Cadmus arat* Behott. 1, 2, Gronov. Barth. et Delph. Pro *victa cadit Sphinx*, vel, ut exhibent edd. vett. *Sphynx*, Put. habet, *semina surgent*. — Reg. B habet, *Stagna bibit? dum Cadmus arat, dum semina surgunt;* Reg. C nostram lect. En. — *Arat*. Sulcis enim aratro ductis dentes illos insevit.

491. *Rogat OEdipoden*. Laius, ne ab eo interficeretur. — *Dum lampade nostra In thalamos Iocasta venit?* Facibus enim accensis deducebantur novæ sponsæ domos maritorum. Et bene *nostra*. Scelus enim inde consequebatur.

Ora reducentem, premit adstridentibus Hydris.
Intentatque faces: dejectam in lumina pallam
Diva trahit, magnoque fugit questura Tonanti.
  Tunc vero accensæ stimulis majoribus iræ:
Arma placent, versæque volunt spectare cohortes.
Instaurant crudele nefas: rex impius aptat
Tela, et funestæ casum prior occupat hastæ.
Illa viam medium clipei conata per orbem
Non perfert ictus, atque alto vincitur auro.
Tunc exsul subit, et clare funesta precatur:
« Di, quos effosso non irritus ore rogavit
OEdipodes, firmate nefas, non improba posco
Vota: piabo manus, et eodem pectora ferro

494. *O. r. premit adstridentibus Hydris.* Aldd. et Basil. *premit a stridentibus hydris.* Bernartius correxit ex codd. — *Ora reducentem.* Vultum suum retro tollentem. LACT.

495. *Intentatque faces: dejectam in lumina pallam.* In quibusdam codd. *detectam;* et ita e suo notavit Daum. in margine ed. Barth. — Regg. B et C, *dejectam in lumine pallam* exhibent. ED. — *In lumina pallam.* Faciem suam chlamyde protegebat, ne Furiæ vultum videret. LACTANT.

496. *Questura.* Nequaquam cogitato etiam hoc Papinius scripsit. Quomodo enim auditurus erat Juppiter, aut quid in eo spei habere poterat, quam paullo ante eumdem conviciis incessentem et cælum ejus exsecrantem induxit vs. 462: « Sævumque Jovem, Parcasque nocentes Vociferans, seseque polis et luce relicta, » etc. BARTH. Vide pag. 112, tom. II Poet. Lat. Min. ED.

498. *Versæque.* Id est, conversæ ad illud certamen, tanquam ad spectaculum.

499. *Rex impius.* Eteocles.

500. *Prior occupat.* Feriturus prævenit, ac tela disponit. LACT.

501. *Per orbem.* Per medium scutum conata est transire. LACT.

503. *Tunc exsul subit,* etc. *Nunc exul* ed. Gronov. ex negligentia correctoris. *Tunc exul subiit* unus Behot.

504. *Di quos effosso non irritus ore rogavit. Di quos effesso* Put. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C *Di quos effuso.* ED.

505. *OEdipodes, firmate nefas, non improba posco.* In eodem Put. codice: *flammate nefas.* — Reg. B habet, *OEdipodes, flammate nefas, non improba poscet;* Reg. C nostram lect. ED.

506. *Vota: piabo manus, et eodem pectora ferro.* Idem Put. codex: *eodem tempora ferro.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. ED. — *Piabo manus.* Expiabo fratrici-

Rescindam, dum me moriens hic sceptra tenentem
Linquat, et hunc secum portet minor umbra dolorem. »
Hasta subit velox equitis femur inter, equique
Ilia, letum utrique volens : sed plaga sedentis
Laxato vitata genu; tamen irrita voti
Cuspis in obliquis invenit vulnera costis.
It præceps sonipes strictæ contemtor habenæ,
Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.
Exsultat, fratris credens hunc esse cruorem.
Credit et ipse metu : totis jamque exsul habenis
Indulget, cæcusque avidos illidit in ægrum
Cornipedem cursus : miscentur frena, manusque,
Telaque, et ad terram turbatis gressibus ambo
Præcipitant : ut nocte rates, quas nubilus Auster

dium mea morte. Et en quo provehit insaoa ambitio, et vindictæ furor; nihil pensi habet Polynices, dum fratri vivo et sentienti sceptrum adimat, cojus vel momentaneam possessionem paratus est voluntaria morte mercari.

508. *L. c. h. s. p. minor umbra dolorem.* Unus Behot. *memor umbra.*—*Minor umbra dolorem.* Astysmos, id est, nrbane; *minor umbra*, victi regis, ut Horat. II, Od. 9, 22: « Medumque flumen gentibus additum Victis, minores volvere vortices. »

509. *Hasta subit velox. Hasta subit felix* in duobus Barthianis.

510. *Ilia, letum utrique volens : sed plagn sedentis. Ilia lentum utrique volans* Put.—Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Eo. — *Plaga.* Volnus metum immisit. LACTANT.

511. *Tamen irrita voti.* Nou totius, quia percusserat eqoom, cui letum volebat.

515. *Exsultat, fratris credens hunc esse cruorem.* Omnes meliores codd. Barth. Laog. et Behott 1, 2, *ille cruorem*; in alio Barthii: *ipse cruorem*; Dan. Petav. et edd. omnes: *esse cruorem.* — Reg. B habet, *ille cruorem*; Reg. C eamdem lectiooem. Eo.

516. *Credit* et *ipse.* Eteocles.

517. *I. eq. a. illidit in ægrum.* « Male noonulli scripti libri: *illudit in ægrum.* » BARTH.

519. *Telaque, et ad terram turbatis gressibus ambo.* « Optimos liber aliter hæc concipit: *Telaque, moxque solo, turbatis gressibus, ambo Præcipitant.* Quis negabit Papinium sic scripsisse? In secundæ notæ codice scriptum est: *mox terram.* Nihil ab optimo muto. » BARTH. — *Turbatis gressibus. Turbati gressus*, sont permixti et impliciti, ut noo discernatur a spectaotibus, utri, cujusque sint. Nam et mox « eoses Impliciti, nexæque manus. »

Implicuit, frangunt tonsas, mutantque rudentes,
Luctatæque diu tenebris, hyemique, sibique,
Sicut erant, imo pariter sedere profundo.
  Hæc pugnæ facies : coeunt sine more, sine arte,
Tantum animis, iraque, atque ignescentia cernunt
Per galeas odia, et vultus rimantur acerbo
Lumine : nil adeo mediæ telluris, et enses
Impliciti, nexæque manus, alternaque sævi
Murmura, ceu lituos rapiunt, aut signa tubarum.
Fulmineos veluti præceps quum cominus egit
Ira sues, strictisque erexit pectora setis :
Igne tremunt oculi, lunataque dentibus uncis
Ora sonant : spectat pugnas de rupe propinqua

521. *Implicuit, frangunt tonsas, mutantque rudentes.* Unus Behot. *frangunt tonsos;* Dan. *pangunt tensas.* Duo codd. Barthii *mucantque rudentes;* unde ille: *multantque rudentes*, vel : *rumpuntque rudentes.* — Reg. B habet, *pangunt tonsas;* Reg. C nostram lect. Ed.

523. *Sedere.* Consedere, depressæ sunt. Sic lib IX, v. 502 : « Huc undæ coeunt, et ineluctabile cœnum Verticibusque cavis sedit. » Prop. lib. II, El. 14 : « Veniat mea litore navis Servata, an mediis sidat onusta vadis. » Seneca, Hercule Furente vs. 776, de navi Charontis : « Sedit, et gravior ratis Utrimque Lethen latere titubanti bibit. »

524. *Sine more, sine arte.* Sola ira omnia faciente. *Mos*, consuetudo pugnandi.

525. *Tantum animis, iraque, atque ignescentia cernunt.* Reg. B habet hanc lect. at supra correctum, *tantum animos iraque atque ignescentia cernunt;* Reg. C nostram lect. Ed.

526. *Rimantur.* Pervestigant. *Acerbo.* Torvo. Lactant.

527. *Lumine : nil adeo mediæ telluris, et enses.* Optimæ Barthii membranæ : *nil adeo medium;* quod verum putat. — *Telluris.* Subaudis intererat : id est, non a se multum aberant, sed cominus sua ora cernebant. Lactant.

528. *Impliciti nexæque manus alternaque sævi. Inlicitique innexæque* Put. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Alternaque Murmura*, etc. Id est, excitantur suis invicem murmuribus, tanquam si litui et tubæ canerent.

529. *Signa tubarum.* Neglectu suo plus excitabantur ad scelus.

530. *Fulmineos.* Fortes. Lact.

532. *Igne tremunt oculi, lunataque dentibus uncis. Igne premunt* in eodem Put. libro; *Igne micant* unus Behot. pro v. l. *laniataque dentibus* Behot. 2, et pro v. l. *lunataque.* Reg. B habet, *igne premunt oculi, lunataque dentibus uncis;* Reg C nostram lect. Ed.

Venator pallens, canibusque silentia suadet.
Sic avidi incurrunt : nec dum letalia miscent
Vulnera, sed cœptus sanguis : facinusque peractum.
Nec jam opus est Furiis : tantum mirantur, et adstant
Laudantes, hominumque dolent plus posse furores.
Fratris uterque furens cupit affectatque cruorem,
Et nescit manare suum : tandem irruit exsul,
Hortatusque manum, cui fortior ira, nefasque
Justius, alte ensem germani in corpore pressit,
Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax.
Ille dolens nondum, sed ferri frigore primo
Territus, in clipeum turbatos colligit artus,
Mox intellecto magis ac magis æger anhelat
Vulnere, nec parcit cedenti, atque increpat hosti :
« Quo retrahis, germane, gradus? o languida somno,

536. *Vulnera, sed cœptus sanguis: facinusque peractum.* Put. *sed cœtus.* Unus Behot. *facinusque peractum est.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed.

537. *Adstant Laudantes.* Furiæ.

541. *Hortatusque manum*, etc. Reg. B habet, *hortaturque manum ;* Reg. C eamdem lect. Ed.

542. *J. a. e. germani in corpore pressit.* Unus Behot. *germani corpore.* — *Justius.* Justior in scelere Polynices videbatur pro denegato sibi imperio. Lactant.

543. *Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax. Quam male jam plumis imis* Aldd. Colin. et Basil.

545. *T. i. c. turbatos colligit artus.* Lang. Laur. Lipsian. et edd. vett. *turbatus;* Behot. 1, *turbatos*, interpolatis postremis literis : ita edd. Grasser. Gronov. Barthian. et Delph. — *In clipeum turbatos colligit artus.* Virgilius, Æneid. XII, v. 412 : « Et se collegit in arma. »

546. *Magis ac magis æger.* Polynices scilicet viso fratris vulnere imminebat. Lactant.

547. *Vulnere, nec parcit cedenti, atque increpat hosti.* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *increpat, hostis Quo*, etc. Lang. Buslid. Lipsian. Behot. 1, Colin. Basil. Grasser. Gevart. et Amstel. *increpat hostem : Quo*, etc. Behot. 2, *increpat hoste, Quo*, etc. Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. legit : *hostes;* i. e. hostiles. — Reg. B habet, *atque increpat hostis, Quo*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Atque increpat hosti (hostem :): Quo retrahis, germane, gradus.* Legendum censet Nicolaus Heinsius : *Atque increpat, hostes Quo retrahis, germane, gradus?* non, ut nunc legitur, *hostis*, vel *hosti*, vel *hostem.*

548. *Quo retrahis, germane, gra-*

Et regnis effœta quies! longaque sub umbra
Imperia! exsilio rebusque exercita egenis
Membra vides: disce arma pati, nec fidere lætis. »
Sic pugnant miseri: restabat lassa nefando
Vita duci, summusque cruor, poterantque parumper
Stare gradus: sed sponte ruit, fraudemque supremam
In media jam morte parat: clamore Cithæron
Erigitur, fraterque ratus vicisse, levavit
Ad cælum palmas. « Bene habet: non irrita vovi,
Cerno graves oculos, atque ora natantia leto.
Huc aliquis propere sceptrum atque insigne comarum,
Dum videt. » Hæc dicens gressus admovit, et arma,

dus? o languida somno. Put. *hoc languida somno.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C *nostram.* Ed.

549. *Et regnis effœta quies! longaque sub umbra.* In eodem Put. libro: *Hoc longa sub umbra.* — Reg. B habet, *Hoc regnis effata quies! hoc longa sub umbra;* Reg. C nostram lect. Ed.

550. *Rebusque exercita egenis.* Has vires exsilia calamitatesque nutrierunt. Lactant.

553. *V. d. sq. e. poterantque parumper.* Unus Behot. *poteratque parūper.*

554. *Stare gradus: sed sponte ruit.* Reg. B habet, *Stare gradus, et sponte ruit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Fraudemque supremam.* P. Syrus: « Boni est viri etiam in morte nullum fallere. »

555. *Clamore.* Spectantium scilicet.

557. *A. c. p. B. h.* non *irrita vovi.* Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *an irrita.*

559. *H. a. p. s. atque insigne comarum.* Put. *insigne coronæ.* — *Huc aliquis propere sceptrum, atque insigne comarum, Dum videt.* Aposiopesis. Supprimitur enim verbum, *afferat*, aut aliud simile. Verba sunt Polynicis fratri morienti insultantis. Huc aliquis mihi protinus afferat sceptrum et diadema, quod Noster vocat *insigne comarum*, ut frater, dum exiguum adhuc ei vitæ superest, adspiciat me *regni* Thebani insignia gestantem; eoque dolore moriens torqueatur. Hæc enim fuit summa votorum ipsius, quæ supra expressit his verbis V, 505: « Non improba posco Vota, piabo manus, et eodem pectora ferro Rescindam, dum me moriens hic sceptra tenentem Linquat, et hunc secum portet minor umbra dolorem. »

560. *Dum videt. Hæc dicens gressus admovit, et arma.* Reg. B habet, *Dum videt. Hæc dicens gressus admovit ad arma;* Reg. C nostr. lect. Ed. — *Et arma.* In vetustissimo optimoque codice versus margini est adscriptus, tanquam per parenthesim huic subjungendus: *Demens,*

Ceu templis decus et patriæ laturus ovanti,
Arma etiam spoliare cupit: nondum ille peractis
Manibus, ultrices animam servabat in iras.
Utque superstantem, pronumque in pectore sensit,
Erigit occulte ferrum, vitæque labantis
Relliquias tenues odio supplevit, et ensem
Jam lætus fratris non frater corde reliquit.
Ille autem, « Vivisne? et adhuc manet ira superstes,
Perfide, nec sedes unquam meriture quietas?

qui primo fratrem haud spoliaverit ense. De quo esto aliorum censere; ego intrudere nolim, etsi nec sit malus, et sententiam habeat oppido quam bonam, quum in nullo alio libro ejus exstet vestigium. Locutio etiam Virgil. Æneid. IX, v 729: « Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi. »

563. *Manibus, ultrices animam servabat in iras.* Edd. vett. *ultricemque.* — *Ultrices.* Alii legunt *ultricem.*

564. *Utque superstantem, pronumque in pectore sensit.* « Scribendum cum optimis membranis: *in pectora.* » Barth. — Regg. B et C hanc lect. præbent. Ed.

567. *Jam lætus fratris non frater corde reliquit. Jam lætus frater fratris sub corde reliquit* Lang. Buslid. Lipsian. Colin. Basil. et Plant. *Jam lætus fati fraterno in corde reliquit* Behot. 1, Dan. Pet. et Cruc. *Jam lætus fratri fraterno in corde* Behot. 2. — Regg. B et C *Jam lætus fati fraterno in corde reliquit;* exhibent. Ed. — *Jam lætus fratris non frater (frater fratris sub) corde reliquit.* Variant scripti codices. Alii *jam lætus fati;* alii *fraterno in corde,* et *fratri fraterno corde.* Sed codex Berneggeri *fratris non frater corde reliquit:* idemque invenitur in codice Bavar. et Monaciensi, et explicandum est, non fraterno animo. Nihil erant illa priora: hoc demum lætus erat, hoc maxime placebat eorum, quæ tanquam minime frater fratri fecerat. Pertinet huc illud, quod est simile Ovidiano: « Pugnat materque sororque, » pro materno et sororio affectu. Gronov.

568. *Ille autem, Vivisne? et adhuc manet ira superstes.* Reg. B habet, *an adhuc manet ira superstes;* Reg. C nostr. lect. Ed.

569. *Quietas.* Quia in mortem ipsam usque sceleratus est. Vetus Scholiast. Qui non emendabant vitam et desinebant malitiam, neque confessi essent, ut punirentur, eos pessime puniri credebant apud Inferos. Virg. Æn. VI, 567 sqq. « Gnosius hæc Rhadamantus habet durissima regna, Castigatque auditque dolos; subigitque fateri, Quæ quis apud Superos, furto lætatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem. » Barth.

I mecum ad manes : illic quoque pacta reposcam,
Si modo Agenorei stat Gnossia judicis urna,
Qua reges punire datur. » Nec plura locutus,
Concidit, et totis fratrem gravis obruit armis.
Ite truces animæ, funestaque Tartara leto
Polluite, et cunctas Erebi consumite pœnas.
Vosque malis hominum, Stygiæ, jam parcite, Divæ.
Omnibus in terris scelus hoc, omnique sub ævo
Viderit una dies, monstrumque infame futuris
Excidat, et soli memorent hæc prælia reges.
At genitor, sceleris comperto fine, profundis
Erepsit tenebris, sævoque e limine profert
Mortem imperfectam : veteri stat sordida tabo
Utraque canities, et durus sanguine crinis

570. *I mecum ad manes: illic quoque pacta reposcam. Huc mecum* Put. — Reg. B habet, *huc mecum ad manes: Illic quoque pacta reposcam;* Reg. C nostram lect. Ed. — *I mecum ad manes.* Non omittam te etiam illic persequi, quia me, qui justas causas te persequendi habebam, injuste meo patrimonio defraudasti.

571. *Agenorei stat Gnossia judicis urna.* Minois scil. Agenoris per Europam filiam nepotis, et qui in Creta, cujus Gnossos caput, justissime regnaverat : unde apud Inferos post mortem judex factus creditur.

572. *Qua reges punire datur. Quæ reges* Dan. *Qui reges* Behot. 1; et Behot. 2, a m. sec. « Omnino legendum *Quæ*, ut diserte præferunt duo optimi libri. » Barth.

575. *Consumite.* Id est, omnes sustinete pœnas. Lactantius explicat : « Subite transeundo. »

576. *Stygiæ Divæ.* Eumenides, Furiæ.

578. *Una dies.* Ista tantum, quo factum est certamen.

579. *Et soli memorent hæc prælia reges.* Ut caveant, ne in similes incidant contentiones, quarum tam infaustus solet esse exitus.

581. *Erepsit tenebris. Erupit tenebris* Dan. *Erepsit latebris* optimæ Barthii membranæ. Reg. B habet, *Erupit tenebris;* Reg. C nostram lect. Ed.

582. *M. i. veteri stat sordida tabo.* Dan. *fit sordida tabo.—Mortem imperfectam.* Sic vocat cæcitatem; cæci enim, quum non fruantur luce pæne mortui judicantur. Consule notata ad Senecæ. Pheniss. act. I, 47; nostræ edition. tom. I, pag. 376. Ed.

583. *Utraque canities*, et *durus sanguine crinis.* Put. et *duri sanguine crines.* — Reg. B habet, et *duros sanguine crines*, et supra correctum : *duri;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Utraque canities.* Capitis scilicet, et barbæ.

Obnubit furiale caput : procul ora, genæque
Intus, et effossæ squalent vestigia lucis.
Virgo autem impositæ sustentat pondera lævæ,
Dextra sedet baculo : qualis si puppe relicta
Exosus pigri manes sulcator Averni
Exeat ad Superos, solemque et pallida turbet
Astra, nec ipse diu fortis, patiensque superni
Aeris : interea longum cessante magistro
Crescat opus, totisque exspectent sæcula ripis.
Talis init campum, comitique extrema gementi,
Duc, ait, ad natos, patremque recentibus, oro,
Injice funeribus : cunctatur nescia virgo
Quid paret : impediunt iter, implicitosque morantur
Arma, viri, currus, altaque in strage seniles

584. *Obnubit furiale caput. Obnubit ferale caput* correxit Marklandus ad Silv. V, 1, 219. — *Genæque Intus.* Sedet intus abaetis ferrea lux oculis. Lactant.

587. *Puppe relicta.* Charon.

588. *Exosus pigri manes sulcator Averni.* Behot. 1, Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *nigri m. s. Averni:* Bernartius ex eodd. manuscriptis. *Exosus manes.* Odio habens mortnorum sæva supplicia. — *Pigri sulcator Averni.* Charon Inferorum portitor.

590. *Nec ipse diu.* Qui enim diu in tenebris sederunt, quum inde exeunt, vix lucem perferre possunt. Quidam ex nimio lumioe visum amiserunt. — *Nec ipse diu.* Nihil mirum, quum hie Cerberus Inferis extraetns diem tulerit. Ovid. Met. VII, v. 410 et sqq. « Est via declivis, per quam Tiryuthius heros Restantem, contraque diem, radiosque micautes Obliquantem oculos, nexis adamante eatenis Cerberon attraxit. » Et Theseus ab Inferis rediens, in Hippolyto queritur apud Senecam; 837 : « vix enpitum sufferunt oeuli diem. »

591. *Magistro.* Nauta, portitore.

592. *Exspectent sæcula ripis.* Notione non euilibet e plebe litteratorum nota *sæcula* pro *hominibus* posuit : nee id sine ratione, vel anetore. Enimvero nti recepta apud Latinos phrasis est, *væ ætati tuæ*, pro *væ tibi*; ita qnnm ætas hominis *sæculo* eoncludatur, non absurde poetica lieentia, pro *homine sæcula*, Noster nsurpavit. Præsertim qunm locupletissimnm auetorem habeat Lueretium lib. V, 789 : « inde loci mortalia sæela ereavit. » Et 803 : « Tum tibi terra dedit primnm mortalia sæcla, » id est, *homines*. Et iterum, 864 : « Lanigeræque simul pecndes et bucera sæcla, » pro ipsis *bubus*. Bern.

595. *Virgo.* Antigone.

Deficiunt gressus, et dux miseranda laborat.
Ut quæsita diu monstravit corpora clamor
Virginis, insternit totos frigentibus artus.
Nec vox ulla seni : jacet, immugitque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata sequuntur.
Dum tractat galeas, atque ora latentia quærit,
Tandem muta furens genitor suspiria solvit:
« Tarda meam, pietas, longo post tempore mentem
Percutis? estne sub hoc hominis clementia corde?
Vincis me miserum; vincis, natura, parentem.
En habeo gemitus, lacrimæque per arida serpunt
Vulnera, et in molles sequitur manus impia planctus.
Accipite infaudæ justa exsequialia mortis,
Crudeles, nimiumque mei : nec noscere natos,
Alloquiumque aptare licet : dic, virgo, precanti,
Quem teneo? quo nunc vestras ego sævus honore
Prosequar inferias? o si fodienda redirent
Lumina, et in vultus sævire ex more potestas!

600. *Virginis, insternit totos*, etc. Unus Behot. *instravit totos*.

602. *Nec verba diu tentata sequuntur*. Imitatio ex Ovidio Met. XI, v. 326: « Lingua tacet; nec vox tentataque verba sequuntur. » Virg. Æn. XII, v. 912: « Nec vox aut verba sequuntur. » Eleganter sequi dicuntur quæ parent conanti. Vide nost. Ovid. tom. IV, pag. 260. Ed.

604. *Tandem muta furens genitor suspiria solvit. Tandem multa*. Dan. et Behott. 1, 2. — Regg. B et C, *Tandem muta diu genitor*, etc. exhibent. Ed.

606. *Sub hoc hominis*. Id est, meo, demonstrative.

608. *Per arida serpunt Vulnera*. Per oculos effossos : et cæcitatem *aridam* dixit, eo quod, deficientibus oculis, lacrimarum origo cessaverit.

609. *Vulnera, et in molles sequitur manus impia planctus. Lumina* in quibusdam codd. « Melior lectio optimorum duorum, et Bernartii librorum : *et in molles sequitur manus impia planctus*. » Barth. — *Molles*. Miseris enim molliores animi.

610. *Exsequialin mortis*. In morte vestra lacrimas fundo, quibus solis vobis parentare possum.

611. *Nimiumque mei*. Id est, similes criminibus. Cruceus existimat Œdipum appellare filios *nimium suos*, quod sint ejus filii simul et fratres, ut ex incestis Jocastæ nuptiis procreati.

Heu dolor! heu justo magis exaudita parentis
Vota, malæque preces! quisnam fuit ille Deorum,
Qui stetit orantem juxta, præceptaque verba
Dictavit fatis? furor illa, et movit Erinnys,
Et pater, et genitrix, et regna oculique cadentes;
Nil ego: per Ditem juro dulcesque tenebras,
Immeritamque ducem, subeam sic Tartara digna
Morte, nec irata fugiat me Laius umbra.
Hei mihi, quos nexus fratrum, quæ vulnera tracto!
Solvite, quæso, manus, infestaque vincula tandem
Dividite, et medium nunc saltem admittite patrem.»
Talia dequestus, paullatim sumserat iras
Mortis, et occulte telum, ni nata vetaret,
Quærebat; sed casta manu subtraxerat enses
Antigone: furit inde senex: «Ubi noxia tela?
Heu furiæ, num totum abiit in corpora ferrum?»

616. *Exaudita parentis Vota, malæque preces.* Liberi maxime cavere debent, ne provocent iram parentum: irati enim erumpunt in vota contra filios, quæ nimium exaudiuntur a Deo, ut constat pluribus exemplis, scil. Thesei.

619. *Dictavit fatis.* Ut evenirent fataliter fecit.

620. *Et pater et genitrix.* Quia sceleratus in hos fueram, regnoque a filiis ejectus et oculos prælerea amiseram in furorem versus, per eum devovi filios meos. Unde si justi fuissent, Dii debebant attendere non ut meas, sed Furiarum ipsarum voces, neque ita crudeli parricidio eos innocenter de medio tollere.

621. *Nil ego: per Ditem;* etc. *Hæc ego.* Pul. — Reg. B habet eamdem lect. Reg C nostram. Ed. — *Nil ego.* Miseri enim et nocentes scelera sua potius Diis cæloque adscribunt, quam sibi. Vide supra.

623. *Nec irata fugiat me Laius umbra.* Virgilius Æn. IV, v. 386: «Omnibus umbra locis adero.»

627. *Talia dequestus. Talia conquestus.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Talia dequestus.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Pul. Behott. 1, 2, et edd. recentt. — *Dequestus.* Frequens Papinio verbum lib. I, v. 404: «Similesque notos dequestus et imbres.» Sidonius lib. IX, Ep. 9: «Longum tacere nos, vir sacratissime, in commune dequestus es.» Vide p. 663, tom. I Stat. nost. Ed.

629. *Quærebat; sed casta manu subtraxerat enses.* Marklandus ad Silv. III, 4, 87, correxit: *sed cauta manu.* «Plerique manuscripti libri habent *subrepserat;* quod fortasse ex *suppresserat* natum. Nihil tamen a vulgata lectione mutandum.»

631. *Corpora.* Filiorum scilicet.

Dicentem comes ægra levat, mutumque dolorem
Ipsa premit, sævum gaudens planxisse parentem.
Olim autem inceptæ clamore exterrita pugnæ
Regina extulerat notum penetralibus ensem,
Ensem sceptriferi spolium lacrimabile Laii.
Multaque quum Superis et diro questa cubili,
Et nati furiis, et primi conjugis umbris,
Luctata est dextra, et prono vix pectore ferrum
Intravit tandem, et venas prorupit aniles
Vulnus, et infelix lustratur sanguine lectus.
Illius exili stridentem in pectore plagam
Ismene collapsa super lacrimisque comisque
Siccabat plangens : qualis Marathonide silva

632. *Dicentem comes ægra levat.* Put. *comes atra levat.* — Reg. B habet hanc lection. Reg. C nostr. — Vide p. 561, tom. I Stat. nost. Ed.

633. *Ipsa premit, sævum gaudens planxisse parentem.* Reg. B habet, *Ipsa premit, sævum gaudent planxisse parentem ;* Reg. C nostr. lect.

635. *Regina.* Jocasta.

637. *Multaque.* Multaque in Deos convitiata, et de incesto cubili plurimum conquesta. Lactant.

638. *Furiis.* Parricidio et incesto.

639. *Luctata est dextra, et prono vix pectore ferrum.* Reg. B habet, *Luctata est dextræ*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Luctata est dextra.* Ob debilitatem scilicet manus, et senium. Sunt et auctores qui tradunt Jocastam laqueo vitam finivisse.

640. *Intravit tandem, et venas prorupit aniles.* « In majore librorum parte *irrupit* scribitur. Nihil tamen mutandum. » Barth. *Prorumpit aniles* Put. — Reg. B habet, *Intravit tandem, venas perrumpit anile;* Reg. C *et venas perrupit aniles.*

641. *V. e. i. lustratur sanguine lectus.* Behott. 1, 2, *in sanguine pectus;* sed Behot. 1, pro v. l. habet *lectus.* Nonnulli Barthiani habent etiam *pectus.* — *Lustratur.* Expiatur. Pollutus enim fuerat incestu cum filio.

644. *Qualis Marathonide silva,* etc. Silva fuit prope Marathonem Atticæ locum, ubi Icarius pater Erigones peremtus fuit a pastoribus. Ad quem locum quum pervenisset Erigone, præeunte cane, et patrem occisum vidisset, nimio dolore victa, se laqueo ad arborem interfecit, electis fortioribus ramis, ne forte infirmioribus fractis lapsu corporis mortem effugeret. Pinu postea, in qua pependerat, hanc regionem, ejus umbra, infestante, incolæ, ad placandos ejus manes, ora in humanam speciem ipsi efformata in eadem arbore suspenderunt, ac pastorum frequentia ac cantibus diem celebrem fecerunt. Ad quod forte alludit Virgilius, G.

Flebilis Erigone, cæsi prope funera patris,
Questibus absumtis tristem jam solvere nodum
Cœperat, et fortes ramos moritura legebat.
  At jam, læta ducum spes elusisse duorum,
Res Amphionias alio sceptrumque maligna
Transtulerat Fortuna manu, Cadmique tenebat
Jura Creon. Miser heu bellorum terminus! illi
Pugnarant fratres : hunc et Mavortia clamant
Semina, et impensus patriæ paullo ante Menœceus
Conciliat populis : scandit fatale tyraunus
Flebilis Aoniæ solium : pro blanda potestas,

II, 389 : « Tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu. »

646. *Q. a. t. jam solvere nodum.* Put. *jam vulnere nodum.* — Reg. B hanc habet lect. Reg. C nostram. Eo. — *Jam solvere.* Id est, laxare, ut se strangularet. — *Nodum.* Laqueum, quo se regina suspenderat.

647. *C. e. f. r. moritura legebat.* « Melior est scriptura optimi aliorumque codicum, *ligabat;* quam concinnare non erat librariorum. Cum nostris libris faciunt Lindenbrogianus melior, et vett. duo edd. Alterum tamen tuetur Lactantius. » Barth. *Ligabat* habent etiam Bnslid. et Behot. 2, pro v. l. — Reg B habet, *ligabat;* Reg C, *ligavit.* Eo. — *Ramos moritura legebat.* Respicit fabulam, qua fingitur Erigone Icari filia, Penelopes soror, a Baccho in specie uvæ compressa, quum patrem a pastoribus insuper occisum reperisset, seipsam de arbore suspendisse, sed ramo fracto in terram decidisse, inter astra translatam, et signum Zodiaci factam, quod Virginem appellant. Bern.

649. *Amphionias.* Thebanas, ab Amphione.

650. *Cadmique tenebat Jura Creon.* Pausanias Creontem non regem facit, sed tantum tutorem regis parvuli Laodamantis, qui Eteoclis filius.

651. *Illi Pugnarant.* Vide Theb. I, 42. — *Illi.* Creonti. — *Illi Pugnarant.* Hujus emolumento. Idem sensus deprehensus a nobis est in illo, initio hujus operis, Theb. I, 479 : « alternaque regna profanis Decertata odiis. » Hoc est, certando utrique hæredi amissa. Talem solebant pugnam olim pugnare Arcades, qui proverbio locum dederunt. Vide Hesychium. Barth.

652. *Pugnarant fratres : hunc et Mavortia clamant.* Jortinus pro *clamant* conjectabat *clarant.* « Minime mutandum *clamant;* nam rei inanimatæ sæpe hoc verbum tribuitur, pro indicant, manifestant, testes sunt. Burman. — Reg. B habet, *huc et Mavortia clamant;* Reg. C nostram. lect. Eo. — *Clamant.* Ad regni successionem.

654. *Conciliat populis. Conciliat populos.* nous Lindenbrog. — Reg. B hanc lectionem habet, Reg. C nostram. Eo.

Et sceptri male suadus amor! nunquamne priorum
Hærebunt documenta novis! juvat ecce nefasto
Stare loco, regimenque manu tractare cruentum.
Quid melior Fortuna potest? jam flectere patrem
Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis.
Primum adeo sævis imbutus amoribus aulæ,
Indicium specimenque sui, jubet igne supremo
Arceri Danaos, nudoque sub axe relinqui
Infelix bellum, et tristes sine sedibus umbras.
Mox reducem Ogygiæ congressus limine portæ
Œdipoden timuit paullum, seseque minorem
Confessus tacite, promtamque coercuit iram.
Mox redit in regem, cæcumque audentibus hostem

656. *Et sceptri male suadus amor! Et sceptri male suasus amor* unus Behot. *male suadus honor* unus Barthian.

659. *Quid melior Fortuna potest?* Regg. B et C præbent, *Quid melior Fortuna potes?* Ed. — *Jam flectere patrem Incipit.* Eodem spectat oratio Charidemi ad Darium apud Curtium lib. III, cap. 2, § 18: « Tu quidem licentia regni subito mutatus, documentum eris posteris, homines, quum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere. »

660. *Incipit, atque datis*, etc. Codd. Lindenbrogii: *atque Ditis.* — *Menœcea.* Menœcei memoriam, virtutes.

661. *Primum adeo sævis imbutus amoribus aulæ.* Put. *imbutus moribus.* « Omnino cum nostris melioribus, et uno tali ex Lindenbrogii codicibus, scribendum est: *imbutus moribus aulæ.* » Barth. — Reg. B habet, *imbutum moribus aulæ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Primum adeo sævis imbutus amoribus aulæ Indicium.* Ignotus ille, sed magnus Auctor Thebaidos, quæ et Phœnissæ, sic aiebat, vs. 582: « tam ferum et durum geris sævumque in iras pectus, et nondum imperas? Quid sceptra facient? » Et Seneca Thyest, 312: « Ut nemo doceat fraudis et scelerum vias, Regnum docebit. » Adeo omnes fere cum Pindarico illo Tantalo: μέγαν ὄλβον καταπέψαι οὐ δύνανται. « Magnam felicitatem concoquere non possunt. »

663. *Arceri Danaos, nudoque sub axe relinqui.* Reg. B habet, *nudoque sub axe relinquit;* Reg. C nostram lect. Ed.

668. *Mox redit in regem, cæcumque audentibus hostem. Sed redit in regem* Burm. Taurin. et Behott. 1, 2, *cacumque* Dan. *audentius* Lang. Laur. Burm. unus Behot. Putean. Aldd. Colin. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *audacius* alter Behot. *audentibus* Gronov. Barth. et Veen. — Regg. B et C, *Sed redit in regem, cæcrmque audentius hostem*, exhibent. Ed.

Increpitans, « Procul, inquit, abi victoribus omen
Invisum, et Furias averte, ac mœnia lustra
Discessu Thebana tuo : spes longa peracta est.
Vade, jacent nati : quæ jam tibi vota supersunt? »
  Horruit instinctu rabido, steteruntque trementes,
Ceu visu præsente, genæ, seniumque recessit.
Tunc natam baculumque manu dimisit, et iræ
Innixus tumido vocem de pectore rumpit :
  « Jamne vacat sævire, Creon? modo perfida regna
Fortunæque locum nostræ, miserande, subisti,
Et tibi jam fas est regum calcare ruinas?
Jam tumulis victos, socios jam mœnibus arces?
Macte, potes digne Thebarum sceptra tueri.
Hæc tua prima dies : sed cur nova contrahis amens

673. *H. i. r. steteruntque trementes.* Put. Petav. Bebott. 1, 2, Lang. Lipsian. Colin. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *steterantque trementes;* Dan. Gronov. Barthiau. et Delph. *steteruntque trementes.*

674. *Ceu visu præsente, genæ, seniumque recessit. Ceu visæ squalore genæ.* Put. — Reg. B habet, *Ceu visu squalore comæ, seniumque recessit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Seniumque recessit.* Nimia senectus dicitur *senium.*

675. *Tunc natam baculumque manu dimisit; et iræ.* Reg. B habet, *demisit;* Reg. C nostram lectionem. Ed.

676. *Innixus tumido vocem de pectore rumpit.* Dan. Petav. Bebott. 1, 2, Lang. Buslid. Aldd. Colin. Basil. Plant. et Cruc. *de pectore rupit;* Put. et edd. recentt. *de pectore rumpit.*

677. *Jamne vacat sævire, Creon? Jamne voveat* Behot. 1, expuncta litera *a*, relictum *vovet*, cum his gloss. « Id est, desiderat. Alias est *vacat:* i. e. tempus estne jam sæviendi? » — *Jamne vacat sævire Creon.* Jam non doles interitum filii, sed contra mortuos furibundus irasceris? LACTANT. — *Perfida regna.* Ob Eteoclis perfidiam.

679. *E. t. j. f. e. regum calcare ruinas?* Dan. *regum inculcare ruinas.* — *Calcare ruinas.* Afflictorum regum insultare casibus. LACTANT.

680. *Jam tumulis victos, socios jam mœnibus arces? Jam tumulis junctos socios*, etc. Aldd. Colin. et Basil. correxit Bernartius ex codd. manuscriptis.

682. *Hæc tua prima dies. Hæc tibi prima dies* unus Behot. — *Hæc tua prima dies.* Hoc tui specimen prima die imperii tui. — *Nova contrahis.* Cur parce usurpas tua jura, cur ea contrahis, quæ extendere debebas! rudis adhuc es, nec expertus, quid tyranno liceat.

Jura? quid anguste tantos metiris honores?
Exsilium intendis? timida inclementia regum
Ista : feros avidus quin protinus imbuis enses?
Crede : licet veniat cupidus parere satelles,
Intrepidusque secet non evitantia colla.
Incipe : an exspectas ut pronus supplice dextra
Sternar? et immitis domini vestigia quæram?
Finge autem tentare, sines? mihine ulla minaris
Supplicia? aut ullos reris superesse timores?
Linquere tecta jubes? cælum terrasque reliqui
Sponte, atque ultricem crudelis in ora retorsi
Non ullo cogente manum : quid tale jubere,
Rex inimice, potes? fugio, excedoque nefandis
Sedibus : an refert, quo funera longa, measque
Transportem tenebras? ne non gens cuncta precanti

683. *Anguste metiris.* Longe plus licet Thebano regi, quam quod tu nunc agis. Utere plenius in me tyrannide tua exemplo præcessorum Regum. — *Metiris honores.* Ut exsilium imperes ei, quem potes occidere, cur non sævius aliquid imperas? Ista mihi parva sunt quæ minaris exsilia, qui sponte supplicia in me majora perfeci. Lact.

685. *Ista : feros avidus quin protinus imbuis enses?* Put. *imbuit enses.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. — *Quin protinus imbuis enses.* Quinimo imbue, id est, in me auspicare innocentem cædem, quasi novus tyrannus. Lact.

686. *Crede : licet veniat cupidus parere satelles* « Distinctio vitiata nonnihil. Scribe : *Crede licet : Veniat cupidus*, etc. » Barth. — *Satelles.* Id est, armiger, qui me possit occidere. Lact.

692. *Linquere tecta jubes? cælum terrasque reliqui.* « Melior emphasis in lectione optimi exemplaris : *cælumque terramque.* Id est, elementa ipsa aeris et terræ. Quum alternum illud regiones tantum indicare videatur. Sic et onus ex reliquis libris. » Barth. — Reg. B habet, *cælum terramque reliqui;* Reg. C nostram lect. Ed.

696. *Sedibus : an refert, quo funera, longa measque.* Reg. B habet, *anne refert, quo funere longa, measque;* Reg. C nostram lect. Ed.

697. *T. t. ne non gens cuncta precanti.* « Obscorior sermo, quem, vere ut Divus ex machina quidem, expedit more suo, ille omnium optimus maximus liber : *an non :* sensu clarissimo : An non quælibet gens mihi tantum terræ concedet, quantum patriæ terræ hic incubo? » Barth. *nec non* nous Behot. — In Reg. B versus ille in locum subsequentis venit. Habet, *ne non gens*

Concedat, patriæ quantum miser incubo terræ?
Sed dulces Thebæ! nimirum hic clarior ortus,
Et meliora meos permulcent sidera vultus.
Hic genitrix, natique : habeas Thebana regasque
Mœnia, quo Cadmus, quo Laius omine rexit,
Quoque ego : sic thalamos, sic pignora fida capessas :
Nec tibi sit virtus fortunam evadere dextra;
Sed lucem deprensus ames : satis omina sanxi :
Duc, age, nata procul : quid te autem luctibus addo?
Da, rex magne, ducem : » timuit miseranda relinqui
Antigone, mutatque preces : « Felicia per te
Regna, verende Creon, sanctasque Menœceos umbras :
Da veniam afflicto, dictisque ignosce superbis.
Hunc morem fandi longæ fecere querelæ.
Nec soli ferus iste tibi : sic fata, Deosque
Alloquitur : durus luctu, facilisque nec ipsi
Sæpe mihi : pridem indomito sub pectore fervet
Libertas misera, et sævæ spes anxia mortis.

cuncta precandi; Reg. C nostram lectionem. Ed.

701. *Hic genitrix, natique. Huic genitrix* Lang. Laur. Lipsian. nonnulli codd. Barthiani et Venett. 3, 4, *Hinc genitrix* Behot. 1, et Dan. *Hic genitrix* Put. et edd. vett.

704. *Nec tibi sit virtus fortunam evadere dextra.* Postquam omnia calamitatum genera imprecatus est Creonti, addit illud ultimum, ut illi animus non sit ad effugienda tot mala generosa morte. Sic sentiebant Veteres.

705. *Satis omina sanxi.* Satis imprecatus sum. Lact.

706. *Duc, age, nata procul.* « In libris nonnullis est : *Dux age nata procul* : id est, præ te age, aut duc manu. Tamen a vulgata et perspicua lectione nihil mutandum puto. » Barth.

712. *Sic fata, Deosque.* Perpetuis jurgiis incessit homines et Deos, tam diuturnorum malorum impatientia desperabundos. Vet. Schol.

713. *Durus luctu.* Malis induruit, nec quemquam timet. Vet. Schol.

714. *S. m. p. i. sub pectore fervet.* Pot. *sub pectore vivit*; Aldd. Colin. Basil. Lindenbrog. et Cruc. *sub pectore ferves*; Lang. Laur. Behott. 1, 2, Venett. 3, 4, et recentt. *sub pectore fervet.* — Reg. B habet, *sub pectore vivit*; Reg. C nostram lect. Ed.

715. *L. m. e. s. spes anxia mortis.* Petrens. et Burmann. pro v. l. *spes aspera*; Lang. Burm. Behott. 1, 2, Ald. Basil. Plant. Lindenbrog. et

Et nunc ecce tuas irritat callidus iras,
Suppliciumque cupit : sed tu majoribus, oro,
Imperii potiare bonis, altusque jacentes
Prætereas, et magna ducum vereare priorum
Funera : et hic quondam solio sublimis, et armis
Septus, opem miseris, jura et poscentibus æquus,
Supplicibusque dabat : cui nunc ex agmine tanto
Una comes, necdum exsul erat : felicibus hicne
Obstat? in hunc odiis et regni viribus exis?
Hunc abigis tectis? an ne prope limina clarum

Crue. *spes irrita*; Buslid. Venett. 3, 4, et recentt. *spes anxia*. — Reg. B habet, *spes aspera mortis*; Reg. C nostram lect. Ed.

718. *Altusque jacentes.* Elatus imperii dignitate, miseros, humilesque despicias.

719. *P. c. m. d. vereare priorum.* Put. *venerare priorum.* — *Vereare priorum.* Ante oculos habeas fata priorum ducum.

720. *Sublimis, et armis Septus.* Ut inclitum et virtuosum Regem decebat. Aliter tamen Papinius, Theb. I, vs. 147, de regno Thebano OEdipi illo tempore. Non erant, inquit, tunc in ea civitate « impacatis Regum advigilantia somnis Pila, nec alterna ferri statione gementes Excubiæ, etc. » BARTH.

721. *Septus, opem miseris, jura et poscentibus æquus.* Petrens. Burmann. Taurin. Behot. 2, et tres codd. Lindenbrogii : *et jura potentibus æquis* : ita etiam emendavit Marklandus ad Silv. IV, 6, 69, sic quoque codex Lugdunensis Bibliothecæ, *et jura potentibus æqua* Burmann. pro v. l. *et jura petentibus æquus* Lang. Lipsiau. et edd. vett. *jura et poscentibus æquis* alter Behot. Gron. et Delph. — Regg. B et C, *et jura potentibus æquus* exhibent.

722. *Supplicibusque dabat : cui nunc ex agmine tanto.* Reg. B habet, *cui nunc examine tanto*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Cui nunc ex agmine tanto Una comes.* Quod plus misericordiam movere debet. — Mirantur vicissitudinem hanc, qui ea tantum prospiciunt quæ ante pedes sunt; at non illi quos altiori quadam aura cana Prudentia afflavit. Didicerunt quippe a sapientissimo Romanorum : « Horæ momentum interesse intra solium et aliena genua. » Et velut in Euripo sursum deorsumque omnes volvi. Nec tamen ideo dejiciontur quum serio imbiberint ejusdem Sophi monitum : « In secundis nemo confidat : alternæ sunt vices rerum. Quid exsultas? ista, quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint. Quid jaces? ad imum delatus es? nunc est resurgendi locus. » BERN.

723. *Una comes, necdum exsul erat.* Optimus Barthianus *nec dum exsul erit.*

724. *Et regni viribus exis.* Tacitus : « Vi principis non ulciscar. »

Ingemat, et votis intempestivus oberret?
Pone metum, procul usque tua submotus ab aula
Flebit: ego erectum subigam, et servire docebo.
Cœtibus abducam, solaque in sede recondam.
Exsul erit: nam quæ migranti externa patebunt
Mœnia? vis Argos eat, hostilesque Mycenas
Squalidus irreptet? victique ad limen Adrasti
Aonias narret clades? tenuemque precetur
Rex Thebanus opem? miseræ quid crimina gentis
Pandere, quid casus juvat ostentare pudendos?
Conde, precor, quodcunque sumus: nec longa precamur
Dona, Creon: miserere senis mœstique parentis.
Hic precor, hic manes indulge ponere: certe
Thebanos sepelire licet.» Sic orat, humique
Volvitur: abducit genitor, sævumque minatur
Indignans veniam: qualis leo rupe sub alta,
Quem viridem quondam silvæ montesque tremebant,
Jam piger, et longo jacet exarmatus ab ævo,
Magna tamen facies, et non adeunda senectus:
Et si demissas veniat mugitus ad aures,

728. *Flebit: ego erectum subigam. Flebit et erectum* unus Behot. — *Erectum.* Id est, ferocem, indomitum, superbum.

729. *Cœtibus abducam.* « Sic legunt omnes nostri libri: *Cœtibus abducam.* Nihil mutatione opus, licet τὸ *avellam* imperiosæ sententiæ videatur accommodatius. » BARTH. *Avellam* Lipsian. et codd. Lindenbrogii.

733. *Aonias narret clades? Aonias referat clades* in eodem Put. codice. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *Aonias narret cædes.* ED.

737. *Dona, Creon: miserere senis mœstique parentis.* Behott. 1, 2 Lang. Lipsian. et omnes codd. Barthii: *mœstosque parentis.* — Regg. B et C hanc lection. præbent. ED.

742. *Quem viridem quondam silvæ montesque tremebant. Quem juvenem* in quibusdam codd. *sylvæque amnesque tremebant.* Put. *sylvæ montesque timebant.* Petav.

743. *Jam piger, et longo. Impiger et longo* Put. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram lect. ED. — *Exarmatus ab ævo.* Dentibus et unguibus obtusis imbellis redditus. Vet. Schol. Ita Sil. lib. I, vs. 410: « Nec non serpentes diro exarmare veneno. » Et de iisdem Calpurn.

Erigitur, meminitque sui, viresque peractas
Ingemit, et campis alios regnare leones.
  Flectitur affatu, sed non tamen omnia rector
Supplicis indulget lacrimis, partemque recidit
Muneris. « Haud, inquit, patriis prohibebere longe
Finibus, occursu dum non pia templa domosque
Commacules, habeant te lustra, tuusque Cithæron:
Atque hæc ecce tuis tellus habitabilis umbris,
Qua bellum, geminæque jacent in sanguine gentes. »
  Sic ait, et ficto comitum vulgique gementis
Assensu, limen tumidus regale petebat.
  Interea pulsi vallum exitiale Pelasgi
Destituunt furto: nulli sua signa, suusque
Ductor: eunt taciti passim, et pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam reditusque pudendos.
Nox favet, et grata profugos amplectitur umbra.

Eclog. V, « ipse videbis Serpentum cecidisse minas, non stringere dentes Ulla potest uncos, etc. » BARTH.

746. *E. mq. s. viresque peroctas.* Omnes codd. Barthii, et Buslid. *viresque solutas.* — Regg. B et C hanc exhibent lect. ED.

748. *Flectitur affatu. Flectitur effatu* optimæ Barthii membranæ.

749. *Supplicis indulget.* Veniam Œdipo sub certa conditione promittit. LACTANT.

751. *F. o. d. n. pia templa domosque.* Solus Petrens. *pia templa Deosque.* — *Occursu dum non pia templa domosque Commocules.* Credebant enim præsentia et occursu nocentium ac miserorum se, templa, ac domos commaculari.

752. *Tuusque Cithæron.* In hoc enim monte expositus fuerat infans Œdipus.

753. *Tuis umbris.* Ob cæcitatem.

754. *Qua bellum.* Pugna enim commissa fuerat prope Cithæronem.

758. *Destituunt.* Occulte fugiunt. LACTANT.

759. *D. e. t. p. et pro funere pulchro.* « Nihil mutandum, quamvis in nonnullis codd. scriptum offendamus *pro munere.* » BARTH. Ita legitur etiam in Dan.

761. *Nox favet, et grata profugos amplectitur umbra.* Reg. B habet, *Nox fovet, et nata profugos amplectitur umbra;* Reg. C nostram lect. ED.

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM.

CARMINIBUS DESCRIPTUM*.

Postquam alterno ceciderunt vulnere fratres,
Moxque Creon deflens persolvit justa Menœceo
Busta negans victis: at Graias fama perurget
Quærere clam matres, per campos membra suorum:
Vix Argia sui corpus Polynicis amati
Repperit: Antigone Eteoclis funera quærens
Advenit; ignaræ communia funera plangunt;
Succensusque rogus flammis communibus ardet,
Theseaque Evadne constanti voce precatur,
Iret ut ad Thebas vindex aliosque triumphos.
Mox ille infrendens optatque vocatque Creonta,
Quem sternit telo, Graiorumque immolat umbris.

* Hoc Argumentum præbent Behott. 1, 2, Venett. Rom. Crue. et Barth. Non tamen comparet in codd. Barthianis; nec in editione Lindenbrogii illa, qua usus sum; ibi enim Argumentum lib. XI, huic perperam supponitur. — Desideratur in Reg. B, adest in Reg. C. Ed.

1. *Postquam alterno ceciderunt vulnere fratres.* Barthius legi jussit: *Posteaquam alterno*; Behottius, *Alterno postquam* quod et Barthio placet. — Reg. C habet, *Postquamque alterno.* Ed.

4. *Q. c. m. p. c. membra suorum.* Unus Behottius habet, *ora suorum.*

5. *Vix Argia sui*, etc. Uterque Behot. *Vix Argiva.*

6. *Reperit: Antigone Eteoclis funera quærens. Ethioclis* Behott. 1, 2, *Eteoclis* Barth. — Reg. C exhibet, *Repperit*, etc.

8. *Succensusque rogus.* Unus Behot. *Subcensusque.*

11. *M. i. i. optatque vocatque Creonta.* Behot. 1, Venett. 3, 4, Rom. et Crue. *optat vocatque*; Behot. 2, *optatque vocatque*, ut conjectabat Barthius. — Reg. C præbet, *optat vocitatque Creonta.*

PUBLII PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM.

Thebani, orto die, urbe effunduntur, et justa suis persolvunt; 1—56. Crematur Eteocles plebeio busto; 57—59. At Menœceus rogo ex armis exuviisque hostium exstructo imponitur, super quem Creon pater vivos captivos et frenatos equos tanquam inferias immolat; 60—93. Renovat edicta, quibus, sub mortis pœna, Argivos, quos inter numeratur Polynices, vetuerat comburi, et custodes servandis eorum corporibus apponit; 94—104. Interea matronæ Argivæ passis crinibus, atra veste, et laniato vultu, præeunte Argia, Thebas petunt, ut suorum exsequias celebrent; 105—140. Obviam habent Ornitum ex acie fugientem, qui inhumanitatem Creontis illis narrat: hunc in illas sæviturum; redeant potius, et mortuis tumulos inanes constituant; aut eant Athenas, Thesei auxilium, qui ex Amazonum bello victor revertebatur, imploraturæ; 141—166. Consilio habito, in diversa trahuntur; 167—173. Hæ Thebas pergere, illæ Athenas; turpe omnibus visum, Argos reverti; 174—176. Argia vero, cujus pietas vel minimam moram pati non poterat, comitibus suadet ad Theseum confugiant; et illa, assumto secum solo Menœte, qui custos olim et moderator juventæ ejus fuerat, præcipiti gradu viam persequitur; 177—227. Pervenit tandem summo cum labore ad pugnæ locum; 228—277. Et quum, ob noctis tenebras, corpus ma-

riti invenire non posset, Juno illius miserta, lunam rogat, ut jubar suum accendat, et custodes sopiat; 278—308. Hujus lucis ope chlamydem primum et deinde mariti corpus agnovit; 309—348. Eodem tempore Antigone clam urbe egressa, ad eumdem locum venit, ut fratri Polynici sepulturam daret; 349—361. Stupet videns incognitam Argiam, quæ corpus ejus inter brachia tenebat; 362—367. Non minus stupet Argia, ignara, quæ esset Antigone: mox se sibi invicem cognoscendas præbent; 368—404. Quum autem tempus in fletibus et lamentis, ac mortuo osculando terunt, eas festinare admonet Menœtes, die appropinquante, qui illas proderet; 405—408. Corpus igitur ad Ismenum fluvium præcipites ferunt, et illud lavant; ac postqnam novissima oscula ei dedissent, id busto imponunt, in quo tenuis lux adhuc vivebat, eum precantes, cujus illud sit, supremi cineris socium placide admittat; 409—428. Vix imposito corpore, flamma subito erumpit, seque in duas partes scindit, altera cum altera dimicante et confligente; 429—436. Ad hoc prodigium, agnoscunt rogum fuisse Eteoclis, et odia inter fratres nondum morte exstincta; 437—446. Dum hæc horrent, magno tremore terra concutitur, quo custodes exciti Argiam et Antigonen in hoc pietatis officio deprehensas ad Creontem rapiunt, lætas, consumto Polynicis corpore; 447—463. Interim matronæ Argivæ, Junone duce, Athenas inducuntur, Pallade ipsa his favorem et commiserationem civium conciliante; 464—467. Illæ, submisso vultu, ramos oleæ, et vacuas urnas in manibus tenentes, ad celebrem Misericordiæ aram, quæ in media urbe erat, confugiunt; 468—518. Illo die Theseus, debellatis Amazonibus, urbem triumphali curru ingrediebatur; 519—539. Quum transit prope Misericordiæ aram, flentes Argivæ accedunt, et Evadne, Capanei uxor, ipsi exponit quæ essent, cæsos maritos pro Polynice dimicantes, Creontem illis sepulturam denegare, se ejus opem implorare; 540—586. Ut locuta, cunctæ tendunt supplices manus; 587—588. Theseus primo commiseratione permotus, mox ira exardet, et statim ad Creontem Phegeum mittit, qui bellum ei denuntiet, nisi

sinat Argivos sepeliri; 589—598. Et ipse, breviter causæ justitia milites adhortatus, cum exercitu proficiscitur; 599—676. Argia autem et Antigone ad supplicium ducebantur, quum ecce Phegeus advenit, qui mandata Thesei audacter exsequitur; 677—686. Sed quum illi Creon audacius responderet, Theseum celeri gradu appropinquantem cernit; 687—694. Thebanos armat; sed illis non idem animus, qui prius; 695—708. Omnia cedunt Theseo; 709—740. Hic, quibusdam occisis, solum Creontem optat, et vocat; 741—753. Illum tandem invenit, solusque eum aggreditur, suis ejus jussu digressis; 754—757. Creontis comites etiam secedunt, quos frustra retinere vult; 758—759. Tunc Creon sese colligit, et audax morte proxima, Thescum superbe alloquitur, et in illum hastam emittit, vano ictu; 760—768. Theseus manum et superbiam Creontis irridens, hunc telo conficit, et armis spoliat; 769—781. Hujus cæde pax facta, et Theseus in urbem ut hospes et amicus excipitur; 782—788. Argivæ adveniunt; incertæ an Theseum primo adirent, ei grates acturæ, an Creontis corpori insultarent, an maritos sepulturæ mandarent; 789—796. Vicit pietas; hic Poeta operi finem imponit, dicens, etiamsi centum ora haberet, referre non posse, quæ illustres matronæ in his exsequiis fecerunt: et alloquens suam Thebaida, famam apud posteros ei pollicetur: jam Cæsarem hanc dignari legere, jam juventutem Romanam addiscere; sed caveat divinam Æneida æmulari; longe illam sequatur, et ejus vestigia adoret; 797—819.

Nondum cuncta polo vigil inclinaverat astra
Ortus, et instantem cornu tenuiore videbat

1. *Nondum cuncta polo vigil inclinaverat astra.* Reg. B habet, *Nondum cuncta polos vigil inclinaverat astra;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Inclinaverat.* Occidere fecerat, id est, nondum omnia astra adventus exstinxerat Solis. Lactant.—*Vigil.* Quia omnia animalia expergefacit.

2. *Cornu tenuiore.* Id est, hebetiore propter solis adventum.

Luna diem: trepidas subito Tithonia nubes
Discutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
Agmina jam raris Dircæa penatibus errant,
Noctis questa moras; quamvis tunc otia tandem,
Et primus post bella sopor: tamen ægra quietem
Pax fugat, et sævi meminit victoria belli.
Vix primo proferre gradum, et munimina valli
Solvere, vix totas reserare audacia portas.
Stant veteres ante ora metus, campique vacantis
Horror: ut assiduo jactatis æquore tellus
Prima labat, sic attoniti nil cominus ire
Mirantur, fusasque putant assurgere turmas.
Sic ubi prospicuæ scandentem limina turris
Idaliæ volucres fulvum adspexere draconem,
Intus agunt natos, et fœta cubilia vallant

3. *Luna diem : trepidas subito Tithonia nubes.* Alia leetio *trepidas ubi jam.* — In Reg. B invenitur, *trepidas ubi jam Tritonia nubes;* in Reg. C nostra lect. Ed. — *Tithonia.* Aurora, a marito Tithono.

5. *Dircæa.* Thebana. Ut Dirce pro universis Thebanis rebus, infra vs. 610. Barth. — *Raris penatibus errant.* Quia pauci erant habitatores. MSS. *Scholia.* Qui tamen sensus Poetæ non est: intelligit enim, ut sequentia verba notant, « Noctis questa moras » degere Thebanos extra domos, ut sole oriente quantocyus justa suis persolverent.

6. *Noctis questa moras.* Reg. B præbet, *Noctisque ista moras;* Reg. C nostram lect. Ed.

7. *Ægra.* Nondum discussa omni belli formidine.

8. *Pax fugat, et sævi meminit victoria belli.* Reg. B, *Pax fugat, et belli meminit victoria sævi* præbet; Reg. C nostram lect. Ed.

9. *Munimina valli.* Quamvis fugati essent Argivi, tamen exire de civitate Thebani metuebant. Lact.

11. *S. v. a. o. m. campique vacantis.* Unus Barthianus in margine habet: « Vel *vocantis* scilicet ad pugnam. »

12. *Ut assiduo jactatis æquore tellus Prima labat.* Virgil. Æn. X, 283: « Dum trepidi, egressique labant vestigia prima. »

16. *Idaliæ volucres.* Columbæ sacræ Veneri, *Idaliæ* dictæ ab Idalio nemore. Virgilius de Ænea loquens, Æn. VI, 193: « Maternas agnoscit aves. » Ovidius quoque ad Amorem sic ait, Amor. I, 2, 23: « Necte comam myrto, maternas junge columbas. »

17. *Intus agunt natos.* Reg. B exhibet, *Introagunt natos;* Reg. C nostram lect. Ed.

Unguibus, imbellesque citant ad prælia pennas:
Mox ruerit licet ille retro, tamen aera nudum
Candida turba timet, tandemque ingressa volatus
Horret, et a mediis etiamnum respicit astris.
Itur in exsanguem populum, bellique jacentis
Relliquias, qua quemque dolor luctusque cruenti
Exegere duces: hi tela, hi corpora, at illi
Cæsorum tantum ora vident, alienaque juxta
Pectora: pars currus deflent, viduisque loquuntur,
Hoc solum quia restat, equis: pars oscula figunt
Vulneribus magnis, et de virtute queruntur.
Frigida digeritur strages: patuere recisæ
Cum capulis, hastisque manus, mediisque sagittæ
Luminibus stantes: multis vestigia cædis
Nulla; ruunt planctu pendente et ubique parato.
At circum informes truncos miserabile surgit
Certamen, qui justa ferant, qui funera ducant.
Sæpe etiam hostiles, lusit Fortuna parumper,

22. *Itur in exsanguem populum, bellique jacentis.* Vide pag. 137, tom. I Stat. nost. Ed.

24. *Exegere duces: hi tela, hi corpora, at illi.* Reg. B, *Exegere duces: hic tela, hic corpora, at illi* exhibet, Reg. C nostram lect. Ed.— *Duces.* Hic adjective sumi debent, et referri ad *luctus dolorque* præcedentes: et construenda sic oratio: Qua dolor luctusque cruenti exegere quemquam. Luctus et Dolor monstrant viam. — *Hi tela, hi corpora.* Dum hi mirantur tela, hi magnitudinem corporum, at illi implentur dolore, quum vident ora suorum cruentata, mortis horrore fœda, et corpora hostium permixta corporibus suorum.

29. *Frigida digeritur strages.* Cadavera ordinantur, ut suorum quisque agnoscat. Ed.

30 *Cum capulis.* Capuli sunt gladiorum, quibus adhuc implicabantur manus recisæ. Quædam editiones habent *scapulis.* Male.

31. *Vestigia cædis Nulla.* Nondum invenerant amicorum aut propinquorum cadavera.

32. *Et ubique parato.* Unus Behot. *et ubique peracto.* — *Et ubique parato.* Ad omnia cadavera.

33. *Informes truncos.* Abscissis scilicet capitibus.

35. *Sæpe etiam hostiles, lusit Fortuna parumper.* In Reg. B occurrit, *Sæpe etiam hostilis lusit Fortuna parumper;* in Reg. C nostra lect. Ed.— *Lusit Fortuna parumper.* Decepti opinione sua homines, *ludi*

Decepti flevere viros: nec certa facultas
Noscere, quem miseri vitent, calcentve cruorem.
At quibus est illæsa domus, vacuique dolores,
Aut deserta vagi Danaum tentoria lustrant,
Immittuntque faces, aut (quæ post bella voluptas)
Quærunt dispersi, jaceat quo pulvere Tydeus,
An rapti pateat specus auguris, aut ubi Divum
Hostis, an ætheriæ vivant per membra favillæ.
Jam lacrimis exemta dies, nec serus abegit
Vesper: amant miseri lamenta, malisque fruuntur.
Nec subiere domos, sed circum funera pernox
Turba sedet, vicibusque datis alterna gementes
Igne feras planctuque fugant: nec dulcibus astris
Victa, nec assiduo coierunt lumina fletu.
Tertius Auroram pulsabat Lucifer, et jam

dicebantur a Fortuna, cuique pleræque omnes nationes numen in res humanas castigandas et illudendas potestatem dabant. Qua de re eleganter Plin. Hist. Nat. II, cap. 7; et Ovid. ex Ponto lib. IV, 3, 31: « Hæc Dea non stabili, quam sit levis, orbe fatetur, Quem summum dubio sub pede semper habet. »

37. *Calcentve cruorem.* In eod. Behol. cod. *calcentque cruorem.*

38. *Vacuique dolores.* Non possunt dici vacui *dolores*, nisi pro supervacuis, inanibus, vanis. Is autem non est sensus hujus loci. Scribe, *vacuique doloris:* id est, qui carent dolore, qui mala belli mortibus suorum non sentiunt. Theb. V, v. 523: « et vacuis fluviorum in vallibus errat. » Gron.

41. *Quærunt dispersi, jaceat quo pulvere Tydeus. Quærunt diversi* Lipsian. *Quærunt dispersus* Put. et pro v. l. *diversi.* — Reg. B habet, *Quærunt, dispersus jaceat quo pulvere Tydeus;* Reg. C nostram lect.

43. *Hostis.* Capaneus.

45. *Amant miseri lamenta, malisque fruuntur.* Sic infra, « fonns amat. » Euripides Œnomao: Ἔστι γάρ δὴ κἀν κακοῖσιν ἡδονὴ θνητοῖς ὀδυρμοὶ δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί. « Est enim quædam in malis voluptas mortalibus quum lamentantur, et fundunt lacrimas. » S. Aug. Cf. l. IV, « Solus fletus dulcis erat mihi, et successerat amico in deliciis animi mei. »

48. *Nec dulcibus astris.* Nocte.

49. *Nec assiduo coierunt lumina fletu.* Quamvis, ut ait Noster Theb. VIII, v. 217: « Facilis lacrimis irrepere somnus. » Ob nimium scilicet dolorem. Vide not. hujus tom. pag. 118. Ed.

50. *Tertius Auroram pulsabat Lucifer, et jam.* Reg. B præbet, *Tertius Auroræ pugnabat Lucifer, et jam;* Reg. C nostram lect. Ed.

Montibus orbatis lucorum gloria, magnæ
Theumesi venere trabes, et antica Cithæron
Silva rogis: ardent excisæ viscera gentis
Molibus exstructis: supremo munere gaudent
Ogygii manes: queritur miserabile Graium
Nuda cohors, vetitumque gemens circumvolat ignem.
Accipit et sævi manes Eteoclis iniquos
Haudquaquam regalis honos; Argivus haberi
Frater jussus adhuc, atque exsule pellitur umbra.
At non plebeio fumare Menœcea busto
Rex genitor Thebæque sinunt: nec robora vilem
Struxerunt de more rogum: sed bellicus agger
Curribus, et clipeis, Graiorumque omnibus armis
Sternitur: hostiles super ipse, ut victor, acervos,
Pacifera lauro crinem vittisque decorus,
Accubat: haud aliter, quam quum poscentibus astris
Lætus in accensa jacuit Tirynthius OEta.
Spirantes super inferias captiva Pelasgum

52. *Theumesi*. Al. Theumesiæ, Theumeso.

53. *S. r. a. excisæ viscera gentis.* Barthius conj. *accisæ viscera gentis.*

54. *M. e. supremo munere gaudent*. Exc. Fabri et Petav. *supremo funere.—Supremo munere*. Honore sepulturæ.

55. *Ogygii*. Thebani. — *Miserabile*. Pro miserabiliter. LACTANT.

56. *Vetitumque gemens ignem.* Quia Creon edictis vetuerat, ne Argivi mortui sepelirentur.

57. *Accipit*. Subaudis, *ignis*.

58. *Haudquaquam regalis honos, Argivus haberi*. Reg. B, *Argivus habere;* præbet, Reg. C nostram lect. Eu. — *Argivus*. Quia comprehensus eodem edicto, quo Argivi.

64. *Acervos*. Exuviarum hostilium moles. Exuviis enim hostium extruebatur regibus mortuis pyra: quem ritum sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem *strabas*, dicunt lingua sua. GRONOV.

65. *Pacifera lauro*. Quia se tanquam victimam devoverat, ut pacem Thebanis procuraret, ideoque *pacifica lauro* redimitum dixit.

67. *Lætus in accensa jacuit Tirynthius OEta*. Vide lib. sup. v. 235.

68 *Spirantes super inferias captiva Pelasgum*, etc. Alludit ad consuetudinem Veterum, arbitrantium mortuorum umbras humano sanguine propitiari, et ideo captivos ad rogum victorum jugulare solebant. Homerus Iliad. Ψ. Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς Χαλκῷ δηϊόων. « Duodecim fortes filios ma-

Corpora frenatosque pater, solatia, fortes
Bellorum, mactabat equos: his arduus ignis
Palpitat, et gemitus tandem erupere paterni:
« O, nisi magnanimus tantæ te laudis inisset
Ardor, Echionios mecum venerande penates,
Atque ultra, recture puer: venientia qui nunc
Gaudia et ingratum regni mihi munus acerbas:
Tu, Superum convexa licet cœtusque perenni,
Credo equidem, virtute colas, mihi flebile semper
Numen eris: ponant aras, excelsaque Thebæ
Templa dicent: uni fas sit lugere parenti.
Et nunc heu quæ digna tibi sollemnia, quasve
Largiar exsequias? nec si fatale potestas
Argos et impulsas cineri miscere Mycenas,
Meque super, cui vita (nefas!) et sanguine nati
Partus honos. Eademne dies, eadem impia bella

gnanimorum Trojanorum ferro occiderunt. » Virgilius Æneid. XI, v. 82: « Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam. » Equos etiam solebant mactare: hujus enim animalis plurimus in bello usus. Idem Virg. ibid. v. 80: « addit equos et tela quibus spoliaverat hostem. » Ed.

69. *Solatia, fortes Bellorum.* An *sortis bellorum?*

72. *O nisi magnanimus tantæ te laudis inisset. O nisi magnanimæ nimius te* Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *O nisi magnanimus tantæ te* Lang. Buslid. Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. et recentt.

73. *Echionios.* Thebanos.

74. *Ultra.* Post mortem meam.

76. *Tu, Superum convexa licet cœtusque perenni.* Petrens. Burm. pro v. l. et Rom. *perennes.* — Reg. B præbet, *T. s. c. l. coitusque perenni.* Ed.

77. *C. e. v. c. mihi flebile semper.* Gronovius in Elench. Antidiatr. p. 92, scribit: *mihi flebile nomen* [lege *numen*] *Semper eris.* Vide Markl. ad Silv. I, 1, 21.

78. *Ponant aras.* Menœceus enim Thebanis Deus habitus; ipsique erecta templa.

82. *Argos, et impulsas cineri miscere Mycenas.* Reg. B exhibet, *Argos, et ipsas cineri miscere Mycenas;* Reg. C nostram lect. Ed.

83. *Meque super, cui vita (nefas!) et sanguine nati.* Petrens. *cui sanguine nati;* et sic legit Marklandus ad Silv. II, 6, 3, probante Burmanno. — Vide pag. 257, tom. I Stat. nost. edit. Ed.

84. *Eadem dies.* Unius igitur diei res duobus libris decimo et unde-

Te, puer, et diros misere in Tartara fratres?
Et nunc OEdipodi par est fortuna doloris,
Ac mihi: quam similes gemimus, bone Juppiter, umbras!
Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi,
Accipe, et hoc regimen dextræ, frontisque superbæ
Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti.
Regem te, regem, tristes Eteocleos umbræ
Adspiciant. » Simul hæc dicens, crinemque manumque
Destruit, accensaque iterat violentius ira:
« Sævum agedum, immitemque vocent, nunc funera Lernæ
Tecum ardere veto: longos utinam addere sensus
Corporibus, cæloque animas Ereboque nocentes
Pellere fas, ipsumque feras, ipsum unca volucrum
Ora sequi, atque artus regum monstrare nefandos.

cimo complexus est Papin. Et hoc quidem Antimachicum est. Barth. — *Misere.* Hoc deplorandum est, inquit, te tantæ virtutis hominem eo die fatis cessisse, quo exstinxere se mutua cæde pessimi isti fratres.

86. *Et nunc OEdipodi par est fortuna doloris. Et nunc OEdipodæ* Lang. Buslid. Dan. Colin. Basil. Plant. Lindenbrog. et Gevart. plerique. *Et nunc OEdipodi* Behott. 1, 2, Petrens. optimæ Barthii membranæ, Gronov. Barth. et Delph.

87. *Quam similes.* Id est, dissimiles: et invidiose pronuntiandum.

89. *A. e. h. r. d. frontisque superbæ.* Reg. B habet, *frontisque superba Vincula;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Accipe.* Vide lib. VII, v. 92, in funere Archemori. — *Regimen dextræ.* Sceptrum sive regalis virga. — *Frontisque superbæ vincula,* diadema. Ostendit Poeta Creontem regni insignia in ardentis filii pyram jecisse. Lactant.

90. *Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti.* « Suspecta est hæc vox *nimium;* sed consensu omnium librorum servata. » Barth. Jortinus conj. *nimio.*—Reg. B præbet, *V. q. p. minimum lætanda dedisti;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Quæ patri nimium gestanda dedisti.* Cod. Put. *minimum lætanda.*

91. *Regem te, regem.* Hoc fine injicio regni insignia rogo tuo, ut umbram tuam coronatam, et sceptrum gestantem umbra Eteoclis apud inferos videat.

92. *Crinemque, manumque Destruit.* Nam instructus erat sceptro et corona. *Instruere* et *destruere* opposita.

94. *Funera Lernæ.* Cadavera Argivorum. Quia jam tu combureris, ne, quia causa tui interitus fuerunt, etiam mortui, componantur, veto eos sepeliri. De Lerna supra dictum est, quantum satis fuerit.

98. *Ora sequi, atque artus regum*

Hei mihi, quod positos humus alma diesque resolvit.
Quare iterum repetens, iterumque edico, suprema
Ne quis ope, aut flammis ausit juvisse Pelasgos:
Aut nece facta luet, numeroque explebit ademta
Corpora: per Superos, magnumque Menœcea juro. »
Dixit, et abreptum comites in tecta ferebant.
  Flebilis interea vacuis comitatus ab Argis,
Fama trahit miseras; orbæ viduæque ruebant
Inachides, ceu capta manus: sua vulnera cuique,
Par habitus cunctis, dejecti in pectora crines,
Accinctique sinus: manant lacera ora cruentis
Unguibus, et molles planctu crevere lacerti.
  Prima per attonitas nigræ regina catervæ

monstrare nefandos. Reg. B habet, *Ora sequi, atque artus ferrum monstrare nefandos;* Reg. C. nostram lect. Ed.

99. *Hei mihi, quod positos humus alma diesque resolvit. Dii male quod positos* legit Barthius ex optimis membranis ad Theb. II, 170. —In Reg. B invenitor, *diesque resolvet;* in Reg. C nostra lect. Ed.

100. *Quare iterum repetens, iterum que edico, suprema.* Dan. *iterum quoque dico;* Behot. 1, *iterumque* et *dico;* Behot. 2, *iterum dicoque.*

101. *Ne quis ope, aut flammis ausit juvisse Pelasgos.* Reg. B habet, *Ne quis ope* et *flammis*, etc. Reg. C nostram lect. Ed.

102. *Aut nece facta luet.* « In duobus manuscriptis libris est: *Nam nece facta luet.* Tantumdem est. » Barth. — *Numeroque explebit ademta Corpora.* Totidem enim corpora redhibere debebit, quot ablata forent.

104. *Dixit*, et *abreptum comites in tecta ferebant.* Nonnulli codd. Barth. *raptumque;* unus ejusdem *arreptumque.* — *Abreptum.* Iracundia enim nimia ei deliquiom animi faciebat. Vet. Schol.— *Comites* summos amicorum notant, lib. X, vs. 157: « Novum comitem bonus instigabat Apollo. » Et vs. 348: « Calydonios Hopleus Mænaliusque Dymas, dilecti regibus ambo, Regum ambo comites. » Barth.

107. *Inachides.* Argivæ. — *Vulnera.* Dolores, luctos.

109. *Accinctique sinus.* « Hic locus suspectus, nisi *accincti sinus* opponantur « vestibus fluentibus et luxoriosis: « vel cum Barthio explicandum *accinctus*, ut ad currendom paratiores essent. Thebaid. IV, 313, in lugente dicit: « correpta sinus. » Burman. — *Manant lacera ora cruentis Unguibus.* In locto enim ora sibi lacerabant, ac pectus tundebant.

111. *Nigræ.* Nigra vestis in locto usurpata non modo Romanis, sed et aliis nationibus. Hinc « nigræ sol-

Tristibus illabens famulis, iterumque resurgens,
Quærit inops Argia vias: non regia cordi,
Non pater: una fides, unum Polynicis amati
Nomen in ore sedet. Dircen, infaustaque Cadmi
Mœnia, posthabitis velit incoluisse Mycenis.
　Proxima Lernæo Calydonidas agmine mixtas
Tydeos exsequias trahit haud cessura sorori
Deiphile; scelus illa quidem, morsusque profanos
Audierat miseranda viri: sed cuncta jacenti
Infelix ignoscit amor: post aspera visu,
Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce
Hippomedonta ciens: vatis mox impia conjux
Heu vacuos positura rogos: postrema gementum
Agmina Mænaliæ ducit comes orba Dianæ,
Et gravis Evadne: dolet hæc, queriturque labores
Audacis pueri: magni memor illa mariti
It torvum lacrimans, summisque irascitur astris.
Illas et lucis Hecate speculata Lycæis
Prosequitur gemitu, duplexque ad litus euntes

lemnia pompæ» dixit Statius in Epicedio Glauciæ.

115. *Dircen, infaustaque Cadmi Mœnia.* Thebas.

119. *Deiphile. Deipyle* legit Daum. ex codd. — Reg. B habet hanc lection. Reg. C nostram. Ed. — *Deiphile.* Quidam alii codices etiam habent *Deipyle.*

122. *Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce Hyppomedonta ciens.* In Reg. B hæc omittuntur verba: *digno plangore Nealce Hyppomedonta ciens;* in Reg. C invenitur nostra lect. Ed. — *Nealce.* Hippomedontis uxor.

124. *Vacuos positura rogos.* Corpus enim mariti nullibi inveniri poterat, quia hiatu terræ perierat.

125. *Mænaliæ comes Dianæ.* Atalanta Parthenopæi mater. — *Mænaliæ.* Arcadiæ.

126. *Evadne.* Uxor Capanei. — *Hæc.* Atalanta.

127. *Pueri.* Parthenopæi.

128. *Summisque irascitur astris.* Quia fulmine percussus maritus.

129. *Illas et lucis Hecate speculata Lycæis.* — Reg. B habet, *Illa sed lucis*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Hecate.* Diana, quæ confunditur cum Hecate ac Luna. — *Lycæis.* Arcadiis.

130. *Duplexque ad littus.* Isthmus enim Corinthiacus hinc Ionio, illinc Ægæo Mari alluitur.

Planxit ab Isthmiaco genitrix Thebana sepulcro:
Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin
Flevit, et arcanos errantibus extulit ignes.
Ipsa per aversos ducit Saturnia colles,
Occultatque vias, ne plebs congressa suorum
Ire vetet, pereatque ingentis gloria cœpti.
Nec non functa ducum refovendi corpora curam

131. *P. a. I. genitrix Thebana sepulchro.* Put. *genitrix abena.* — *Isthmiaco sepulcro.* Id est, Palæmonis sepulti in Isthmo a Sisypho rege. — *Genitrix Thebana.* Leucothoe, seu Ino, Cadmi filia. Hæc clara ex præcedentibus.

132. *Sibi luget, Eleusin.* Reg. B præbet, *quamvis sublucet Eleusis;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Noctivagumque.* Mulierum Argivarum gregem significat. *Noctivagum* iden, quia quærentes maritorum cadavera nocte vagantur incertæ. — *Sibi luget Eleusin.* Quidam codices habent, *Eleusis.* Utrumque dici grammatici monent. Servius Georg. I. « Talis est et in Græcis ratio. Nam Attis et Attin dicunt, delphin et delphis, Eleusin et Eleusis. Sed verius in N desinunt, quod in obliquis habent Altinos, delphinos, Eleusinos. » Similia habes apud Priscianum lib. VI, « Et sciendum quod omnia in IN desinentia etiam in IS producta finiuntur. Attin proprium nomen et Attis, delphin et delphis, Eleusin et Eleusis, Trachin et Trachis. Et notandum quod auctores Græcorum in IS magis terminatione usi sint: nostri vero frequentius in IN. Etsi Cicero pro Scauro Aris et Arin dixerit. » Neque aliter Ammianus Marcellinus lib. XVII. Pomponius Mela, Seneca, Plinius, alii. Eleusin autem locus Atticæ, in quo sacra celebrabantur in honorem Cereris. Agebantur autem cum maximo luctu et ululatibus ob raptum Proserpinæ. Unde *luget.* Nihil notius.

133. *Flevit, et arcanos errantibus extulit ignes. Flebit et arcani* codd. Lindenbrogii. — Reg. B habet *Flebit et*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Arcanos.* Evulgare enim nefas erat ea quæ in his sacris agerentur. Vide Tertullianum adversus Valentinianos cap. I. Originem horum sacrorum vide apud Clementem Alexand. λογῳ προτρεπτικῳ, ut de Arnobio, Eusebio, aliisque taceam.

134. *Ipsa per aversos.* Edd. vett. *Adversos.* — Hanc lect. habent Reg. B et Reg. C — *Ipsa per aversos.* Ipsa Juno et avia monstrabat itinera, et refovebat corpora mortuorum: mandat simul curam Iridi, quæ ambrosiis succis perfundens ea solvi vetabat. Lactant.

135. *Occultatque vias. Occultasque vias* Behott. 1, 2, Aldd. Colin. Basil. et Plant. *Occultatque vias* Dan. Put. Petav. Buslid. Lipsian. Venett. 3, 4, et recentt. — *Ne plebs.* Ne conjuncta fugientium multitudo a cœpto deterreatur. Lact.

137. *Nec non functa ducum refovendi corpora curam.* Behott. 1, 2,

Iris habet: patresque arcanis roribus artus
Ambrosiæque rigat succis, ut longius obstent
Exspectentque rogos, flammas neve ante fatiscant.
  Squalidus ecce genas, et hianti vulnere pallens,
Ornitus (hic socio desertus ab agmine; tardat
Plaga recens) timidus secreta per avià furto
Debile carpit iter, fractæque innititur hastæ.
Isque ubi mota novo stupuit loca sola tumultu,
Femineumque gregem, quæ jam super agmina Lernæ
Sola videt, non ille viam causasque requirit,
Quippe patent; mœsto sed sic prior occupat ore:
« Quo miseræ, quo fertis iter? funusne peremtis
Speratis, cineremque viris? stat pervigil illic

ducum fovendi. — *Functa.* Mortua. Lactant.

138. *Iris.* Vid. lib. X, v. 130. — *Roribus.* Liquoribus suis. Lactant.

140. *Exspectentque rogos, flammas neve ante fatiscant.* « Melior sonus in optimo libro : *nec flammas ante fatiscant.* Barth. *flammas non ante* Behott. 1, 2, et eodd. Lindenbrogii ; et *flammas ante* Put. — In Reg. B invenitur, *Exspectentque rogum, et flammas non ante fatiscant.* In Reg. C, *Exspectentque rogos, flammas non ante fatiscant.* Ed. — *Fatiscant.* Ut occisorum corpora putredine non ante solvantur, quam rogos accipiant; et est ordo : ante flammas non fatiscant. Lact.

141. *Squalidus ecce genas, et hianti vulnere pallens.* Dan. et Behott. 1, 2, *inani vulnere.* — Hanc lect. præbent Regg. B et C. Ed.

143. *Plaga recens, timidus secreta per avia furto.* Reg. B habet, *p. r. timido secreta per agmina furto;* Reg. C nostram lect. Ed.

144. *Debile carpit iter, fractæque innititur hastæ.* Reg. B præbet, *D. e. i. factæque innititur hastæ;* Reg. C nostram lect. Ed.

145. *Mota.* Propter virgulta et arbores. Vet. Schol. Hor. I, od. 23 : « Seu virides rubum Dimovere lacertæ, Et corde et genibus tremit. » *Novum tumultum dicit* qualem ante non audiverat, nec in ea solitudine exspectabat. Barth.

146. *Fq. g. quæ jam super agmina Lernæ.* Exc. Fabri, Lang. Buslid. et Venett. 3, 4, *quem jam.*

147. *S. v. n. i. v. causasque requirit.* Reg. B habet, *causasve requirit;* Reg. C nostram lect. Ed.

148. *Quippe patent, mœsto; etc.* « Duo hæc verba tantum (*Quippe patent*) parenthesi includenda, cæteris relictis liberis. Hallucinatæ in hac re sunt edd. Bern. Lindenbrog. Gevart. Grasser. et Gryph. » Barth.

149. *Funusne peremtis speratis.* Speratisne vos mortuis sepulturæ solatia posse præstare? Lactant.

Umbrarum custos, inhumataque corpora regi
Annumerat: nusquam lacrimæ, procul usque fugati
Accessus hominum: solis avibusque ferisque
Ire licet: vestrisne Creon dabit æquus honorem
Luctibus? immites citius Busiridos aras,
Odrysiique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare Deos: rapiet fortasse precantes,
(Si mens nota mihi,) nec conjugialia supra
Funera, sed caris longe mactabit ab umbris.
Quin fugitis, dum tuta via est, Lernamque reversæ
Nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulcris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis?

151. *Umbrarum custos.* Custodes enim apposuerat Creon, ne quis corpora Argivorum furaretur, ac sepulturæ mandaret.

155. *Luctibus? immites citius Busiridos aras. Busiridis* unus Behot. — Reg. B exhibet, *Luctibus? immitis citius Busiridos aras;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Busiridos aras.* Busiris rex Ægypti solitus erat advenas mactare ad aras suas, sed ipse tandem ab Hercule ad easdem immolatus est.

156. *Odrysiique famem. Odrisiique* edd. vett. *Otrisiique* unus Behot. *famem stabuli.* Diomedes rex Thraciæ equos humanis carnibus alebat; sed ipse ab Hercule iisdem epulandus appositus est. — *Siculosque*, etc. Cruceus per *Siculos Deos* intelligit Cyclopas, qui et Dii Hesiodo in Theogonia, et qui humanis carnibus vescebantur. Notum autem omnibus Cyclopes sedem habuisse in Sicilia.

158. *S. m. n. m. nec conjugalia supra.* Barthius legit *conjugialia;* edd. vett. et codd. omnes habent *conjugalia.* — *Nec conjugalia supra Funera.* Utrum solves secundam syllabam τοῦ *conjugalia*, an males *connubialia?* An denique *conjugialia?* ut apud Ovidium Met. lib. V, v. 3, « nec conjugialia festa Qui canat, est clamor. » Et lib. VI, v. 536, « Nec mea virginitas, nec conjugialia jura. » Sed mirum est utrobique in tribus membranis haberi *conjugalia.* Gronov.

162. *Absentesque animas ad inania busta vocatis?* — *Absentes animas* unus Behot. omisso τῷ *que.* — *Absentesque animas ad inania busta vocatis.* Adumbratus ex Virgilio locus Æn. III, v. 302 et sqq. « Ante urbem in luco, falsi Simoentis ad undam, Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem, Et geminas, causam lacrimis, sacraverat aras. » Respicit uterque poeta ad κενοτάφιον, cujus præclarum apud Xenophontem exemplum lib. VI, Expeditionis Cyri, ubi militibus, quorum reliquiæ reperiri non poterant, inane sepul-

Aut vos Cecropiam (prope namque et Thesea fama est
Thermodontiaco lætum remeare triumpho)
Imploratis opem? bello cogendus et armis
In mores hominemque Creon. » Sic fatus, at illis
Horruerant lacrimæ, stupuitque immanis eundi
Impetus, atque uno vultus pallore notati.
Non secus afflavit molles si quando juvencas
Tygridis Hyrcanæ jejunum murmur, et ipse
Auditu turbatur ager; timor omnibus ingens,
Quæ placeat, quos illa fames descendat in armos.
Continuo discors vario sententia motu
Scinditur: his Thebas, tumidumque ambire Creonta,
His placet Actææ si quid clementia gentis

chrum statuitur. Vide Tacitum Annalium I, et II; Suetonium Claudio cap. 1; Marcellinum in Vita Thucydidis; Lampridium Severo; Vopiscum Floriano. Denique Jurisconsultos nostros, Macianum lib. VI, de Rer. Divisione: et Ulpianum lib. V, de Relig. et Sumpt. Funer. ubi disces cenotaphium non fuisse apud Veteres religiosum. Bernart.

163. *Cecropiam*. Id est, Atheniensium. Athenienses enim *Cecropii* dicti a Cecrope primo eorum rege. — *Thesea*. Regem Athenarum Ægei filium. Vid. Plutarch. Theseo.

164. *T. l. remeare triumpho*. In eodem Behot. codice, *remeare sepulcro;* sed correctum inter lineas, *triumpho*. — *Thermodontiaco triumpho*. Id est, Amazonio. Theseus enim subegerat Amazonas, quæ accolebant Thermodonta fluvium Themiscyræ, quæ regio Asiæ Minoris, Cappadociæ contermina. Hinc *Thermodontiacus triumphus*.

166. *In mores hominemque*. In humanam consuetudinem, id est, ut mortuos sepulturæ concedat, bello cogendus est Creon. Lactant.

167. *Horruerant lacrimæ*. *Horruerunt* in quibusdam scriptis. — *Horruerant*. Horrore repressæ sunt.

168. *Impetus, atque uno vultus pallore notati*. Alii codd. *atque imo*. Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *pallore gelati*. — Reg. B habet, *pallore gelati;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Notati (gelati)*. Ut lib. IV, v. 404, « Sic fata gelatis vultibus. » Inibi, v. 497: « Gelat ora pavor, gressusque tremiscunt. » Lib. X, v. 616: « Stupet anxius alto Corda metu glaciante pater. » Juv. Sat. VI, v. 95: « pavidoque gelantur Pectore. » Alii codd. *notari* habent.

170. *Jejunum murmur*. Quo scilicet significat se fame premi.

171. *Auditu turbatur ager*. *Auditu turbatus ager* uterque Behot.

172. *Quæ placeat*, etc. *Quæ repleat* Exc. Fabri.

175. *Actææ*. Atheniensis. Attica enim antiquitus vocabatur *Acte*. — *Clementia*. Misericordia enim pro-

Annuat: extremum curarum, ac turpe reverti.
At non femineæ subitum virtutis honorem
Colligit Argia, sexuque immane relicto
Tractat opus: placet egregii spes dura pericli
Cominus infandi leges accedere regni:
Quo Rhodopes non ulla nurus, nec alumna nivosi
Phasidis, innuptis vallata cohortibus, iret.
Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido
Segreget, immitesque Deos, regemque cruentum
Contemtrix animæ, et magno temeraria luctu
Provocet: hortantur pietas, ignesque pudici.
Ipse etiam ante oculos omni manifestus in actu
Nunc hospes miseræ, primas nunc sponsus ad aras,
Nunc mitis conjux, nunc jam sub casside torva

pria Athenarum virtus, de quibus hæc Callimachus in Ætiis: οἰκτείρειν οἶδε μόνη πόλεων. *Sola hæc urbs novit misereri.* Illic fuit ara Misericordiæ, de qua infra Statius; et ejusdem aræ mentionem fecerunt Cicero et Libanius Sophista, Pausanias, Servius, et Theophilus in Institutis.

179. *T. o. p. e. spes dura pericli. Spes dira.* Laog. Laur. Lipsian. et edd. vett. *Spes dura* Dan. Put. Petav. Behott. 1, 2, Lindenbrog. et recentt.

180. *C. i. l. accedere regni.* Behot. 2, pro v. l. *accedere regi.*

181. *Quo Rhodopes non ulla nurus.* Dan. *non ulla manus.* — *Rhodopes.* Rhodope Thraciæ mons. — *Alumna nivosi Phasidis.* Id est, Amazon. Phasis autem fluvius Colchidis. Vide Theb. V, 458.

182. *Innuptis.* Id est, Amazoniis. Amazones enim non nubebant.

184. *Segreget, immitesque Deos.* Reg. B habet, *Degreget, immitesque Deos;* Reg. C nostram lect. En.

188. *Nunc hospes miseræ, primas nunc sponsus ad aras.* Edd. vett. interpungunt: *Nunc hospes miseræ primas, nunc sponsus ad aras,* etc. Bernartius correxit, ut habemus. En.

189. *Nunc mitis conjux.* Vitiosissima interpunctio. Tu mecum rescribe: *Nunc hospes misere, primas nunc sponsus ad aras.* Tangit iterum, sed occulte, more suo, ritum priscum quo sacrificium signate inter nuptiarum sollemnia. Tacit. Annal. XI, c. 27, de Silio et Messalina: « Haud sum ignarus fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis, in civitate omnium gnara et nihil reticente, consulem designatum, cum uxore principis, prædicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa, convenisse: atque illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud Deos, discubitum inter convivas, oscula, com-

Mœstus in amplexu, multumque a limine summo
Respiciens: sed nulla animo obversatur imago
Crebrior, Aonii quam quæ de sanguine campi
Nuda venit, poscitque rogos: his anxia mentem
Ægrescit curis, et, qui castissimus ardor,
Funus amat: tunc ad comites conversa Pelasgas:

plexus: noctem denique actam licentia conjugali. » Scriptor ignotus Octaviæ, vs. 699: « Vidit attonitus tuam Formam Senatus, tura quum Superis dares, Sacrasque grato spargeres aras mero, Velata summum flammeo tenui caput. » Terentius Phormione, act. IV, scen. 4, vs. 21: « Si argentum acceperit, ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi: spatium quidem tandem apparandis nuptiis; vocandi, sacrificandi dabitur paullulum. » Valerius Flaccus, Argonaut. VIII, v. 243: « Inde ubi sacrificas, cum conjuge venit ad aras Ausonides, unaque adeunt, pariterque precari Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem Prætulit. » Qui locus alterius cujusdam ritus memorem me reddit Jurisconsultus l. penult. § I, de Donat. inter Vir. et Uxor. « Virgini in hortos deductæ ante diem tertium quam ibi nuptiæ fierent, prius quam ad eum transiret, et prius quam aqua et igni acciperetur. » Dionysius Antiquitatum II de Romulo, raptas Sabinas suis conjungens. « Nuptias inter eos his conditionibus concilians, ut ignis et aquæ ejusdem participes essent, quemadmodum adhuc et nostra ætate fit. » Causam hujus ritus reddidit Lactantius de Origine Erroris, lib. II, cap. 10, de aqua et igne agens: « Alterum enim quasi masculinum elementum, alterum quasi femininum: alterum activum, alterum patibile; ideoque a Veteribus institutum, ut sacramento ignis et aquæ nuptiarum fœdera sanciantur, quod fœtus animantium calore et humore corporentur atque animentur ad vitam. » Videndus Varro de Lingua Latina, liv. IV, Ovidius Fastorum IV; Nonius etiam in Titionem et in Felix. Erit fortasse aliquis, cui extra limitem extraque oleas (quod dicitur) ire videbor: non eo; noto hæc talia, ut intelligat juventus Papinium scribentem Epith. Stellæ et Violantillæ: « procul ecce canoro Demigrant Helicone Deæ quatiuntque novena Lampade sollemnem thalamis coeuntibus ignem, Et de Pieriis vocalem fontibus undam. » Respicit vetustissimum hunc ritum et ipsas Musas ea quæ ad sollemnia gestasse vult. Bern.

192. *C. A. q. q. de sanguine campi.* » In nonnemine librorum est: *pulvere campi*. Nihil mutandum. »

193. Vide tom. I, p. 395 Statii nost. edit. Ed.

194. *Ægrescit curis. Ægrescit furiis* Lipsian. Put. et optimæ Barthii membranæ. — In Reg. B invenitur, *Egrescit furiis*; in Reg. C nostra lect. Ed. — *Castissimus ardor.* Ille laudatissimus amor, qui post mortem durat, et conjugi etiam mortuo fidem servat.

195. *Funus amat.* Vide supra vs.

« Vos, ait, Actæas acies, Marathoniaque arma
Elicite, adspiretque pio fortuna labori.
Me sinite Ogygias, tantæ quæ sola ruinæ
Causa fui, penetrare domos, et fulmiua regni
Prima pati : nec surda feræ pulsabimus urbis
Limina : sunt illic soceri mihi, suntque sorores
Conjugis, et Thebas haud ignoranda subibo.
Ne tantum revocate gradus : illo impetus ingens,
Auguriumque animi. » Nec plura : unumque Menœtem,
Olim hic virginei custos monitorque pudoris,
Eligit; et quanquam rudis, atque ignara locorum,
Præcipites gressus, qua venerat Ornitus, affert.
Atque ubi visa procul socias liquisse malorum,
Anne, ait, hostiles ego te labente per agros,
Heu dolor! exspectem, quænam sententia lenti
Theseos? an bello proceres, an dexter aruspex
Annuat? interea funus décrescit : et uncis

45. Lucanus, Phars. lib. IX, 111 : « Sævumque arcte complexa dolorem Perfruitur lacrimis, et amat pro conjuge luctum. »

196. *Actæas*. Athenienses.— *Marathonia*. Attica, a Marathone in agro Attico, in quo Athenienses clarissimam de Persis victoriam, duce Miltiade, adepti sunt.

205. *Olim hic virginei custos*, etc. Confer notata ad Theb. VII, 245, et lib. XI, 357.

207. *P. g. q. venerat Ornitus, affert*. *Ornitus aufert* Put. et Behot. 1, a m. sec. in quo prius exscriptum *affert*. « Lege cum duobus optimis libris *effert*, a via nimirum, quam cæteræ mulieres institerant, sese aufert in aliam. » Barth. — Regg. B et C hanc lectionem præbent. Ed.

208. *A. u. v. p. socias liquisse malorum*. « Iidem Barth. libri : *socias liquisse dolorum*. Tantumdem rei est. » Barth.

209. *Labente*. An *tabente* a *tabeo?* id est, diffluente, putrescente.

210. *H. d. e. quænam sententia lenti*. « Male nonnulli libri, qui *lecti* (pro *lenti*) hic inducere volunt. » Barth.

211. *An bello proceres*. Nihil enim apud Athenienses sine senatus consilio suscipiebant reges. — *Aruspex*. Veteres bella non suscipiebant, nisi prius Diis consultis per victimarum exta, et acceptis Aruspicum responsis, an Dii fausta signa ostendissent.

212. *A. i. f. decrescit : et uncis*. In uno Behot. recentior stylus induxit : *aduncis Alitibus*.

Alitibus non hos potius supponimus artus?
Et nunc me duram, si quis tibi sensus, ad umbras
Me tardam quereris Stygiis, fidissime, Divis.
Heu si nudus adhuc, heu si jam forte sepultus,
Nostrum utrumque nefas: adeo vis nulla dolenti,
Mors nusquam, sævusque Creon: hortaris euntem,
Ornite. » Sic dicens magno Megareia præceps
Arva rapit passu: demonstrat proxima quisquis
Obvius, horrescitque habitus, miseramque veretur.
Vadit atrox visu, nec corde, nec aure pavescens,
Et nimiis confisa malis, propiorque timeri.

213. *Hosp. s. ortus.* Suos intelligit.

214. *Si quis tibi sensus.* Dubitat in eo, quod philosophorum alii negant hoc, alii credunt. Cicero in Catone Majore residere in morte sensum putat. Isocrates dubitat. Nam in Evagora *εἴτις*, ait, *ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων. Si quis sensus mortuis de his quæ hic fiunt.* Eadem habet in Platæensium supplicatione, et in oratione Æginetica.

215. *Me tardam quereris Stygiis, fidissime, Divis.* In Reg. B reperitur, *Me tardom Stygiis quereris, fidissime, Divis*; in Reg. C, *Me tardam querere Stygiis fidissime Divis.* — *Tordam.* Non respondentem fidei erga te meæ quereris *tardom* venire ad Stygios Divos, id est, protrahere meam mortem contra debitam fidem. Vet. Schol. Sed *tardom* hic intelligo, quod retardet, et nondum eum sepulturæ mandaverit.

217. *Nostrum utrumque nefas.* Vel quia sepulturæ te non mandaverim, vel quod alius in hocce pietatis officio tibi præstito, *me* præveneril.

218. *Mors nusquam, sævusque Creon: hortaris euntem.* Put. *sævusne Creon.* — Hanc lect. Reg. B præbet; Reg. C nostram. Ed. — *Hortaris euntem.* Verbis dehortantibus cohortaris.

219. *Megoreio Arva.* Megaridem. Vide Theb. I, 29.

220. *A. r. p. d. proximo quisquis.* In eodem Put. codice: *proxima quisque.*

221. *O. hq. h. miseramque veretur.* « Bona scriptura, (*miseramque veretur*) nec mutanda: in duobus vero libris legitur, *miseransque veretur.* Ambigua res sit; nec muto tamen vulgatam lectionem. » Barth.

222. *V. o. v. nec corde, nec oure pavescens.* « Minus bonum est, quod in libro uno et altero repertum: *nil corde nec aure.* » Barth. Ita habent Behot. 1, unus Lindenbrogii, Lipsian. et Venett. 1, 2, alter vero Behot. *nil corde, nil aure.* —Hanc lect. Regg. B et C exhibent. Ed.

223. *Et nimiis confisa malis, propiorque timeri.* Put. *propriorque timeri.* — Reg. B habet, *Et nimiis confixo molis, propriorque timeri*; Reg. C nostram lect. Ed.

Nocte velut Phrygia quum lamentata resultant
Dindyma, pinigeri rapitur Simoentis ad amnem
Dux vesana chori, cujus Dea sanguine lecto
Ipsa dedit ferrum, et vittata fronte notavit.

224. *Nocte velut Phrygia.* Sacra matris noctu Phrygibus celebantur in monte Dindymo, in quibus se Galli abscindere consueverant. Quod genus sacrificii strictim Virgilius tetigit, Æn. IX, 617 : « ite per alta Dindyma. » Lactant.

225. *Dindyma, pinigeri rapitur Simoentis ad amnem.* Gronovius conj. *Simoentis ad undam Dux vesane chori.* — *Simoentis.* Simois Troadis fluvius, qui ex Ida monte defluit in agrum Trojanum, et mari vicinus, labitur in Xanthum, atque in paludem cogitur : deinde in Hellespontum, prope Sigæum Promontorium, se exonerat. Nunc *chisime* dicitur. Ed.

226. 227. *Dux vesana chori, cujus Dea sanguine lecto Ipsa dedit ferrum, et vittata fronte notavit.* In optimis Barthii membranis : *cui jus Dea sanguine lecto Ipsa dedit ferri,* etc. — *Dux vesana chori.* Archigallum intelligit, et vocat illum θιασάρχης « ducem vesanam chori, » non solum quia castratus erat, sed quia muliebri habitu indutus erat. Lucianus enim testatur, ipsos Gallos vestitu muliebri usos fuisse, et Gallorum choro feminas immistas. Ovidius eodem modo Phædræ Epistola, Ep. IV, v. 48 : « Quæque sub Idæo tympana colle movent. » Ibi enim argute Gallos tanquam feminas describit. Gallas simili modo Catullus in Galliambo vocavit, ubi passim ludit, Attyn tanquam feminam describens, ut et Claudianus Eutropium eunuchum. Dicitur *chorus piniger,* quod Galli sacerdotes pinus ferebant, quibus sibi pectus tundebant, ut notavimus superiori lib. — *Cujus Dea sanguine lecto.* Cujus sanguine volt placari Cybele. Vet. Schol. In optimo libro alia est lectio : *Cui jus Dea sanguine lecto Ipsa dedit ferri.* Non est fortassis librariorum aut nasutorum hominum hæc scriptura, quum de Modimperatrice sacrorum horum clarus sit sermo. Nihil tamen mutamus. Barthius. — *Sanguine lecto.* His verbis innuere videtur Papinius fanaticos illos Cybeles sacerdotes, sanguinem qui scissis ferro brachiis profluebat, in vasa quædam collegisse, quem scilicet Deæ offerrent. Quod confirmari potest loco Valerii Flacci Argon. lib. III, v. 231 et sqq. ubi agens de iisdem fanaticis hæc dicit : « Et barbara buxus Si vocet, et motis ululantia Dindyma sacris, Tunc ensis, placeatque furor; modo tela sacerdos Porrigat, et justa sanguis exuberet urna. » Videmus etiam in Miscellaneis Erud. Antiquitatis doctissimi Spon medici Lugdunensis, fanaticum repræsentari, tenentem manu vasculum quoddam. An ad hunc usum colligendi sanguinis, an ad cogendam stipem, mendicabant enim Idææ matris famuli, incompertum habeo. — *Dea.* Cybele.

227. *Vittata fronte.* Vitta enim insigne sacerdotii.

Jam pater Hesperio flagrantem gurgite currum
Abdiderat Titan, aliis rediturus ab undis,
Quum tamen illa gravem luctu fallente laborem
Nescit abisse diem : nec caligantibus arvis
Terretur, nec frangit iter, per et invia saxa,
Lapsurasque trabes, nemorumque arcana sereno
Nigra die, cæcisque incisa novalia fossis,
Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum
Præter, et horrendis insessa cubilia monstris.
Tantum animi, luctusque valent! pudet ire Menœtem
Tardius, invalidæque gradum miratur alumnæ.
Quas non illa domos pecorumque hominumque modesto
Pulsavit gemitu? quoties amissus eunti
Limes, et errantem comites solatia flammæ

231. *Caligantibus.* Absentia solis obscuralis.

232. *T. n. f. i. per et invia saxa.* In nonnullis codd. Barth. et uno Behot. *petit invia saxa.* — *Nec frangit iter.* Non minuit, vel deflectit. LACTANT.

233. *Lapsuras trabes.* Aridas arbores, jam in trabes redactas. *Des planches.*

234. *Novalia fossis.* Put. *novalia saxis.* — *Novalia.* Agrorum loca, quæ verno tempore scrobibus factis vinetis aptantur. LACTANT.

235. *Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum.* *Per fluvios secura ruit* Behot. 1, Venett. 3, 4, Rom. et Basil. *secura vadit* Behot. 2. Dan. Petav. *secura vadi* Lang. Buslid. et edd. recenit. Nic. Heinsius in Advers. lib. IV, cap. 3, p. 583, omnino scribendum censet : *Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum Fertur*, etc. Put. *somnoque ferarum.* — Hanc ultimam lect. Reg. B habet, Reg. C nostram. ED.

236. *Præter, et horrendis insessa cubilia monstris.* Daum. ex cod. suo manuscripto affert : *obsessa cubilia;* Lang. Laur. Lipsian. Colin. Basil. et Plant. *infesta cubilia.* — Hanc lect. habet Reg. B; Reg. C, *Infessa cubilia monstris.* ED.

237. *T. a. lq. v. pudet ire Menœtem.* *Menecem* Behot. 1.

239. *Q. n. i. d. pecorumque hominumque modesto.* Heinsius ibidem correxit : *pecorumque hominumque molesto*, etc. etsi veteres membranæ consensum non præbent.

240. *P. g. quoties amissus eunti.* Uterque Behot. *quotiens amissus.*

241. *Limes, et errantem comites solatia flammæ.* Barthius conj. *comitis solatia flammæ;* ut postea invenit in optimo libro. — Hæc lectio invenitur in Reg. B, in Reg. C nostra. ED. — *Comites.* Quidam *comitis flammæ.* Faces a viatoribus in

Destituunt, gelidæque facem vicere tenebræ?
Jamque supinantur fessis, lateque fatiscunt
Penthei devexa jugi, quum pectore anhelo
Jam prope deficiens, sic inchoat orsa Menœtes :
« Haud procul, exacti si spes non blanda laboris,
Ogygias, Argia, domos, et egena sepulcri
Busta jacere reor : grave cominus æstuat aer
Sordidus, et magnæ redeunt per inane volucres.
Hæc illa est crudelis humus; nec mœnia longe.
Cernis, ut ingentes murorum porrigat umbras
Campus, et e speculis moriens intermicet ignis?
Mœnia sunt juxta : modo nox magis ipsa tacebat,
Solaque nigrantes laxabant astra tenebras. »
Horruit Argia, dextramque ad mœnia tendens :
« Urbs optata prius, nunc tecta hostilia Thebæ,
Et tamen illæsas si reddis conjugis umbras,
Sic quoque dulce solum; cernis, quo prædita cultu,

itinere gestatæ per obscuram noctem. Varro R. R. I, « *Ae vietoris* lascivi faeem non metuet ardentem. » Ovidius in fabula Daphnes, Met. I, v. 493 : « Ut facibus sepes ardent, qnas forte viator Vel nimis admovit, vel jam snb Ince reliquit. »

244. *Penthei devexa jugi. Penthei convexa jugi* codd. Lindenbrogii. — *Penthei jugi*. Id est, Cithæronis, *Penthei jugi* dieti a Pentbeo, qni ibi a Bacchautibus discerptus fuit. — *Devexa*. Latera. Lactant.

245. *J. p. d. sic inchoat orsa Menœtes*. Codex Daumii : *incipit orsa Menœtes;* Barth. ex optimis membr. legit : *inchoat ore Menœtes.*—Hanc lect. Reg. B habet, Reg. C nostram.

246. *H. p. e. s. s. n. blanda laboris*. Behott. 1, 2, *blanda doloris;* sed in utroque correctum, *laboris*. — *Exacti*. Finiti sive conclusi. — *Non blanda*. Non falsa. A blandimentis enim inducimur; ut Terentius : « Nisi me lactasses amantem, et falsa spe deluderes, » id est, blandimentis indueeres. Lactant.

247. *Ogygias, Argia, domos, et egena sepulcri*. In iisdem Behott. codd. *et egena sepulchris*. — Reg. B habet, *Ogygias Argiva domos*, etc. Reg. C nostram lect. Ed. — *Egena sepulcri*. Cadavera sepultura earentia. Lactant.

248. *Busta*. Corpora semiusta. — *Æstuat aer*. Graviter exhalat.

252. *Campus, et e speculis moriens intermicet ignis*. Reg. B habet, *C. e. e. s. m; intermicat ignis*. Reg. C nostram lect. Ed.

258. *Quo prædita cultu*. Ironice dicta. Guyetus.

Qua stipata manu, juxta tua mœnia primum
Œdipodis magni venio nurus? improba non sunt
Vota: rogos hospes, planctumque, et funera posco.
Illum, oro, extorrem regni, belloque fugatum,
Illum, quem solio non es dignata paterno,
Redde mihi: tuque, oro, veni, si Manibus ulla
Effigies, errantque animæ post membra solutæ.
Tu mihi pande vias, tuaque ipse ad funera deduc,
Si merui. » Dixit, tectumque aggressa propinquæ
Pastorale casæ, reficit spiramina fessi
Ignis, et horrendos irrumpit turbida campos.
Qualis ab Ætnæis accensa lampade saxis
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ
Ausonium Siculumque latus, vestigia nigri
Raptoris, vastosque legens in pulvere sulcos.
Illius insanis ululatibus ipse remugit
Enceladus, ruptoque vias illuminat igni.

259. *Qua stipata manu, juxta tua mœnia primum*. Reg. B, *Q. s. m. juxta tua limina primum*. Eo.

261. *V. r. h. pq. et funera posco.* Unus Bebot. *in funera posco.*

262. *Illum, oro, extorrem regni.* Reg. B exhibet, *Illum ego extorrem regnis;* Reg. C nostram lect. Eo.

266. *T. m. p. v. tuaque ipse ad funera deduc.* Reg. B habet, *tuaque ipsa ad funera deduc;* Reg. C nostram lect. Eo.

268. *Reficit spiramina fessi Ignis.* Facem exstinctam accendit.

270. *Qualis ab Ætnæis accensa lampade saxis. Ætnæis saxis.* Quia Ætna flammas emittit e jugo. — De hoc versu et de seq. videsis quæ enarrantur ad Claud. XXXVI de Raptu Proserpin. lib. III, v. 443 nost. edit. tom. II, pag. 284. Eo.

271. *Orba.* Rapta Proserpina. — *Variabat.* Varie colorabat, illustrabat: face enim accensa filiam raptam quærebat Ceres.

272. *Ausonium.* Italicum. Italia enim est ex opposito Siciliæ. — *Siculum.* Quia in Sicilia quærebat filiam Ceres. Eadem in re Claudianus XXXVI, de Rapt. Proserp. v. 446: « Extremaque lucis imago Italiam Libyamque ferit, clarescit Etruscum Litus, et accenso resplendent æquore Syrtes. » Nec absimiliter Sil. Italicus lib. II, v. 664, in re tamen alia: « Ardent tecta Deum, respondet imagine flammæ Æquor, et in tremulo vibrant incendia ponto. » Barth.

273. *Sulcos.* Rotarum vestigia: Pluto enim curru vectus Proserpinam rapuit.

275. *Enceladus.* Gigas, cui dicitur mons Ætna impositus. — *Rup-*

Persephonen amnes, silvæ, freta, nubila clamant:
Persephonen tantum Stygii tacet aula mariti.
Admonet attonitam fidus meminisse Creontis
Altor, et occultam submittere lampada furto.
Regina Argolicas modo formidata per urbes,
Votum immane procis, spesque augustissima gentis,
Nocte sub infesta, nullo duce, et hoste propinquo,
Sola per offensus armorum, et lubrica tabo
Gramina, non tenebras, non circumfusa tremiscens
Concilia umbrarum, atque animas sua membra gementes,
Sæpe gradu cæco ferrum, calcataque tela
Dissimulat, solusque labor vitare jacentes,

toque. Id est, erumpente ab Ætna. — *Ruptoque vias illuminat igni*. Virg. Georg. I, 472: « Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam. » Quem locum respexit Lucilius Junior in Ætna, I, 1: « ruptique cavis fornacibus ignes. » Conf. Poet. Lat. Min. t. III nost. edit. p. 79. Ed.

276. *Persephonen*, etc. Quia Ceres magna voce filiam vocabat, eam quærendo.

277. *Persephonen tantum Stygii tacet aula mariti*. « Versus non indignus Papinio, et in libris Behottianis, Bernartianis, Aldinis, pluribusque nostris, sed deterioribus, sine nota servatus. At optimi duo libri nostri, alter omnium princeps, nec volam ejus habet, nec vestigium, alter subscriptum spatio paginæ habet, cum indice hoc loco esse inserendum. Lindenbrogianorum autem nullus omnino agnovit. Videtur tamen ipso acumine sententiæ, et forma elocutionis, a Poeta esse. Liber ille bonus noster transposita vocula etiam meliorem facere voluit. Sic enim refert: *Persephonen Stygii tantum tacet aula mariti*. » Barth. — In Reg. B desideratur hic versus, adest in Reg. C. Ed. — *Persephonen tantum*. Hic versus deest in omnibus MSS. — *Stygii mariti*. Plutonis. — *Tacet*. Ne proderet raptum ejus.

279. *Altor, et occultam submittere lampada furto*. Petav. *occulte submittere*. Lang. Lipsian. Dan. Colin. Basil. Lindenbrog. plerique et Gevart. *occulto submittere*; nonnulli Barth. *ut occulto*. — Regg. B et C, *Altor* et *occulto* exhibent. Ed.

280. *Regina*, etc. Hic versus et decem sequentes suspecti sunt Guyeto.

284. *G. n. t. n. circumfusa tremiscens*. Reg. B habet, *non circumfusa tremiscens*; Reg. C nostram lect. Ed.

287. *Dissimulat, solusque labor vitare jacentes*. Put. *vitasse jacentes*. — Hanc lect. Reg. B habet, Reg. C nostram. Ed. — *Solusque labor vitare jacentes, Dum funus putat omne suum*. Repetita ex superioribus, v. 37: « nec certa facultas

Dum funus putat omne suum, visuque sagaci
Rimatur positos, et corpora prona supinat
Incumbens, queriturque parum lucentibus astris.
Forte soporiferas cæli secreta per umbras
Juno, sinu magni semet furata mariti,
Theseos ad muros, ut Pallada flecteret, ibat,
Supplicibusque piis faciles aperiret Athenas:
Atque ubi per campos errore fatiscere vano
Immeritam Argian supero respexit ab axe,
Indoluit visu: et lunaribus obvia bigis
Advertit currum, placidaque ita voce locuta est:
« Da mihi poscenti munus breve, Cynthia, si quis
Est Junonis honos: certe Jovis improba jussu
Ternoctem Herculeam: veteres sed mitto querelas:

Noseere quem miseri vitent caleeotque eruorem. »

290. *Parum lucentibus astris.* Supple, *de.* Et babere fingebatur faeem modo, et talem quidem facem, quæ cæteris incensis arboribus comparari possit. Magna hic iterum oblivio est, quam auget postea quum iterum lampadem Argiæ tradit, ot vs. 349: « aliamque ad busta ferebat Aotigone miseraoda faeem. » Quomodo aliam, nisi aliam baberet jam Argia?

293. *Theseos ad muros.* Athenas. — *Pallada.* Pallas enim Athenis religiose eolebatur.

294. *Athenas.* Athenæ alter Græciæ oculus, urbs a Cecrope condita juxta amnem Ilissum, iogeniorum et eruditioois fons, clarior qnam ot debeat indieari.

295. *Fatiscere vano.* Fatigari errore superfluo: quia mariti corpus inveniri non poterat. LACTANT.

297. *Indoluit visu.* « Ita meliores eodd. optime. In duobus minorum rerum *visum* legitnr. Inscite Lindenbrogius edidit *visus* contra legem earminis. Notat idem veritatem ex uno suo codiee. Silet omnino de suis Behottins. Nihil certius dicto. » BARTH. *Indoluit visus* Behott. 1, 2, Dan. et Put. ita etiam nos penes editio Bernartiana, quam reeudendam curaverat Lindenbrogius.

298. *Advertit currum, placidaque ita voce locuta est.* « Optimus liber: *secuta est.* Nou nego hoc bonum esse, nee a maou librarii forte. Non tamen mntarim facile illud. » BARTH. — Reg. B habet, *Advertit vultum;* Reg. C nostram leet. ED.

299. *Cynthia.* Luoa sive Diana, a Cyutho Deli monte, in qua nata dieitur.

301. *Ternoctem.* Ellipsis. Snpple, continuasti. — *Ternoctem* uno verbo scribendum, id est, triplicem noctem. Plnres autem Aposiopeses

En locus officio : cultrix placidissima nostri
Inachis Argia cernis qua nocte vagetur,
Nec reperire virum densis queat ægra tenebris?
Et tibi nimbosum languet jubar: exere quæso
Cornua, et assueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque, qui curru madidas tibi pronus habenas
Ducit, in Aonios vigiles demitte Soporem. »
Vix ea, quum scissis magnum Dea nubibus orbem
Protulit: expavere umbræ, fulgorque recisus

notare est in hoc Poeta. — *Ternoctem Herculeam*. Juppiter, quum Alcmenam Amphitryonis uxorem amasset, et ad eam corrumpendam demutatus in Amphitryonis venisset specie, ne adventu diei concubitus minueretur voluptas, jussit triplicem illam noctem fieri, quia triplices cursus luna peregit : ex quo compressu Alcmenæ Hercules dicitur natus. Merito ergo *noctem Herculeam* dixit, in qua conceptus est Hercules. Lactant.

302. *En locus officio : cultrix placidissima nostri.* « Scribendum *placitissima*; gratissimam enim sibi cultricem Argiam agnoscit, et prædicat Juno. Manuscripti libri hactenus nihil mutant, ut putem tamen in optimo fuisse hanc scripturam; erasum enim est aliquid. » Barth. — Reg. B habet, *cultris placidissima nostri*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Placid. placitissima.* Mihi maxime grata, quæ vox apud Justinum reperitur l. XVIII, c. 3 : « Servisque de statu reipublicæ deliberantibus placuisset regem ex suo corpore creare, cumque placitissimum Diis, qui solem orientem vidisset. » Ita MSS. ubi subdiderunt *acceptissimum*. Suetonius Calig. 36, « Quum maxime placitam sevocasset. » Vide Th. VII, 190.

303. *Qua nocte.* Quam obscura nocte.

305. *Nimbosum jubar.* Nebulosum. Lactant.

306. *Orbita.* Currum enim habet Luna.

307. *Hunc quoque, qui curru madidas tibi pronus habenas.* Reg. B exhibet, *Hunc quoque qui currum madidas tibi pronus habenas*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Qui curru madidas tibi pronus habenas Ducit.* Poetis Somnus fingitur ducere lunæ currum. — *Madidas.* Quia noctes humidæ.

308. *Aonios.* Thebanos.

309. *Vix ea, quum scissis magnum Dea nubibus orbem.* *Vix ea conscissis manum Dea*, etc. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plaut. « Corruptissima hæc sunt, si qua alia. Quid enim *conscissis manum?* portenta verborum, uti vides : sed noli dubitare quin legendum sit ex veteri : *quum scissis magnum*, etc. Bern. *cum scissis magnum de nubibus* Petav. — Hanc ultimam lect. Reg. B habet, Reg. C nostram lect. Ed.— *Dea.* Luna.

310. *Fulgorque recisus Sideribus.*

Sideribus: vix ipsa tulit Saturnia flammas.
Primum per campos infuso lumine, pallam
Conjugis ipsa suos noscit miseranda labores,
Quanquam texta latent, suffusaque sanguine mœret
Purpura: dumque Deos vocat, et de funere caro
Hoc superesse putat, videt ipsum in pulvere pæne
Calcatum: fugere animus, visusque, sonusque,
Inclusitque dolor lacrimas: tunc corpore toto
Sternitur in vultus, animamque per oscula quærit
Absentem, pressumque comis ac veste cruorem
Servatura legit: mox tandem voce reversa:
« Hunc ego te, conjux, ad debita regna profectum
Ductorem belli, generumque potentis Adrasti
Adspicio? talisque tuis occurro triumphis?
Huc attolle genas, defectaque lumina: venit
Ad Thebas Argia tuas: age, mœnibus induc,

Splendente enim luna, fulgor siderum minuitur.

311. *Saturnia.* Juno Saturni filia.

312. *Infuso lumine.* Lacrimis pleno. LACTANT. — *Pallam.* Palla, hic pro chlamyde. — De hac voce adi notata ad vers. 224 Claud. I in Prob. et Olybr. Cons. nost. edit. tom. I, p. 127. ED.

313. *Suos labores.* Lib. sup. 400, « Opus ipsa novarat Mœoniis Argia modis. »

314. *Q. t. l. suffusaque sanguine mœret.* In quibusdam codd. Lindenbrogii: *sanguine humet.* — *Texta.* Quæ mariti vestibus impresserat texendo. — *Mœret.* Celatur, sive nigrior fit. LACTANT.

315. *Purpura : dumque Deos vocat, et de funere caro.* Reg. B habet, *Purpura, dumque suos vocat;* Reg. C nostram lect. ED.

316. *Hoc superesse putat, videt ipsum in pulvere pæne.* « In nonnemine librorum est : *pudet ipsum in pulvere;* sed nihil mutandum. Acuta est vocula *pæne*, si enim *plane* dixisset, aut *certo*, amentem induxisset Argian. » BARTH.

319. *Sternitur in vultus.* Ut solent facere admodum afflicti, qui se projiciunt in corpus defuncti, quem carissimum habuerunt. — *Animamque per oscula quærit Absentem*, Sic lib. V, v. 595 : « Ingeminat misera oscula tantum Incumbens, animæque fugam per membra tepentem Quærit hians. »

320. *Absentem, pressumque comis. Absentem, expressumque comis*, Exc. Cantab.

321. *Serv. l. m. t. voce reversa.* Evanuerat enim et oppressa erat dolore.

Et patrios ostende lares, et mutua redde
Hospitia: heu quid ago? projectus cespite nudo
Hoc patriæ telluris habes? quæ jurgia? certe
Imperium non frater habet: nullasne tuorum
Movisti lacrimas? ubi mater? ubi inclyta fama
Antigone? mihi nempe jaces: mihi victus es uni.
Dicebam, quo tendis iter? quid sceptra negata
Poscis? habes Argos: soceri regnabis in aula:
Hic tibi longus honos, hic indivisa potestas.
Quid queror? ipsa dedi bellum, mœstumque rogavi
Ipsa patrem, ut talem nunc te complexa tenerem.
Sed bene habet, Superi: gratum est, Fortuna: peracta est
Spes longinqua viæ: totos invenimus artus.
Hei mihi, sed quanto descendit vulnus hiatu!
Hoc frater? qua parte, precor, jacet ille nefandus

328. *Hospitia : heu quid ago?* Behot. 1, *heu quid agam*. Prius fuerat scriptum *ago*, sed idem correxit qui scripserat.

332. *Antigone? Antigones* unus Behot. — *Nempe mihi jaces.* Mihi interemtus es, mihi victus es. Tibi (tu) enim, ut solus regnare posses, interemisti fratrem, et regno sic te imposuisti. Vet. Schol.

333. *Dicebam*. Utinam mihi paruisses. Dicebam enim tibi : Mane hic, regna in regno meo; ne committe te tanto periculo. Vet. Schol. Tò *Dicebam* neglecta consilia meliora exprobrat. Auson. Epig. XIII: « Dicebam tibi, Galla, senescimus, effugit ætas, Utere rene tuo, casta puella anus est. Sprevisti; obrepsit non intellecta senectus, Nec revocare potes, qui periere dies. « Barth.

335. *Hic tibi longus honos.* Hoc est, sine successoris metu. — *Indivisa potestas.* In patria perpetuum fueras possessurus imperium.

336. *Quid queror? ipsu dedi bellum.* « Scribendum puto, uti habent duo meliora exempla : *bello.* » Barth. — *Mœstumque rogavi Ipsa patrem.* Vide Theb. III, v. 687.

338. *Sed bene habet, Superi : gratum est, Fortuna : peracta est. Sed bene habet : Superi, gratum est. Fortuna, peracta est*, etc. Aldd. Colin. et Basil. Bernartius correxit : *Sed bene habet, Superi, gratum est, Fortuna*, etc. — *Sed bene habet, Superi : gratum est, fortuna.* Formula flebile gaudentium, quum tamen aliquid est in tam atroci tempore lætum. Sic Silvar. II, 1, 154 : « Gratum est, fata, tamen, quod non mors lenta jacentis Exedit puerile decus. »

341. *Hoc frater? qua parte, pre-*

Prædator? vincam volucres, sit adire potestas,
Excludamque feras: an habet funestus et ignes?
Sed nec te flammis inopem tua terra videbit:
Ardebis, lacrimasque feres, quas ferre negatum
Regibus, æternumque tuo famulata sepulcro
Durabit deserta fides, testisque dolorum
Natus erit, parvoque torum Polynice fovebo.»
Ecce alios gemitus, aliamque ad busta ferebat
Antigone miseranda facem, vix nacta petitos
Mœnibus egressus: illam nam tempore in omni
Attendunt vigiles, et rex jubet ipse timeri,
Contractæque vices, et crebrior excubat ignis.
Ergo Deis, fratrique moras excusat, et amens,
Ut paullum immisso cessit statio horrida somno,
Erumpit muris: fremitu quo territat agros

cor, jacet ille nefandus. Reg. B præbet, *h. f. q. p. p. jacit ille nefandus;* Reg. C nostram lect. Ed.

342. *Sit adire.* Adde, modo, vel si.

345, 346. *Ardebis, lacrimasque feres, quas ferre negatum Regibus, æternumque tuo famulata sepulcro.* Reg. B, *Ardebit, longumque tuo famulata sepulchro* habet; Reg. C nostram lect. Ed.

347. *Durabit.* Conjugis scilicet.

348. *N. e. p. t. Polynice fovebo. Polynice favebo* Petav. — *Natus erit.* Thessandrus scilicet, filius Polynicis. Lactant. — *Polynice.* Non quod sic nominetur filius noster, sed quod patrem in eo videbor amplecti, et mecum habere. Vel. Schol. Alluditur illud Virgilianum Didus, Æn. IV, 327: «Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret. Barth.» —*Fovebo.* Solabor viduitatem meam similitudine tua, nec secundas nuptias superstite filio cupiam. Lact.

350. *Petitos.* Desideratos.

351. *M. e. i. nam tempore in omni.* Optimi duo codices Barthii: *tempus in omne;* quod illi placet.

352. *Timeri.* An *teneri?* Caveri Lactantius explicat.

353. *Contractæque vices, et crebrior excubat ignis.* Contractas vices explica vigilias crebrius mutatas, earumve tempora arctata metu Antigones, cui Creon diffidebat. Etenim vigilibus certum, ut nunc, tempus præfiniebatur, nempe tres horæ, ut docet Vegetius lib. III. Vide Lipsium Milit. Roman. lib. V.

355. *Ut paullum immisso cessit statio horrida somno.* Reg. B præbet, *Ut paulum amisso;* Reg. C nostram lect. Ed.

356 et 357. *Fremitu quo territat agros Virginis ira leæ rabies, cui*

Virginis ira leæ rabies, cui libera tandem
Et primus sine matre furor: nec longa morata est,
Quippe trucem campum, et positus quo pulvere frater
Noverat: atque illam contra videt ire Menœtes,
Cui vacat, et caræ gemitus compescit alumnæ.
  Quum tamen erectas extremus virginis aures
Accessit sonus: utque atra sub veste, comisque
Squalentem, et crasso fœdatam sanguine vultus
Astrorum radiis, et utraque a lampade vidit:
« Cujus, ait, Manes, aut quem temeraria quæris
Nocte mea? » nihil illa diu, sed in ora mariti
Dejicit, inque suos pariter velamina vultus,
Capta metu subito, paullumque oblita doloris.
Hoc magis increpitans suspecta silentia, perstat
Antigone, comitemque premens ipsamque: sed ambo

libera tandem. « Distinctio vitiata est in omnibus editionibus, Grasser. Gevart. Bern. Lindenbrog. etc. Sic enim constituenda *fremitu quo territat agros Virginis ira leæ, rabies cui*, etc. » BARTH.

358. *E. p. s. m. f. nec longa morata est.* Regg. B et C, *nec longa morata* exhibent. ED.

359. *Quippe*, etc. Hunc versum et sex sequentes insititios judicat Guyetus.

361. *Cui vacat* (*cavet*). Quidam legunt *vacat*, et explicant, cessat: nam sola Argia funeri Polynicis erat intenta.

362. *Quum tamen erectas*, etc. « Manuscripti *arreptas* (pro *erectas*), aut *arrectas*, habent plerique: nihil tamen a vulgata lectione mutandum. » BARTH. — *Erectas.* An *arrectas?* Erectas vero more timentium: ad minimum enim murmur aures erigunt.

364. *Squalentem, et crasso fœdatam sanguine vultus.* Reg. B habet, *Squalentem, et crasso fœdatos sanguine vultus;* Reg. C, *et crasso fœdantem sanguine vultus.* ED.

365. *Utraque a lampade.* Sua, et illa Argiæ. Nam supra dixit Antigonem ad bustum facem attulisse.

366. *Cujus, ait, Manes, aut quem temeraria quæris.* Reg. B exhibet, *aut quæ temeraria quæris;* Reg. C nostram lect. ED.

367. *Nocte mea.* Quæ soli mihi debebatur, ne quis me ab egregio opere impediret. Vet. Schol. Optime: « qua mihi soli concessum erat, exire. » LACTANT. Sed errat, nihil enim tale concessum erat Antigonæ; aut mendosus est, et legendum: « soli conclusum erat exire. » In quam sententiam propendet animus. BARTH.

371. *Comitem.* Menœten. — *Ipsamque.* Argian.

Deficiunt, fixique silent: tandem ora retexit
Argia, corpusque tamen complexa, profatur:
« Si quid in hoc veteri bellorum sanguine mecum
Quæsitura venis, si tu quoque dura Creontis
Jussa times, possum, tibi me confisa, fateri.
Si misera es, certe lacrimas lamentaque cerno,
Junge, age, junge fidem: proles ego regis Adrasti:
(Hei mihi! num quis adest?) cari Polynicis ad ignes,
Etsi regna vetant. » Stupuit Cadmeia virgo,
Intremuitque simul, dicentemque occupat ultro:
« Mene igitur sociam (pro sors ignara!) malorum,
Mene times? mea membra tenes, mea funera plangis.
Cedo, ten' pudet? heu pietas ignava sororis! »

372. *D. fq. s. tandem ora retexit.* Unus Behot. *tandem ore resolvit.*

373. *Argia. Argie* legunt omnes codd. Barthii.

377. *Si misera es.* Si æque luges.

378. *Junge, age, junge fidem: proles ego regis Adrasti.* « Portentum hic habent duo libri nostri, quorum alter est ille quem optimum toties vocavimus. Non enim agnoscunt, nisi supra scripla, hæc ompia verba; in sermonis autem verbis Maronis hemistichum repræsentant: *Accipe, daque fidem: proles ego Regis Adrasti.* Nihil mutem a vulgari lectione. » Barth.

379. (*Hei mihi! num quis adest?*) *cari Polynicis ad ignes.* « Fatui sunt libri qui hæc mutant. Metum enim circumspicientis, et a crudelissimo homine deprendi timentis, pulchre referunt, et sunt parenthesi includenda quinque hæc verba: (*Hei mihi num quis adest?*) » Barth. Edd. vett. habent: *Hei mihi num quis adest cari Polynicis ad ignes? Et si regna*, etc. Non alias variantes h. l. inveni. — *Polynices ad ignes.* Subaudis *veni.* Barth.

380. *Cadmeia virgo.* Antigone.

382. *Mene igitur sociam (pro sors ignara!) malorum.* « Et hoc loco læsa est distinctio. Scribe: *Mene igitur sociam, proh: (fors ignara) malorum Mene times?* » Barth. Put. habet: *socium profers.* — Reg. B, *Me ne igitur sociam profers ignara malorum* præbet; Reg. C nostram lect. En.

383. *Mene times? Meque times* in eodem Put. libro. — Eamdem lect. habet Reg. B, Reg. C nostram. — *Mea membra.* Id est, fratris.

384. *Cedo, ten' pudet? heu pietas ignava sororis! Cedo tene pudet* omnes codd. cum Venett. 3, 4, Rom. et Aldd. « Gul. Canterum putasse rescribendum: *ten' pudet* arbitror, licet verba ejus corrupte sint edita Nov. Lect. lib. II, c. 8. Neque sane aliter potest legi, propter versum. Mihi spurius totus

Hæc prior: hic pariter lapsæ, junctoque per ipsum
Amplexu, miscent avidæ lacrimasque, comasque,
Partitæque artus redeunt alterna gementes
Ad vultum, et cara vicibus cervice fruuntur.
Dumque modo hæc fratrem memorat, nunc illa maritum,
Mutuaque exorsæ Thebas, Argosque renarrant,
Longius Argia miseros reminiscitur actus:
« Per tibi furtivi sacrum commune doloris,
Per socios Manes, et conscia sidera juro;
Non hic amissos, quanquam vagus exsul, honores,
Non gentile solum, caræ non pectora matris,
Te cupiens unam, noctesque, diesque, locutus
Antigonen: ego cura minor, facilisque relinqui.
Tu tamen excelsa sublimis forsitan arce,

aliquando videbatur, vel latere vetustissimum meudum, quod librarios omnes fefellerit. Possis scribere: *Cedere men' pudet? heu pietas ignava sororis!* Voeulam *heu* omnes libri agnoscunt, alioquin facilior esset correctio aut lectio. Quare fortasse sie reliquerit Papinius: *Cedo, tamen pudet! Heu*, etc. Scripseram bæc qnum cogitauti displicent hæc omuia, et apparet vera esse scriptura manuscriptorum librorum: *Cedo: tene: pudet, heu*, etc. » Barth. — Reg. B habet, *Cede, tene pudeat? heu pietas ignava sororis;* Reg. C uostram leet. Ed. — *Cedo*, ten' *pudet.* Est in omuibus scriptis: *Cedo, tene, pudet! heu.* Cæterum ego, quæ adhuc putavi meas esse primas partes, et luctus, et officii erga fratrem, nunc a te victam esse me fateor, tibique eoueedo, quæ tam lougo itiuere prior tameu ades. Tu potins *tene*, ac amplectere funus, quod nt tenerem ipsa traetaremque, dum supremo officio maudo, veni, sed sero tardeque. Gron.

385. *Hæc prior: hic pariter lapsæ, junctoque per ipsum. Hæc prior hinc* Daum. ex cod. et ita Barthiani, *junctæque per ipsum* optimæ Barthii membranæ.

388. *A. v. e. c. v. cervice fruuntur.* Behot. 1, *cervice feruntur:* correctum tamen, et expunctis prioribus literis repositum *fruuntur.*

391. *Longius Argia. Longius Argie* optimæ Barthii membrauæ.

394. *N. h. a. q. vagus exsul, honores.* Epithetou *vagus* suspectum est Barthio.

395. *Gentile solum.* Patriam, quæ tameu cara omnibus, propriis bonis et commodis parentum vel Luciliano scito prælata: « Commoda præterea patriæ sibi prima putare, Deinde parentum; tertia jam, postremaque, uostra. » Barth.

398. *Tu tamen excelsa sublimis*

Ante nefas Graiis dantem vexilla maniplis
Vidisti, teque ille acie respexit ab ipsa
Ense salutatam, et nutantis vertice coni:
Nos procul: extremas sed quis Deus egit in iras?
Nil vestræ valuere preces? tibine iste negavit
Oranti?» Causas ac tristia reddere facta
Cœperat Antigone: fidus comes admonet ambas:
« Eia agite inceptum potius! jam sidera pallent
Vicino turbata die: perferte laborem,
Tempus erit lacrimis: accenso flebitis igne. »
   Haud procul Ismeni monstrabant murmura ripas,
Qui turbatus adhuc et sanguine decolor ibat.
Huc laceros artus socio conamine portant
Invalidæ, jungitque comes non fortior ulnas.
Sic Hyperionium tepido Phaethonta sorores
Fumantem lavere Pado: vix dum ille sepulcro

forsitan arce. Tu tamen e celsa optimæ Barthii membranæ, *sublimen* Dan. *sublimem* Behot. 1, et pro v. l. *sublimis;* contra *sublimis* Behot. 2, et pro v. l. *sublimem.* — Reg. B prebet, *Tu tamen excelsa sublimen forsitan arce;* Reg. C, *sublimem.*

404. *Oranti? Causas ac tristia reddere facta.* « Scribendum cum manuscriptis *fata.* » Barth. — Reg. B habet, *ac tristia reddere fata;* Reg. C nostram lect. Ed.

406. *Inceptum potius.* Perficite, supple.

410. *Qui turbatus adhuc. Qua turbatus* Lang. Laur. Lipsian. Put. Behott. 1, 2, et Venett. 3, 4. — Reg. B habet hanc lect. In Reg. C pagina deleta est. — *Turbatus adhuc et sanguine decolor.* Ob commissam in eo pugnam. Vide Theb. IX, 226.

413. *S. H. tepido Phaethonta sorores.* Reg. B habet, *trepido Phaethonta sorores.* — *Sic Hyperionium tepido*, etc. Tangit fabulam, qua dicitur Phaethon excussus fulmine e curru paterno in Padum fluvium decidisse, ejusque sorores, dum corpus fratris lavant in hoc fluvio, ut eum sepulturæ mandarent, et exstinctum immoderatius lugent, in populos dicuntur esse conversæ. — *Hyperionium.* Quia Phaethon erat filius solis qui dicitur poetis *Hyperion.* Tangit etiam morem lavandi corpora mortuorum, antequam cremarentur. — *Tepido.* Ob incendia quæ restinxerat.

414. *F. l. P. vix dum ille sepulcro.* Reg. B habet, *vix ille sepulcro.* — *Pado.* Padus fluvius Italiæ celeberrimus, Græcis *Eridanus*, ita dictus, quod, ut notat apud Pli-

Conditus, et flentes stant circum flumina silvæ.
Ut sanies purgata vado, membrisque reversus
Mortis honos, ignem miseræ post ultima quærunt
Oscula: sed gelidæ circum exanimesque favillæ
Putribus in foveis, atque omnia busta quiescunt.
Stabat adhuc seu forte rogus, seu numine Divum,
Cui torrere datum sævos Eteocleos artus,
Sive locum monstris iterum fortuna parabat,
Seu discessuros servaverat Eumenis ignes.

nium Metrodorus Scepsius, circa ejus fontem arbor multa sit picea, quæ Padus Gallice dicitur. Hodie *Po*. Profluit, ut ait Plinius, Hist. Nat. III, cap. 19, 3, gremio Vesuli montis, celsissimum in cacumen Alpium elati, finibus Ligurum Vagiennorum visendo fonte (non qui proprio sic nomine dictus, ut putat Leander, sed qui visu dignus est et admirabilis), conditque sese cuniculo, et in Forovibiensium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior: ac per angustas ac confragosas rupes, et angustas scopulosi montis convalles præcipitat, multaque vi fertur. Augent ipsum, præter fluvios ipsos, liquatæ nives, idque ad Canis ortus, nec quum torrentior est, tam navigiis infestus est, quam agris, quo fit, ut perpetuo accolarum labore utrimque aggeribus coerceatur. Ita Padus multas urbes prætterlapsus septem ostiis, ut Sabellicus et Plinius notant, in Adriaticum mare se exonerat, deferendo secum triginta numero flumina.

415. *Flentes silvæ*. Sorores Phaethontis in populos seu alnos conversæ. — *Stant circum*. Hæc verba mutationem celeriorem reddunt.

417. *Mortis honos*. Pallor, qui est signum mortis. — *Ultima oscula*. Ita Corippus de jam componendo a Justino Justiniano, lib. III. « Ut Pius ingrediens corpus venerabile vidit, Incubuit lacrimans, atque oscula frigida carpsit Divini Patris, verbisque dolentibus inquit. » Vide eo loco Commentaria Dempsteri. De iisdem Tibullus, lib. I, El. 1, 61: « Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis. » Barth.

419. *Putribus in foveis, atque omnia busta quiescunt. Putribus in foliis* unus Behot. *ambustaque membra quiescunt* Buslid. et Venett. *atque omnia busta quiescunt* in ceteris codd. et edd. omnibus. « Male sollicitatur hæc lectio a veteribus libris. Nostrorum nonnulli, *et circum busta quiescunt*; quod nec ipsum tamen vulgato præferam. » Barth. — *Putribus*. Cadente in cinerem lignorum structura quiescunt. Lactant.

420. *Seu forte*. Sive casu, sive voluntate Deorum.

421. *Cui torrere datum*. Subaudis Pyrrhæ, cui concessum est urere cadavera mortuorum. Lact.

423. *Seu discessuros*. Ut Seneca

Hic tenuem nigris etiamnum advivere lucem
Roboribus pariter cupidæ videre, simulque
Flebile gavisæ: nec adhuc, quæ busta, repertum,
Sed placidus quicunque, rogant, mitisque supremi
Admittat cineris consortem, et misceat umbras.
Ecce iterum fratres: primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, et novus advena bustis
Pellitur: exundant diviso vertice flammæ,
Alternosque apices abrupta luce coruscant.
Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignes

in OEdipo, vs. 321: « pugnax ignis in partes duas Discedit. » Vide ad III, de Benef. 37. Gron.

424. *Etiamnum advivere lucem. Advivere* recepit in sua editione Gronovius ex melioribus et pluribus codicibus, quum Editi haberent, *etiamnum vivere lucem*. Verbum servatum et in lapide prisco: QVI. ADVIVENTE. EO. DONO. DELPHICÆ. AREÆ. CVM. OMNI. CVLTV. EXORNATÆ. SED. ET. TESTAMENTO. DIVISIONE. EXEQVIARUM. EIVS. HONORATI. SVNT.

426. *F. g. nec adhuc, quæ busta, repertum*. Optimæ Barthii membranæ, *nec adhuc quæ busta, reperto*.

427. *Sed placidus. Sit placidus* multi codd. et edd. vett. *Sed placidus* Behot. 1, 2, Gron. Barth. et Delph.

428. *Admittat cineris consortem*. Reg. B habet, *admittit*.

429. *Ecce iterum fratres*. Sic recepit et idem Gronovius, ex optimis codicibus, et pluribus, quum Editi haberent, *Ecce iterum fratris*, etc. Aitque id esse multo vividius. Nimirum qui jam nulli esse credebantur, subito apparuerunt rursus fratres, quales fuerant, discordes et dissociabiles. En iterum specimen horum fratrum. — *Primos ut contigit artus Ignis edax*. Sil. Italic. Punic. XVI, 546 et sqq. « Nec Manes pacem passi: nam corpora junctus Una quum raperet flamma rogus, impius ignis Dissiluit, cineresque simul jacnisse negarunt. » Ad quem locum videsis not. nost. edit. t. II, p. 326. Conf. etiam notata ad vs. 572 Lucilii Junioris Ætnæ, Poet. Lat. Min. nost. edit. t. III, p. 157; et Ovid. Trist. V, 5, 33. Ed.

430. *I. e. t. r. et novus advena bustis*. Unus Behot. *novus advena busto*.

431. *Exundant diviso vertice*. In quibusdam libris Barthianis, *diverso vertice*. — *Exundant diviso vertice flammæ*. Imitatur Lucanum lib. I, 552: « Vestali raptus ab ara Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas, Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogos. »

432. *Alternosque apices*. *Alternique* unus Behot. a m. sec.

433. *Veluti commiserit ignes Orcus*. Ita rogi flamma divisa est, ut et hoc instinctu Furiarum credatur factum.

Orcus, uterque minax globus, et conatur uterque
Longius: ipsæ etiam commoto pondere paullum
Secessere trabes: conclamat territa virgo:
« Occidimus, functasque manu stimulavimus iras.
Frater erat: quis enim accessus ferus hospitis umbræ
Pelleret? en clipei fragmen, semustaque nosco
Cingula; frater erat: cernisne, ut flamma recedat,
Concurratque tamen? vivunt odia improba, vivunt.
Nil actum bello: miseri, sic dum arma movetis,
Vicit nempe Creon: nusquam jam regna: quis ardor?
Cui furitis? sedate minas: tuque exsul ubique,
Semper inops æqui, jam cede: hoc nupta precatur,
Hoc soror; aut sævos mediæ veniemus in ignes. »
  Vix ea, quum subitus campos tremor, altaque tecta
Impulit, adjuvitque rogi discordis hiatus,
Et vigilum turbata quies, quibus ipse malorum
Fingebat simulacra sopor: ruit ilicet, omnem
Prospectum lustrans armata indagine miles.

434. *Minax*. Eminens. — *Conatur uterque*. Se ab invicem separare. BERNART.

438. *F. e. q. e. a. f. hospitis* umbræ. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *umbras* — Reg. B habet hanc lect. ED.

441. *Concurratque tamen? vivunt odia improba, vivunt.* Hic versus in Reg. B desideratur. ED.

445. *Semper inops æqui*. Cui semper jus negatur.

446. *H. s. a. s. mediæ veniemus in ignes*. « In optimo codice glossa est indicans alios legere *ambæ veniemus*. Nihil mutamus. » BARTH.

447. *V. e. q. s. c. t. altaque tecta*. « Optimæ illæ et capitales membranæ non *tecta*, sed *tesca* diserte hoc loco legunt, quo pacto Papinium scripsisse omnino existimo. » BARTH. — *Campos tremor*. Id est, sceleris horrore, quo se flammæ diviserant, terræ factus est motus: et dividebantur quidem odio flammæ, sed plus disjunctæ sunt terræ: prodigiale enim monstrum exhorruit terra.

449. *Quibus ipse malorum Fingebat simulacra sopor*. *Malorum*; nempe quæ ipsos exspectabant, quod, dum somno obruti sunt, corpus Polynicis crematum fuerat, Edixerat enim Creon, hoc lib. v. 101, ne quis « ope aut flammis Argivos juvaret. » « Aut nece facta luet, numeroque explebit ademta Corpora. »

451. *Indagine*. Circuitu, circumitione. Vet. Schol. Glossarium

Illos instantes senior timet unus: at ipsæ
Ante rogum, sævique palam sprevisse Creontis
Imperia, et furtum claro plangore fatentur
Securæ, quippe omne vident fluxisse cadaver.
Ambigitur sæva de morte, animosaque leti
Spes furit: hæc fratris rapuisse, hæc conjngis artus
Contendunt, vicibusqne probant: ego corpus, ego ignes:
Me pietas, me duxit amor: deposcere sæva
Supplicia, et dextras juvat insertare catenis.
Nusquam illa alternis modo quæ reverentia verbis;
Iram, odiumque putes: tantus discordat utrimque
Clamor! et ad regem, qui deprendere, trahuntur.
At procul Actæis dextra jam Pallade muris
Juno Phoroneas inducit prævia matres

Vetus, *Indago*, investigatio. In Isidori Glossis, *Indago*, investigatio. Ductum a re venatoria, nbi *indago*, spatium retibns ad capiendas et includendas feras clausum. Lucanns lib. VI, vss. 40-42: « Magnoque recessu Amplexns fines, saltns, nemorosaqne tesqua, Et silvas vastasque feras indagine clandit. » Hic vero Scholia: continenti statione militum: dicitur enim *armata*.

452. *Senior*. Menœtes. — *Ipsæ*. Argia et Antigone.

454. *I. e. f.* c. *plangore fatentur*. Pnt. *clangore fatentur.*

456. *Ambigitur sæva*, etc. *Amtitur* Dan. Pnt. Lindenbrog. et Cruc. *Ambigitur* Behott. 1, 2, Lang. Petrens. Aldd. Basil. Plant. et recentt. — *Ambigitur*. Alii legunt, *Ambitur*. — Hanc lect. Reg. B exhibet.

458. *Contendunt*. Hunc locnm imitatur Torquatus Tassus in obsidione Hierosolymitana.

462. *Iram, odiumque*. Supple, inesse.

463. *C. e. a. r. qui deprendere, trahuntur.* Petav. Laur. Buslid. et edd. vett. *deprendere trahebant;* Put. Dan. et Behot. *deprendere trahuntur.* — Reg. B habet, *qui deprehendere trahuntur.* — *Ad regem.* Custodes trahebantur ad regem, ut dicerent quid vidissent, quasque tenerent. LACTANT. — *Trahuntur* (*trahebant*). Quidam codices *Trahuntur*, quasi tantus esset mulierum ardor, ut satellites ipsos ad regem traherent potins, quam invitæ sequerentur. Sic de perjuro Juv. Sat. XIII, 108: « Tunc te sacra ad delubra vocantem Præcedit, trahere immo ultro ac vexare paratus. »

464. *Actæis*. Quia primo Athenæ *Actæ* dictæ sunt. LACTANT.

465. *Phoroneas*. Argivas. Phoroneus rex Argivorum, qui primns Junonem honore sacrificii decoraravit.

Attonitas, non ipsa minus, cœtumque gementem
Conciliat populis, et flentibus addit honorem.
Ipsa manu ramosque oleæ, vittasque precantes
Tradit, et obtenta submittere lumina palla,
Et præferre docet vacuas sine manibus urnas.
Omnis et Actæis effusa penatibus ætas
Tecta viasque replent: unde hoc examen? et una
Tot miseræ? nec dum causas novere malorum,
Jamque gemunt. Dea conciliis se miscet utrisque
Cuncta docens, qua gente satæ, quæ funera plangant,
Quidve petant: variis nec non affatibus ipsæ
Ogygias leges, immansuetumque Creonta
Multum et ubique fremunt. Geticæ non plura queruntur

466. *Attonitas.* Hunc versum et sequentem delendos censet Guyetus. — *Cætumque gementem.* Argivarum mulierum multitudinem.

467. *C. p. e. flentibus addit honorem.* Put. *fletibus addit.* — Hanc lect. habet Reg. B. — *Honorem.* Reverentiam. LACTANT.

468. *I. m. rq. o. vittasque precantes.* Dan. *vittasque precantis.* — *Ramosque oleæ, vittasque precantes.* Supplicantium more, qui ferebant in manibus ramum oleæ lana obvolutum. Cæteri Græci hunc ramum sic adornatum vocabant ἱκετηρίαν; Athenienses vero εἰρεσιώνην.

469. *Obtenta.* Obducta, seu apposita. LACTANT.

470. *Præferre.* Majus efferre. — *Sine manibus.* Reliquiis cadaverum.

471. *Omnis et Actæis.* *Omnis Erichtheis* duo Barthiani et Put. et sic ex optimis membranis corrigi jussit Nic. Heinsius in Advers. lib. IV, cap. 2, p. 574. — Hanc lect. habet Reg. C. En.

472. *Una.* Pariter trunco sermone, inarticulata voce, seu semipleno sermone. LACTANT.

473. *Causas novere malorum.* Buslid. *movere.* Posses cogitare, *nec dum causæ movere malorum, Jamque gemunt.* Sed non sollicito vulgatam. Statim autem, invitis licet omnibus libris, lege, *Dea conciliis se miscet utrisque*; id est, cœtibus: non *consiliis.* GRON.

474. *J. g. D. c. se miscet utrisque*, Reg. B exhibet, *sic miscet utrisque.* — *Jamque gemunt.* A natura enim insitum est moveri misericordia ad visum insignis calamitatis, et aliena mala plerumque e nostris oculis lacrimas eliciunt.

475. *C. d. q. g. s. quæ funera plangant.* Unus Behot. *funera plangunt.*

478. *M. e. u. f. g. n. plura queruntur.* Idem codex pro v. l. habet, *plura loquuntur.* — *Geticæ.* Thraciæ. Quia Procne in Thracia con-

Hospitibus tectis trunco sermone volucres,
Quum duplices thalamos, et iniquum Terea clamant.
Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum: mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquam
Illa novo: nulla damnavit vota repulsa.
Auditi, quicunque rogant; noctesque, diesque
Ire datum, et solis numen placare querelis.
Parca superstitio: non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis, lacrimis altaria sudant,
Mœstarumque super libamina serta comarum

versa dicitur io hiruodinem. Iode hirundiues *Thraciæ* dicuotur. Proverbium est nolissimum, « Hirundioe loquacior. » Nolissima esl fabula, quam apud Ovidium narratam reperies. Apollodorus lib. III, compeodio narrat omnia.

479. *Hospitibus tectis.* Hirundines eoim sunt volucres advenæ. — *Trunco.* Qoia Tereus Philumelæ, quæ postea in hirundinem motata fuit, linguam præciderat, oe iojuriam sibi ab eo illatam proderel. — *Volucres.* Hirundioes.

480. *Duplices thalamos.* Tereus enim stuprum intulerat Philomelæ, suæ uxoris Procnes sorori. Nota fabula. Hinc *duplices thalami.*

481. *Urbe media n. e. p. A. D.* Ut ab omnibus nullo negotio adiri posset. — *Nulli concessa potentum Ara Deum.* Græci hos vocabant θεοὺς δυνατοὺς, καὶ μεγάλους, καὶ ἐνδυνάτους. Hi erant Dii Majores, quos hoc disticho Eunius comprehendil : « Juoo, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercorios, Juvis, Nepluoos, Vulcanus, Apollo. »

482. *Mitis posuit Clementia sedem.* Hanc *aram misericordiæ* nominal Cicero in Tusc. Quæst. Celebravit el Claudianus de Bello Gildonico, XV, 405 : « Si flentibus aram Et proprium miseris numen statuistis, Athenæ. » Vide Eumenium in oratione pro reparandis Scholis.

483. *Et miseri fecere sacram.* Confugiendo scilicet ad hanc aram, et ibi reperiendo solatium suis calamilatibus.

484. *I. n. nulla damnavit vota repulsa.* Optimus codex Barthii, *nulli damnavit;* quod ille probat. — *Vota repulsa.* Quia illa nunquam miserorum vota contemsit. Lactant.

486. *Ire datum, et solis numen placare querelis.* In Reg. B vox ista *et* abest. — *Placare querelis.* Nullo sacrificio, nec sumptuosis litationibus, sed solis miserorum lacrimis, pietale opolentum numen placari consuevit. Lactant.

489. *Mq. s. libamina serta comarum* Put. et duo Barthiani : *libamina secta.* Vide Heins. ad Ovid. t. I, p. 498. — Haec lecl. habet Reg. B. — *Libamina serta comarum.* In

Pendent, et vestes mutata sorte relictæ.
Mite nemus circa, cultuque insigne verendo
Vittatæ laurus, et supplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deæ, mentes habitare et pectora gaudet.
Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus; ignotæ tantum felicibus aræ.
Fama est, defensos acie, post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.
Fama minor factis: ipsos nam credere dignum
Cælicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ,
Ceu leges, hominemque novum, ritusque sacrorum,

luctu enim et calamitate secti crines. Sertis autem ac coronis aras ornari, ac floribus conspergi, notissimum ex scriptoribus et poetis.

490. *Vestes mutata sorte relictæ.* Vestes etiam mutatæ in luctu et insigni calamitate.

491. *Mite nemus.* Quia non est austeritate numinis terribile. — *Insigne verendo.* Pro insigniter reverendo. Lactant.

494. *Forma Deæ. Forma Dei* Put. et Behott. 1, 2. — Hanc lection. habet Reg. B. — *Mentes habitare et pectora gaudet.* Conf. Ovid. ex Ponto, lib. III, Epist. VI, v. 26 et sqq. et Claud. XII, de Laudib. Stilich. lib. II, v. 13. Ed.

497. *Fama est, defensos acie.* Put. Busl. Lips. et edd. vett. *defessos acie. Fama est, defensos acie, post busta paterni Numinis.* Herculis liberi, post mortem patris, pulsi patria ab Eurystheo, et rejecti ab omnibus Græciæ civitatibus ejusdem metu, tandem Athenas confugerunt, auxilium ab Atheniensibus petituri. Athenienses illos benigne receperunt, et Eurystheum cum magnis copiis venientem ad eos repetendos, egressi ex urbe, commisso prælio fuderunt. In hoc prælio Eurystheus ab Hyllo Herculis filio occisus est. Ipse itaque Hyllus ac fratres hanc aram Athenis condiderunt, tam ut esset monumentum accepti ab Atheniensibus beneficii, quam ut esset etiam in posterum miseris asylum ac perfugium; affirmantes misericordiam nullibi quam Athenis sedem posuisse.

499. *Credere dignum.* Minus dicit quam res habet. Lactant.

500. *Cælicolas.* Intelligit Minervam, Cererem ac Themidem, quæ religiosissime colebantur ab Atheniensibus. — *Tellus quibus hospita semper Athenæ.* Apud Liv. l. XXXI, 30, Atheniensium legati, « urbem colentes Deos et præsidem arcis Minervam » laudant. Carm. in Athenas et alias urbes « Hasne Dei, dices, cælo petiere relicto. » ad quem versum vide quæ notata sunt Poet. Lat. Min. t. IV, p. 534. Ed.

501. *C. l. hq. n. ritusque sacro-*

Seminaque in vacuas hinc descendentia terras,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul starent iræque, minæque,
Regnaque, et a justis Fortuna recederet aris.
Jam tunc innumeræ norant altaria gentes.
Huc victi bellis, patriaque e sede fugati,
Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes

rum. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Crnc. *rituque sacrorum.* — *Seu leges, hominemque novum.* Ciceronem videtur æmulatus Papinius ex oratione pro Flacco : « Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ sunt, atque in omnes terras distributæ. » Aristoteles autem non sine morsu dixit, Athenienses frumenta et leges invenisse, at eos frumentis uti, non legibus. Per *hominem* autem *novum* intelligit Poeta doctrinam morum, qua feri hominum mores in mitiores mutantur.

503. *Sic sacrasse loco.* Ovidius de Athenis ad quas venit Invidia, Met. II, 796 : « Ingeniis opibusque et festa pace virentem, Vixque tenet lacrimas, quia nil lacrimabile cernit. » Lactant. — *Commune animantibus ægris. Animantes* sunt homines. Sic Avienus Descript. Orbis terræ, v. 4 : « Oppida nituntur, genus hoc procul omne animantum ; » ad quem locum videsis notata, Poet. Lat. Min. nost. edit. t. V, p. 97 et 98; et de hac voce ampliora legere si velis, adi notata ad Silv. III, 2, 61 ; nost. edit. t. I, p. 329, 330 et 331. Ed.

505. *Fortuna recederet aris.* Ut ne casus quidem læderet, qui ad has aras confugissent ; quamvis meliorem fortunam debemus accipere regis, aut potentioris fortunæ viri : et vult hoc loco intelligi Poeta, nulla vi potentum religionem hujus aræ posse perfringi. Lactant.

506. *Jam tunc innumeræ norant altaria gentes.* Innuit plurimis etiam longinquis populis hanc aram fuisse cognitam, et saluti. Aristides propriam Atheniensium laudem esse ait, quod omnibus infelicibus perfugio ac solatio esset : τὴν τῶν πανταχόθεν δυστυχούντων ὑποδοχὴν καὶ παραμυθίαν. Panath. et 2 de Pace ; Τοῖς καθ' ἑκάστους ἀτυχοῦσι κοινὴ πᾶσιν ὕπεστιν εὐτυχία τὸ τῆς πόλεως ταύτης ἦθος ὑφ' οὗ σώζονται : « His, qui ubivis locorum infelices sunt, communis est felicitas bonitas civitatis Atheniensis, per quam salutis compotes fiunt. » Apud Xenophontem Patrocles Phliasius in oratione quam Athenis habebat : Ἐζήλουν τήνδε τὴν πόλιν, ὅτι πάντας καὶ τοὺς ἀδικουμένους ἐνθάδε καταφεύγοντας ἐπικουρίας δεομένους ἤκουον τυγχάνειν : « Laudabam hanc urbem, quod omnes aut injuria affectos, aut sibi præmetuentes, si huc perfugissent, auxilii compotes fieri intellexeram. » Idem sensus in Epistola Demosthenis pro Lycurgi liberis.

507. *Huc victi bellis, patriaque e sede fugati.* Reg. B habet, *patriaque a sede fugati.* Ed.

Conveniunt, pacemque rogant: mox hospita sedes
Vicit et OEdipodæ Furias, et funus Olynthi
Texit, et a misero matrem submovit Oreste.
Hunc vulgo monstrante locum, manus anxia Lernæ
Deveniunt: cedit miserorum turba priorum.
Vix ibi sedatis requierunt pectora curis:
Ceu patrio, super alta, grues Aquilone fugatæ
Quum videre Pharon; tunc æthera latius implent,
Tunc hilari clangore sonant; juvat orbe sereno

509. *C. pq. r. mox hospita sedes.* Optimæ Barthii membranæ, *deinde hospita sedes;* Put. *mox aspita sedes.* — *Mox.* Quia nondum erat factum.

510. *Vicit et OEdipodæ Furias, et Funus Olynthi.* Barthius tentabat, *mox hospita sedes Vicit, et a misero matrem submovit Oreste, Texit et OEdipodæ Furias, et funus Olynthi.* — *OEdipodæ Furias.* OEdipus expulsus patria a Creonte, Athenas confugit in Colonum, in quo lucus erat Furiis dicatus; sed Atheniensium misericordia illâ sede eductus fuit, et hospitaliter et humanissime tractatus. Vide Sophoclem in OEdipo Epicolono. — *Et funus Olynthi.* Hæc urbs erat sub imperio Atheniensium; sed Philippo Macedoni se dederat, auctoribus Lasthene et Eutycrate, ob quam culpam civitatem evertere Atheniensibus placuit, quo a civibus comperto, ad aram Misericordiæ confugerunt, et veniam impetrarunt. Hæc Lactantius. Alii tamen scriptores ab Atheniensibus eversam fuisse tradiderunt. Cæterum hæc urbs notissima ex orationibus Demosthenis, quæ *Olynthiæ* vocantur. Ponitur a Mela inter Athon montem, et Pallenem, viginti stadiis a Meciberna, ut tradit Suidas. Hujus quoque Plinius et Orosius mentionem fecerunt. Thraciæ urbem maximam vocant Xenophon et Libanius.

512. *Hunc vulgo monstrante locum.* *Huc vulgo* Put. — Reg. B eamdem lect. habet. Ed. — *Manus anxia Lernæ.* Argivæ.

513. *Deveniunt : cedit miserorum turba priorum.* — eodem codice, *cedunt miserorum.* — Reg. B eamdem habet lect. Ed.

514. *Vix ibi sedatis requierunt pectora curis.* *Vix ibi: sedatis,* etc. legit Barthius. — *Vix ibi.* Supple, sederunt.

515. *Patrio grues Aquilone.* Hæ aves calorem pariter et frigus fugiunt: nam hieme in Ægyptum et calidiores terras avolant, æstate vero Notorum calorem fugiunt, et in Thraciam revertuntur. Cicero de Nat. Deor. lib. II; Strabo lib. I. — Servius in Æneid. X, 265, ad quem locum confer etiam ab Heynio enarrata, nost. edit. tom. IV, pag. 125. Ed.

516. *Pharon.* Id est, Ægyptum, a Pharo insula prope Alexandriam.

517. *T. h. c. s. juvat orbe sereno.* Put. *juvat ore sereno.* — Reg. B eamdem lect. præbet. Ed.

Contemsisse nives, et frigora solvere Nilo.
Jamque domos patrias, Scythicæ post aspera gentis
Prælia, laurigero subeuntem Thesea curru
Lætifici plausus, missusque ad sidera vulgi
Clamor, et emeritis hilaris tuba nuntiat armis.
Ante ducem spolia et duri Mavortis imago,
Virginei currus, cumulataque fercula cristis,

519. *Scythicæ gentis.* Amazonum: Amazones enim ex Scythis originem ducebant, teste Justino lib. II, cap. 4. Idem Justinus, ut et Philochorus, et alii apud Plutarchum, referunt Theseum comitatum fuisse Herculem ad expeditionem Amazonum, atque ad Pontum usque Euxinum navigasse, et virtutis præmium Antiopen accepisse. Sed Pherecides, Hellanicus, aliique, Theseum, post Herculem, propriis navibus navigasse ac Antiopam rapuisse scribunt. Bion vero non vi, sed astu abductam tradit: quum enim Theseus ad littus Amazonum applicuisset, illæ, ut quæ naturaliter homines amarent, et nihil hostile metuerent, non solum non fugerunt, sed etiam dona ipsi miserunt per Antiopen; quæ quum invitata a Theseo, in navem ipsius conscendisset, statim solvere jussit Theseus, ac sic eam rapuit. Hæc causa fuit gravissimi belli: Orithyia enim earum regina, ubi comperit raptorem esse Atheniensium regem, cum magno exercitu Athenas petivit, et occupata magna urbis parte, ac acie instructa, sinistrum cornu Atheniensium gradu moverunt Amazones, sed a dextro cornu fugatæ fuerunt magna accepta clade, ac in castra repulsæ, et tandem ægre victæ.

520. *Laurigero subeuntem Thesea curru.* Describit Poeta triumphalem ingressum in urbem Athenarum, ex more Romano, poetica licentia et lascivia.

522. *Hilaris tuba.* Non bellica, sed festivalis. Vet. Schol. Calpurnius Ecl. I, v. 67. « Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis Inter sacra tubas, non inter bella, sonare. » De *triumphalibus tubis* triplici in pompa loco prodeuntibos notavit doctiss. Panvinius lib. de Triumpho. Ad differentiam alterius *civilis tuba* dicitur P. Chrysologo Serm. IX. BARTH.

523. *Ante ducem spolia*, etc. Arma enim hostium in triumpho ferebantur, ut notum est.

524. *Cumulataque fercula cristis.* Ferculum proprie instrumentum est in quo quid fertur; ipsas sæpe res designat, quæ ferri solebant in pompa triumphali. Seneca ait eum nunquam in triumpho ductum iri, qui mortem audeat contemnere, Herc. Æt. act. I, v. 110: « nec pompæ veniet nobile ferculum. » Sic etiam Livius his verbis, lib. I, cap. 10: « ipse exercitu victore reducto, quum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium cæsi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit, ibi-

Et tristes ducuntur equi, truncæque bipennes,
Quis nemora et solidam Mæotida cædere suetæ,
Corytique leves portantur, et ignea gemmis
Cingula, et informes dominarum sanguine peltæ.
Ipsæ autem nondum trepidæ, sexumque fatentur,
Nec vulgare gemunt, aspernanturque precari,
Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ.
Primus amor niveis victorem cernere vectum
Quadrijugis, nec non populos in semet agebat
Hippolyte, jam blanda genas, patiensque mariti

que ea quum ad quercum pastoribus saerum deposuisset, ete. ad quem loe. vide not. n. Liv. I, p. 40.

525. *Et tristes ducuntur equi, truncæque bipennes. Et tristis d. e. t. bipennis* Rom. — *Tristes.* Quasi sentieutes dominarum ealamitatem. — *Ducuntur equi.* Equi etiam in triumpho ducti. — *Truncæque bipennes.* Hinc *Amazonia securis* Horatio IV, Od. 4. Hine Plinius Hist. Nat. VII, cap. 56, hujus inventionem tribuit Penthesileæ Amazonum reginæ. Plutarchus Rerum Græcarum cap. 45, tradit Hereulem, vieta Hippolyte Amazonum regina, securim ejus Omphalæ dono dedisse, omnesque Lydorum reges hanc, ut rem sacram, gestasse usqne ad Candaulem. Et fere omnes poetæ, quando de Amazonibus loquuntur, Secnris Amazoniæ mentionem faciunt. Alii quoque populi securibus utebantur, et nune utuntur.

526. *Solidam Mæotida.* Intelligit Mæolin paludem hieme congelascentem, Tanaim innumerosque fere fluvios recipientem. Hodie voeatnr *mare d'elle Zabache.* — *Solidam.* Conglaciatam. — Claud. III, in Rufinum lib. I, 312: « cæsamque bibens Mœotida Alanus. » Glacies qua Mœotis erat tecta, bipennibus erat cædenda et solvenda, ut potum sibi compararent. Confer Ovid. Trist. III, 10, 26. Ed.

527. *Cq. l. p. et ignea gemmis.* Unus Behot. et *ignea flammis.* — *Et ignea gemmis Cingula.* Innnit balteos, quos auro et gemmis Veteres exornabant. Claud. II, de Raptu Proserpinæ, v. 94: « Parthica quæ tantis variantur eingula gemmis Regales vinctura sious. » Auratos vero balteos poetæ et seriptores sæpius memorant.

529. *Ipsæ autem nondum trepidæ, sexumque fatentur.* Pnt. *sexuque;* nnns Behot. plerique et edd. vett. *sexumve.*

531. *Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ.* Apposite ad mores Amazonnm, quæ arma perpetno traetahant, et innnptam vitam agebant.

532. *P. a. n. v. cernere vectum.* Put. *cernere victum.* — Hanc lect. habet Reg B. Ed.

534. *Hippolyte.* Sic etiam vocat eam Clidemus vetus historiographns. Alii vero, ut Plutarchus Theseo, Seneca Tragicus Hippolyto,

Fœderis : hanc patriæ ritus fregisse severos
Atthides obliquæ secum mirantur operto
Murmure : quod nitidi crines, quod pectora palla
Tota latent, magnis quod barbara semet Athenis
Misceat, atque hosti veniat paritura marito.
  Paullum et ab insessis mœstæ Pelopeides aris
Promovere gradum, seriemque et dona triumphi
Mirantur, victique animo rediere mariti.
Atque ubi tardavit currus, et ab axe superbo
Explorat causas victor, poscitque benigna
Aure preces, ausa ante alias Capaneia conjux :
  « Belliger Ægide, subitæ cui maxima laudis
Semina de nostris aperit Fortuna ruinis,
Non externa genus, diræ nec conscia noxæ,
Turba sumus : domus Argos erat, regesque mariti,
Non utinam et fortes : quid enim septena movere

et Isaacius, hanc apellant Antiopam. — *Mariti fœderis.* Sic *lege marita* apud Horatium.

535. *Patriæ ritus.* Quod nupserit.

536. *Atthides obliquæ. Alchides* Put. — Hæc lect. in Reg. B invenitur. — *Obliquæ.* An invidæ.

537. *Nitidi crines.* Non enim crines comebant Amazones. — *Quod pectora palla Tota latent.* Nudatum enim pectus ferebant Amazones.

539. *Misceat, atque hosti veniat paritura marito.* In eodem Put. scripto : *veniat placitura marito.* Eadem lect. in Reg. B invenitur. Ed.

540. *Insessis.* Bene ; nam in aris considere mos supplicum, et eorum, qui tutelæ suæ causa confugiebant ad Deum aras. Lysias Apologia : ἱκέται ἐπὶ τὸν βωμὸν ἐκαθίζοντο. « Supplices in ara consederunt. » Sic Themistocles confugiens ad Admetum Molossorum regem, capto ipsius regis filio, ad aram, seu focum se conjecit, ibique consedit. Sic index ille, qui Pausaniam regem prodidit, confugit ad fanum Neptuni, quod erat Tænari, et in ara consedit. Mos notissimus ex scriptoribus.

542. *Mirantur, victique animo rediere mariti.* In duobus codd. Barthii, *vestique animo.*

543. *Atque ubi tardavit currus.* Reg. B habet, *atque ibi tardavit currus.* Ed.

544. *Victor.* Theseus. — *Poscitque.* Id est, exspectat.

545. *Capaneia conjux.* Evadne. Pausanias tamen Atticis scribit Thesei operam non ab ipsis viduis, sed ab ipso Adrasto, petitam.

546. *Subitæ.* Id est, inopinæ, et non exspectatæ.

550. *Non utinam et fortes : quid*

Castra, et Agenoreos opus emendare penates?
Nec querimur cæsos: hæc bellica jura, vicesque
Armorum: sed non Siculis exorta sub antris
Monstra, nec Ossæi bello cecidere bimembres.
Mitto genus, clarosque patres; hominum, inclyte Theseu,
Sanguis erant, homines, eademque in sidera eosdem
Sortitus animarum, alimentaque vestra creati,
Quos vetat igne Creon, Stygiæque a limine portæ,
Ceu sator Eumenidum, aut Lethæi portitor amnis,
Submovet, ac dubio cælique Erebique sub axe
Detinet. Heu princeps natura! ubi numina? ubi ille
Fulminis injusti jaculator? ubi estis, Athenæ?
Septima jam surgens trepidis Aurora jacentes
Aversatur equis: radios declinat, et horret
Stelligeri jubar omne poli: jam cominus ipsæ

enim septena movere. Non utinam fortes unus Behot. Dan. Petav. Colin. et Plant. *Non utinam et fortes* Lang. Buslid. alter Behot. Venett. 3, 4, et recentt.—Reg. B exibet, *N. u. e. f. quid enim septena moveri.* Ed.

551. *C. e. A. opus emendare penates?* Behot. 1, *opus est mandare nepotes;* rescriptum vero *emendare*, interpolata dictione. — *Agenoreos.* Thebanos.

553. *Sed non Siculis exorta sub antris Monstra.* Innuit Cyclopes antra in Sicilia incolentes.

554. *Monstra, nec Ossæi bello cecidere bimembres. Assæi bello.* Dan. — *Ossæi bimembres.* Centauros intelligit, qui Ossam montem Thessaliæ incolebant.

555. *Mitto genus.* Non dicam de cognatione nobilissima et genere. — *Hominum.* Humanitatem omnem exuerunt Thebani. In hoc enim repetita hominum appellatione inducere volunt Theseum. Vet. Schol.

556. *Eademque in sidera.* Alii legunt solum *sidera*, non *in sidera.*

557. *Alimenta.* An elementa.

558. *Stygiæ portæ.* Inferorum.

559. *Sator Eumenidum.* Acheron fluvius Inferorum. — *Lethæi portitor amnis.* Charon.

561. *D. H. p. n. ubi numina? ubi ille.* Reg. B præbet, *ubi numina? ubi ille est?* Ed. — *Princeps natura.* Omnium rerum creatrix. — *Ubi numina? ubi ille Fulminis injusti jaculator.* Sic in rebus adversis in Deos invehebantur Veteres. — *Injusti.* Quia maritum Capaneum fulmine percusserat, vel quia Creontem tam iniquum hominem vivere sinebat.

565. *S. j. o. p. jam cominus ipsæ.* « Optimæ duæ membranæ diserte scribunt, *jamque eminus ipsæ;*

Pabula dira feræ, campumque odere volucres
Spirantem tabo, et cælum, ventosque gravantem.
Quantum etenim superesse rear? nuda ossa, putremque
Urere permittat saniem : properate, verendi
Cecropidæ : vos ista decet vindicta, priusquam
Emathii, Thracesque volent, quæque exstat ubique
Gens arsura rogis, manesque habitura supremos.
Nam quis erit sævire modus? bellavimus: esto;
Sed cecidere odia, et tristes mors obruit iras.
Tu quoque, ut egregios fama cognovimus actus,
Non trucibus monstris Sinin infandumque dedisti

quam lectionem omnino probo : et videtur ipse eam poscere supra vs. 248. « Barth.

568. *Quantum etenim superesse rear? nuda ossa, putremque.* « Et hic variant scripti illi duo libri, referentes : *Quantum etiam.* » Barth. Reg. B habet, *Quantum etenim superesse rear? nuda ossa, putresque.* Ed. — *Quantum etenim*, etc. Hunc versum et quatuor sequentes suppositiitios esse vult Guyetus.

569. *Urere permittat saniem. Vertere permittat* Dan. — Reg. B exhibet, *Urere permittant saniem.*

570. *Cecropidæ.* Athenienses, a Cecrope rege.

571. *Emathii.* Macedones : Macedonia enim prius Emathia vocata. — *Thraces.* Vide Theb. V, v. 53. — *Volent.* Id est, advolent, seu accurrant, ulturi tam infandum facinus.

572. *Gens arsura rogis.* Quia non omnes populi mortuorum corpora cremabant : Persæ enim et Ægyptii nefas putabant mortuos comburere, ob rationes quas Herodotus refert, agendo de his populis.

573. *Sævire.* Pro sæviendi.

574. *Sed cecidere odia, et tristes mors obruit iras.* Euripides Supplicibus : Εἰ γάρ τι καὶ πεπόνθατ᾽ Ἀργείων ὕπο, Τεθνᾶσιν, ἠμύνασθε πολεμίους καλῶς. « Fecere vobis si quid Argivi male, cecidere, in hostes ista vindicta est satis. » Eamdem causam reddit Optatns Millevitanns : « Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra, vel mors aliena compescat. Jam tacet cnm quo litigabas. » Dio Chrysostomus Oratione de Lege : Διὰ τοῦτον τοὺς ἀποθανόντας οὐδεὶς ἔτι πολεμίους κρίνει, οὐδὲ τὴν ἔχθραν καὶ τὴν ὕβριν εἰς τὰ σώματα αὐτῶν ἐπιδείκνυται. « Propter hanc mortuos nemo judicat hostes, neque ira, neque injuria in eorum corpora extenditur. »

576. *Sinin.* Sinis insignis latro et crudelissimus, qui Isthmum obsidebat Corinthiacum, ubi viatores observabat, quosque capere poterat arctissimis vinculis ad ramos diversarum pinorum, vi ad terram usque curvatos, alligabat : mox redeuntibus in priorem locum ramis, ii miserum in modum discerpebantur ac distrahebantur. Ovidius Met. VII, v. 440 : « Occidit

Cercyona, et sævum velles Scyrona crematum.
Credo et Amazoniis Tanain fumasse sepulcris,
Unde hæc arma refers : sed et hunc dignare triumphum.
Da terris unum, cæloque, Ereboque laborem :
Si patrium Marathona metu, si tecta levasti
Cressia, nec fudit vanos anus hospita fletus.
Sic tibi non ullæ socia sine Pallade pugnæ,
Nec sacer invideat paribus Tirynthius actis,
Semper et in curru, semper te mater ovantem
Cernat, et invictæ nil tale precentur Athenæ. »
Dixerat : excipiunt cunctæ, tenduntque precantes

ille Sinis, magnis male viribus usus, Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus. » Occisus tandem fuit a Theseo. Vide Plutarchum in Theseo, Pausaniam Corinthiacis, et alios — *Dedisti*. Supple, *laniandum*, vel *vorandum*.

577. *Cercyona*, et *sævum velles Scyrona crematum*. *Scyrona creatum* Aldd. Colin. et Basil. *Scyrona cremari* Behot. 1, postremis literis rescriptis. — Reg. B habet, *Cergyon*, et *sævum velles Cirona crematum*. Eu. — *Cercyona*. Cercyon insignis etiam latro Atticæ regionis, quem Theseus interfecit. — *Scyrona*. Vide Theb. I, 333. — *Crematum*. Hunc enim e petra in mare præcipitaverat Theseus.

578. *C. e. A. Tanain fumasse sepulcris*. *Tanai fumasse* Put. Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Tanan fumasse* Behot. 1; *Tanain fumasse* Dan. Behot. 2, Gevart. Barth. et Delph. — *Tanain*. Tanais fluvius Scythiæ, disterminans Europam ab Asia : influit in paludem Mæotin.

580. *Unum cæloque Ereboque laborem*. Dii enim superi et inferi lege Creontis offenduntur.

581. *Patrium Marathona metu*. Ob occisum leonem Marathonium. — *Patrium*. Quia Marathon locus in Attica. — *Si tecta levasti Cressia*. Occiso scilicet Minotauro.

582. *Anus hospita*. Hecale, quæ Theseum adolescentem hospitio recepit. Unde sacrum *Hecalesion* per pagos celebre fuit Hecalo Jovi, non sine ipsius Hecales honoribus. Quam etiam *Hecalenem* diminutiva forma vocabant, quoniam ipsa quoque adolescentem Theseum salutare aniliter, et hujusmodi excipere diminutivorum blanditiis consuevisset. Vide Plutarchum Theseo. Cæterum de ea justum poema Callimachus fecisse dicitur.

584. *Sacer*. Id est, magnus, vel jam cælo consecratus. Sic sacer morbus, qui et Herculeus.

586. *Athenæ*. Nil tale patiantur, quale nunc misera nostra patria. Hoc est, ut in expeditione pro nobis eas, et victor triumphans revertaris. Vet. Schol.

Cum clamore manus: rubuit Neptunius heros
Permotus lacrimis: justa mox concitus ira
Exclamat: « Quænam ista novos induxit Erinnys
Regnorum mores? non hæc ego pectora liqui
Graiorum abscedens, Scythiam pontumque nivalem
Quum peterem: novus unde furor? victumne putasti
Thesea, dire Creon? adsum: nec sanguine fessum
Crede: sitit meritos etiamnum hæc hasta cruores.
Nulla mora est: verte hunc adeo, fidissime Phegeu,
Cornipedem, et Tyrias invectus protinus arces
Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis. »
Sic ait, oblitus bellique viæque laborum,
Hortaturque suos, viresque instaurat anhelas.

568. *Neptunius heros*. Theseus enim Neptuno genitus creditus.

589. *Permotus lacrimis: justa mox concitus ira*. *Pæne movens lacrimas* optimæ Barthii membranæ. *Justa mox* in quibusdam codd. Lindenbrogii. — Reg. habet, *Permotus lacrimis: justa mox conditus ira*.

592. *Pontumque nivalem*. Pontum Euxinum.

593. *Q. p. n. u. f. victumne putasti*. Reg. B habet, *victumne putetis*. Ed.

595. *Sitit*. Loquendi usu militari, ut Pyrgopolynices Plautinus Mil. Gl. Act. I, 1, 5: « Nam hanc ego mihi machæram consolari volo, Ne lamentetur, neve animum despondeat, Quia se jampridem feriatam gestitem, Quæ misera gestit fartum facere ex hostibus. » BARTH.

596. *Nulla mora est: verte hunc adeo, fidissime Phegeu*. Unus Behot. *verte hunc adeo*; Behot. 2, *verte hinc adeo*. Behot. 1, *fidissime Pegeu*; Behot. 2, *fidissime Plegeu*; optimus Barthianus, *f. Phlegeu*.

597. *Cornipedem, et Tyrias invectus protinus arces*. « Idem liber optimus, *Tyriasque*; quod ad properationem concinnius est. » BARTH. — Reg. B. habet, et *Tyriàs invictus protinus arces*.

598. *Aut Danais edice rogos*. Reg. B habet, *Aut Danais edico rogos*. Ed. — *Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis*. In Supplicibus Euripidis Theseus caduceatori eadem dat mandata ad Creontem. Conditionata est hæc denuntiatio, sicut illa apud Livium lib. VIII: « Eam se injuriam, nisi ab ipsis qui fecerint dematur, ipsos omni vi depulsuros esse. » Et apud Tacitum Annal. I: « Ni supplicium in malos præsumant, usurum promiscua cæde. » Similis denuntiatio est in Amphitryone Plauti initio. Vide et Cromerum 21. Polybius hoc vocat, ῥύσια καταγγέλλειν, Romani veteres *condicere*.

Ut modo connubiis taurus, saltuque recepto,
Quum posuit pugnas; alio si forte remugit
Bellatore nemus, quanquam ora et colla cruento
Imbre madent, novus arma parat, campumque lacessens
Dissimulat gemitus, et vulnera pulvere celat.
Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam
Pectoris, incussa movit Tritonia parma.
Protinus erecti toto simul agmine, Thebas
Respexere angues: nec dum Atticus ire parabat
Miles, et infelix expavit classica Dirce.
 Continuo in pugnas haud solum accensa juventus,
Qui modo Caucasei comites rediere triumphi;
Omnis ad arma rudes ager exstimulavit alumnos.
Conveniunt, ultroque ducis vexilla sequuntur,
Qui gelidum Braurona viri, qui rura lacessunt
Munychia, et trepidis stabilem Piræea nautis,
Et nondum Eoo clarum Marathona triumpho.
Mittit in arma manus, genialibus hospita Divis

606. *Metus Libycos.* Angues capitis Medusæ, quæ erat Libyca, seu Africana. — *Servatricemque Medusam.* Caput Medusæ in media ægide, seu thorace Pallas gerebat.

612. *Caucasei.* Amazonii, quia Amazones Caucasum montem incolebant, de quo vide Theb. IV.

615. *Qui gelidum Braurona. Qui gelidam Baurona* unus Behot. — *Gelidum Braurona.* Brauron Atticæ oppidum, ubi Brauronia Diana colebatur. Epithetum *gelidi* refert Cruceus ad simulacrum ex frigida Taurorum regione illuc ab Iphigenia delatum. Pausanias Atticis.

616. *Munychia, et trepidis stabilem Piræea nautis. Monicia et trepidis stabilem Pireia* uterque Behot. — *Munychia.* Vide Theb. II, 252.— *Piræea.* Piræus portus Athenarum. Erant et alii portus Atheniensium. In Munychia unus: in Phalero alter. Thucyd. lib. I, Strabo lib. VIII. Distabat ab urbe 40 stadiis, cui tandem conjunctus fuit a Themistocle utili fabrica, quam *longos muros* Thucydides et Strabo vocant. Vide et Pausaniam Atticis, et Scholium Aristophanis in Pace.

617. *Eoo*: Persico; Persæ in hoc campo postea victi fuerunt ab Atheniensibus.

618. *Mittit in arma manus, genialibus hospita Divis.* Put. *gentilibus hospita Divis.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Genialibus Divis. Geniales Deos*, ut inquit Festus, dixerunt aquam, terram, ignem et aerem, quæ Græ-

Icarii, Celeique domus, viridesque Melænæ,
Dives et Egaleos nemorum, Parnesque benignus
Vitibus, et pingui melior Lycabessos oliva.
Venit atrox Ileus, et olentis arator Hymetti,
Quæque rudes thyrsos hederis vestistis, Acharnæ.
Linquitur Eois longe speculabile proris
Sunion, unde vagi casurum in nomina ponti
Cressia decepit falso ratis Ægea velo.

corum alii στοιχεῖα, alii σπέρματα vocant. Duodecim quoque signa, lunam et solem inter eos Deos numerabant. Græcis Θεοὶ γενέθλιοι. Vocabatur et Jupiter γενέθλιος quod gignendis liberis præesse credebatur. Et Ποσειδῶν, seu *Neptunus*; γενέθλιος dicitur Apollo. — Vide p. 400, tom. I, Stat. nost. Eo.

619. *Icarii*. De Icario supra. Locus in Attica sic dictus. — *Celeique domus*. Celeus Triptolemi pater Cererem quærentem Proserpinam hospitio recepit. — *Melænæ*. Melænæ vicus in Attica in tribu Antiochide. — *Virides*. Ob prata, vel nemora.

620. *Dives et Egaleos nemorum, Parnesque benignus*. *Dives et Egeos* in eodem Put. libro. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Egaleos*. Mons Atticæ. — *Parnes*. Ejusdem Atticæ mons.

621. *Lycabessos*. Mons ejusdem Atticæ.

622. *Venit atrox Ileus, et olentis arator Hymetti*. *Venit atrox Aleus* unus Burmanni et uterque Behott. *Venit atrox Oleus* alter ejusdem Burmanni. *Venit atrox Alaeus* legit Adrian. Heringa in Obss. Misc. Nov. tom. III, p. 975. — Reg. B habet, *Venit atrox Alecus*. Reg. C, *Venit atrox Alcus*. Ed. — *Ileus*. Gentis Atheniensis nomen. — *Hymetti*. Hymettus mons Atticæ, apibus et mellis copia abundans, quod *Hymettium* vocabatur, unde *olens* dicitur.

623. *Acharnæ*. Oppidum Atticæ. In hoc loco hederam apparuisse refert Pausanias Atticis: unde *thyrsos hederis vestisse* dicuntur. Et poeta Græcus Antipater in Sophoclem, tragœdiarum scriptorem, noto Epigram., Ἀχαρνίτην, hoc est, *Acharnensem*, per epitheton hederam nominavit. In hoc loco primum Dionysia et inventa, et celebrata dicuntur.

624. *Eois*. Ex Oriente venientibus. — *Speculabile*. Quia promontorium celebre, et eminens.

625. *Sunion*. Vicus et promontorium celebre Atticæ regionis, quod est in extrema Helladis parte, supra Athenas et Marathonem. — *Unde vagi casurum in nomina ponti Cressia decepit falso ratis Ægea velo*. Tangit fabulam qua dicitur Ægeus, Thesei pater, ex hoc promontorio se præcipitem in mare egisse, quod inde *Ægæum* est appellatum, quum navem e Creta redeuntem nigro velo instructam vidisset, ratus Theseum filium periisse.

626. *Cressia decepit*. *Cræsia* Behot. 1, *Crescia* Behot. 2. — *Decepit*.

Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleusin
Horrida suspensis ad prælia misit aratris:
Et quos Callirhoe novies errantibus undis
Implicat, et raptæ qui conscius Orithyiæ
Celavit Geticos ripis Ilissos amores.
Ipse quoque in pugnas vacuatur collis, ubi ingens

Quia promiserat Theseus patri, si incolumis rediret, se velum album, pro nigro, cum quo profectus erat, positurum; quod oblitus fuit.

627. *Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleusin. Hos Salanus* unus Behot. *Cerealis Elcusis* Lang. Buslid. Dan. Petav. et edd. vett. Vide Gronov. — Reg. B exhibet, *Hos Salamin populos, illos Cerealis Eleusin;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Salamis.* Insula contra Athenas sita, quam prope Græci Xerxem Persarum regem navali prælio vicerunt, ducibus Eurybiade Spartano et Themistocle Atheniensi. — *C. Eleusin.* Eleusin, ut jam diximus, oppidum Atticæ Cereri sacrum.

628. *Misit aratris.* Ceres, a Dite filiam raptam dum quærit, hospitio regis Eleusi fertur fuisse suscepta; cujus filium Triptolemum pro beneficii gratia sustulit nutriendum, cui agriculturam et inveniendi frumenti artificium Ceres ostendit. Lactant.

629. *Callirhoe novies errantibus undis.* Callirhoe fons Atticæ regionis, novem habens ortus, unde ἐννεάκρουνος dictus est, et novies errantibus undis implicare populos.

630. *Et raptæ qui conscius Orithyiæ Celavit Geticos ripis Ilissos amores.* Ilissus fluvius Atticæ, in cujus ripis Boreas rapturus Orithyiam, Erecthei regis filiam, latuisse dicitur: unde Ilissus « raptæ conscius Orithyiæ. » — *Geticos amores.* Id est, Boream amore Orithyiæ captum.—*Geticos.* Seu Thracios, quia Boreas a Thracia flat, Athenarum respectu. — Sic Avienus, Descript. Orbis Terræ, v. 585, « Ilissi Boreas stagno tulit Orithyiam » ad quem locum illustrandum adductus est Nostri versus. Vide Poet. Lat. Min. tom. V, pag. 215, edit. nost. Ed.

631. *Celavit Geticos ripis Ilissos amores. Celavit ripis Geticos.* Behott. 1, 2. — Hanc lect. habent Regg. B et C.—Vide v. 52, lib. IV, et p. 215 Poet. Lat. Min. t. V. Ed.

632. *Collis ubi ingens Lis Superum, dubiis donec nova surgeret arbor Rupibus, et longa refugum mare frangeret umbra.* Hujus loci intelligentia pendet ex fabula quam refert Varro. Enata forte in arce Athenarum oliva, sed et aquarum scaturigine mox emergente, Rex Cecrops, hoc prodigio territus, scitatum misit Apollinem. Legatis Pythia respondit, hoc ostentum nihil mali portendere; denotare solum duorum Deorum contentionem, certantium inter se uter eorum Athenis nomen suum imponeret: per oleam significari Minervam, per *aquam*, Neptunum. Integrum jam nunc esse Atheniensibus, utrius Dei nomine urbem ap-

Lis Superum, dubiis donec nova surgeret arbor
Rupibus, et longa refugum mare frangeret umbra.
Isset et Arctoas Cadmea ad mœnia ducens
Hippolyte turmas: retinet jam certa tumentis
Spes uteri, conjuxque rogat dimittere curas
Martis, et emeritas thalamo sacrare pharetras.
  Hos ubi velle acies, et dulci gliscere ferro
Dux videt, utque piis raptim dent oscula natis
Amplexusque breves, curru sic fatur ab alto:
« Terrarum leges et mundi fœdera mecum
Defensura manus, dignas insumite mentes

pellandam vellent decernere. Cecrops, hoc accepto responso, omnes cives, tam viros quam mulieres, tunc enim temporis mulieres publicis consiliis intererant, ad ferendum hac de re suffragium convocat. Vicerunt mulieres, quæ una plures erant. Indignatus Neptunus totam Atheniensium terram aquis maris cooperit: verum has repulit Minerva. Innuens igitur hanc fabellam Papinius dixit *frangeret*, id est, vinceret, *refugum mare*, id est, victum Neptunum, qui erumpere aquam jusserat, *longa umbra*, hoc est, olea victrice, quam victrix excitarat Pallas. Ut tamen placaretur Neptunus, lege cautum fuit, ut nequis mulieres *Athenias* vocaret, ut nullus nascentium materno censeretur nomine, neve ulla earum posthac suffragium ferret. Hic autem *collis* Acropolis est Athenarum. Quidam dicunt, quum Neptunus et Minerva de Athenis contenderent, decrevisse Deos locum ei adjudicandum fore qui rem utiliorem proferret. Neptunum igitur, percussa tridente terra dedisse equum, signum belli, Minervam vero protulisse olivam, insigne pacis, sicque vicisse: pacem enim esse bello meliorem.

634. *Rupibus*. Magnitudinem arboris ostendit ex umbræ æqualitate, qua obscurat. — *Frangeret*. Insultaret victo Neptuno. LACTANT.

635. *Arctoas*. Septemtrionales. — *Cadmea ad mœnia*. Thebas.

638. *Martis, et emeritas thalamo sacrare pharetras*. Optimæ Barthii membranæ: *et emeritas thalamis*; aliæ ejusdem: *et emeritas Veneri*.

639. *Hos*. Athenienses. — *Gliscere*. Cum furore cupere. LACT.

640. *Dux videt, utque piis raptim dent oscula natis*. Reg. B habet, *utque piis raptis dent oscula natis*; Reg. C nostram lect. ED. — *Dux*. Theseus.

642. *Terrarum leges et mundi fœdera*. Eusebius Hist. Eccl. XIX, cap. 8 vocat φύσεως θεσμοὺς, *leges naturæ*. Josephus et Philo νόμους βροτῶν, *leges hominum*: Euripides κοινὸν νόμον, *communem legem*: Aristides et Sophocles νόμον δαιμόνων, νόμον θεῶν, *leges dæmonum*, *leges Deorum*.

643. *Defensura manus, dignas*

Cœptibus: hac omnem Divumque hominumque favorem,
Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni
Stare palam est: illic Pœnarum exercita Thebis
Agmina, et anguicomæ ducent vexilla sorores.
Ite alacres, tantæque, precor, confidite causæ.»
Dixit, et emissa præceps iter inchoat hasta.
Qualis Hyperboreos ubi nubilus instituit axes
Juppiter, et prima tremefecit sidera bruma;
Rumpitur Æolia, et longam indignata quietem
Tollit hiems animos, ventosaque sibilat Arctos.
Tunc montes undæque fremunt, tunc prælia cæsis

insumite mentes. Defensura cohors codd. Lindenbrogii. — Reg. B exhibet, *Defensura cohors, dignas consumite amantes.* Ed.

645. *Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni.* Reg. B præbet, *Naturamque ducem, cœtibusque silentis Averni;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni.* Sic supra: « Da terris unum, cæloque, Ereboque laborem. » — *Naturam ducem.* Secundum enim eam est cadavera terræ reddi, quum exinde sint profecta. Unde jus natum agnoscunt sapientes. Gracilis, Epitaphio Probinæ: « Vita subit cælum, corpus tellure tenetur, Omnia sic repetunt jura, locosque suos. » Julia Marcella Epitaphio Claudii Fabati: « Terreuum corpus, cælestis spiritus in me, Quo repetente suam sedem, nunc vivimus illi, Et fruitur Superis æterna in luce Fabatus. » Barth.

646. *Stare palam est: illic Pœnarum exercita Thebis.* « Vera scriptura est in duobus codicibus nostris, et eo quem a se collatum laudat dicto loco, vir doctissimus J. Zinzerlingius: *Thebarum exercita Pœnis Agmina.* Id est mancipia mera Furiarum. » Barth.

647. *Agmina, et anguicomæ ducent vexilla sorores.* Reg. B exhibet, *ducunt vexilla sorores;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Anguicomæ sorores.* Furiæ.

649. *Et emissa præceps iter inchoat hasta.* A ritu Fecialium Romanorum: qui sicubi bellum indicerent, hastam ferratam, aut sanguineam præustam, in fines hostium emittebant, uti ex Livio lib. 1, vix ulli ignotum. Bern.

650. *Q. H. u. nubilus instituit axes.* In quibusdam codd. Barthii glossa est: *axes*, vel *arces*. — *Hyperboreos.* Septemtrionales, ab Hyperboreis populis sub Septemtrione degentibus.

652. *Æolia.* Carcer ventorum, quorum rex Æolus. Vide pag. 661 tom. 1 Stat. nost. Edit.

653. *Tollit hiems animos.* Regg. B et C habent: *Tollit hiemps animos.* Ed.

654. *T. m. uq. f. tunc prælia*

Nubibus, et tonitrus insanaque fulmina gaudent.
Icta gemit tellus: virides gravis ungula campos
Mutat, et innumeris peditumque equitumque catervis
Exspirat protritus ager, nec pulvere crasso
Armorum lux victa perit, sed in æthera longum
Frangitur, et mediis ardent in nubibus hastæ.
Noctem adeo, placidasque operi junxere tenebras,
Certamenque immane viris, quo concita tendant
Agmina, quis visas proclamet ab aggere Thebas,
Cujus in Ogygio stet princeps lancea muro.
At procul ingenti Neptunius agmina Theseus
Angustat clipeo, propriæque exordia laudis,
Centum urbes umbone gerit, centenaque Cretæ

cæsis. Reg. B habet, *cæcis*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Undæ*. Effusi imbres et exundantes fluvii. Vetus Schol. Hæc sunt hiemis indicia. Auctor Panegyrici (si sic vocare libet, quum tamen id carmen a Panegyrico longe absit) Lucano adscripti: « Ver fugit æstates, æstatum terga lacessit Pomifer autumnus, nimbis cessurus et undis. » Eo se ducit illud Orientii nostri, Disticho 165: « Nemo vias pedibus, brumali tempore, carpens Non sparsus pluvia, non madefactus erit. » Barth.

656. *Icta gemit*. Sub pedibus equorum.

657. *Mutat, et innumeris*, etc. *Atterit innumeris* Behot. 1, Lang. Lipsian. Aldd. Basil. et Plant. *Mutat et innumeris* Dan. Put. Behot. 2, Cruc. et recentt. — *Mutat*. Atterit. Lactant.

658. *E. p. a. nec pulvere crasso*. Put. *pulvere grasso*. — Hanc lect. Reg. B, Reg. C nostram. Ed. — *Exspirat*. Pulverem emittit. — *Ager*. Herba, quæ protrita incursu belli non nascitur. Lactant.

660. *Frangitur*. Crispatur. — *Ardent*. Splendent. Lactant.

661. *Adeo*. In tantum. — *Operi*. Itineris magnitudini. Lactant.

662. *Cq. i. v. quo concita tendant*. Reg. B præbet, *tendunt*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Quo concita tendant Agmina*. Id est, ut agmina citato incessu contendunt.

664. *Cujus in Ogygio stet princeps lancea muro*. *Cujus in Ogygio princeps stet lancea* Heinsius ad Ovid. Fast. II, 714. — *Ogygio*. Thebano.

665. *Neptunius*. Neptuno genitus.

666. *A. c. propriæque exordia laudis*. Put. *ex ordine laudis*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Angustat*. Id est, includit insculpta brevi clipeo.

667. *Centum urbes umbone gerit, centenaque Cretæ Mœnia*. Creta enim centum urbes habebat, unde ἑκατόμπολις dicta.

Mœnia; seque ipsum monstrosi ambagibus antri
Hispida torquentem luctantis colla juvenci,
Alternasque manus circum, et nodosa ligantem
Brachia, et abducto vitantem cornua vultu.
Terror habet populos, quum septus imagine torva
Ingreditur pugnas: bis Thesea, bisque cruentas
Cæde videre manus: veteres reminiscitur actus
Ipse tuens sociumque gregem, metuendaque quondam
Limina, et absumto pallentem Gnossida filo.
Sævus at interea ferro post terga revinctas
Antigonen, viduamque Creon Adrastida leto

668. *Seque ipsum*. Ex more tunc temporis usurpato. Plinius, Hist. Nat. XXXV, c. 4, 1, hæc ait: « Scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum, continebantur imagines: unde et nomen habuere clipeorum. Origo plena virtutis, faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit usus illo. » — *Monstrosi ambagibus antri*. Labyrinthum intelligit.

669. *Juvenci*. Minotauri, quem suffocavit Theseus.

671. *B. e. a. vitantem cornua vultu*. In eodem Put. libro *vitantem cornua luctu*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed.

672. *Quum septus*. Quum armatus esset pictu Minotauri. Lact.

673. *Bis Thesea*. Semel in clipeo, et semel in prælio.

674. *Videre*. Regitur a verbo *habet*. « Terror habet populos videre, » seu quum vident.

675. *I. t. sq. g. metuendaque quondam*. Unus Behot. *metuentia quondam*. — *Ipse*. Theseus. — *Sociumque gregem*. Id est, Athenienses qui cum eo venerant. — *Metuendaque quondam Limina*. Labyrinthum, in quo inclusus Minotaurus, quem occidere oportebat, ut ipse comitesque mortem evaderent.

676. *Limina, et absumto*, etc. « Omnes nostri libri meliores, non *absumto*, sed *adsumto* habent. Et hoc utique rei veritati convenit. » Barth. — Reg. B habet, et *absumpto pallentem Gnosia filo*; Reg. C, et *assumpto pallentem Gnosida filo*. — *Limina*. Labyrinthi. — *Gnossida filo*. Ariadnem dicit Cretensem, quæ quum Theseum amaret, et vereretur ne quamvis Minotauro occiso, multiplex et perplexum Labyrinthi iter explicare non posset, quæ domus erat Minotauri, Dædalum fabricatorem operis exoravit, a quo globum fili accepit, cujus summitatem tenens ipsa Theseo intranti dedit, post se solvendum, quem ille occiso Minotauro relegens, victor regressus est. Lactant.

678. *Viduam Adrastida*. Scilicet Argian, Polynicis viduam, et filiam Adrasti.

Admovet: ambæ hilares, et mortis amore superbæ,
Ensibus intentant jugulos, regemque cruentum
Destituunt; quum dicta ferens Theseia Phegeus
Adstitit: ille quidem ramis insontis olivæ
Pacificus, sed bella ciet, bellumque minatur,
Grande fremens, nimiumque memor mandantis, et ipsum
Jam prope, jam medios operire cohortibus agros
Ingeminans: stetit ambiguo Thebanus in æstu
Curarum, nutantque minæ, et prior ira tepescit.
Tunc firmat sese, fictumque, ac triste renidens:
« Parvane prostratis, inquit, documenta Mycenis
Sanximus? en iterum, qui mœnia nostra lacessant.
Accipimus: veniant; sed ne post bella querantur.
Lex eadem victis. » Dixit: sed pulvere crasso
Caligare diem, et Tyrios juga perdere montes
Adspicit: armari populos tamen, armaque ferri
Ipse jubet pallens, mediæque in sedibus aulæ
Eumenidas subitas, flentemque Menœcea cernit
Turbidus, impositosque rogis gaudere Pelasgos.
Quis fuit ille dies, tanto quum sanguine Thebis

680. *Regemque cruentum Destituunt.* Creon automabat se illis mortem pro magoo malo dare, sperabalque futurum, ul metu ejus graviter miseræ cruciarenlor. At illæ, conscienlia egregii facti erectæ, el viriliter eomprimeoles dolorem, destituerunt exspeclatiooem tyranni. GRONOV.

682. *Ramis insontis olivæ.* Legati eoim ramom olivæ fereban1.

684. *G. f. nimiumque memor mandantis, et ipsum.* Dan. *memor mandatis.* — *Nimium memor mandantis.* De suo etiam rem augens, nl eo major aceederel imperalori suo dignitas. Vel. Schol.

688. *Renidens.* Cum iracundia subridens. LACTANT.

689 *Documenta.* Exempla quæ io viclos edidimus, quos prohibuimns sepeliri. LACTANT.

692. *Lex eadem victis.* » *Dixit.* « Melior lectio in optimo alioque codice: *Dicit.* » BARTH. Sie el Behoti. 1, 2. — Reg. B habel banc lect. Reg. C nostram. ED.

696. *Eumenidas subitas.* « Non est optimus sonus horum verborum: *Eumenidas subitas;* nec video tameo quidqnam immutari a libris. » BARTH. — *Eumenidas subitas,* etc. Quod erat omen iofaustissimum.

Pax inventa perit? patriis modo fixa revellunt
Arma Deis, clipeisque obducunt pectora fractis,
Et galeas humiles, et adhuc sordentia tabo
Spicula: non pharetris quisquam, non ense decorus,
Non spectandus equo: cessit fiducia valli:
Murorum patet omne latus, munimina portæ
Exposcunt: prior hostis habet: fastigia desunt;
Dejecit Capaneus: exsanguis et ægra juventus
Jam nec conjugibus, suprema nec oscula natis
Jungit, et attoniti nil optavere parentes.

Atticus at contra, jubar ut clarescere ruptis
Nubibus, et solem primis adspexit in armis,
Desilit in campum, qui subter mœnia nudos
Asservat manes: dirisque vaporibus ægrum
Aera pulverea penitus sub casside ducens
Ingemit, et justas belli flammatur in iras.

Hunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa jacentum
Corpora belligeras acies, Martemque secundum

699. *Pax inventa perit.* Pacem enim sperabant, victis et occisis hostibus, sed novus prodit hostis.

701. *Galeas humiles.* Sine cristis, et fractas, sine conis.

703. *Cessit fiducia valli.* Id est, nulla spes amplius in munimentis et propugnaculis.

704. *Murorum patet omne latus.* Utpote machinis et tormentis bellicis dirutorum. — *Munimina portæ Exposcunt.* Erant olim præter turres, propugnacula prope portas, et in iis cataractæ. Cæterum hunc versum et sequentem supposititios judicat Guyetus.

707. *Jam nec conjugibus.* Id quod proficiscentes domo consueverant facere. Ita pro *extrema inhumanitate* in Nerone recenset Sueton. cap. 37: « Quod neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertivit. » Illustravit rem, producto etiam hoc Papinii loco, amicus olim noster, Joh. a Wower ad illud Petronianum: « Aut patrem reliquit utique aliquem, cui proficiscens osculum dedit. » Bart.

708. *Et attoniti nil optavere parentes.* Character ultimæ desperationis.

713. *Ducens.* Odorans. Lact.

715. *Ductor Thebanus.* Creon.

716. *Largitur Danais.* Reg. B habet, *Largitus Danais*; Reg. C nostram lect. Ed.

Miscuit: at lacera ne quid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævos potura cruores
Terra rudis: jamque alternas in prælia gentes
Dissimilis Bellona ciet: non clamor utrimque,
Non utrimque tubæ: stat debilis altera pubes,
Submissos enses nequicquam, amentaque dextris
Laxa tenens: cedunt tellure, armisque reductis
Ostentant veteres etiamnum in sanguine plagas.
Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Languescuntque minæ, et virtus secura residit:
Ventorum velut ira minor, nisi silva furentes
Impedit, insanique tacent sine litore fluctus.
Ut vero æquoreus quercum Marathonida Theseus
Extulit, erectæ cujus crudelis in hostes
Umbra cadit, campumque trucem lux cuspidis implet:

718. *Miscuit: at lacera ne quid de strage nefandus.* Reg. B habet, *aut lacera ne quid de strage nefandos;* Reg. C *ut lacera ne quid de strage nefandus.* Ed. — *At lacera ne quid de strage nefandus Perderet, eligitur.* Hæc delenda esse dicit Guyetus, et jungendum τὸ *miscuit* cum τῷ *eligitur.*

720. *T. r. jq. a. in prælia gentes.* Unus Behot. *in prælia mentes,* et superius scriptum *gentes.* — *Rudis.* In qua non gestum bellum.

721. *Dissimilis.* Non enim par utrisque ad bellum alacritas, ut et dicit infra Poeta.

722. *Non tubæ.* Animos accendere solitæ. Scribit Euripides, ante aciem Theseum per præconem utrumque exercitum monuisse, aliud se nihil quærere, nisi ut cadavera extremo officio non fraudarentur: ad ea nihil respondisse Creontem.

724. *Armisque reductis.* In humerum rejectis clipeis.

725. *O. v. e. in sanguine plagas.* Behót. 2, *pulvere*, obliterata dictione *sanguine*, quæ primum exscripta fuerat: eodem stylo omnia.

726. *Cecropiis.* Atheniensibus.

727. *Languescuntque minæ.* Resistentia enim fortius animat.

728. *Ventorum velut ira minor,* etc. Imitatio Lucani lib. III, vss. 362 et 363: « Ventus ut amittit vires, nisi robore densæ Occurrant silvæ, spatio diffusus inani. »

729. *I. iq. tacent sine litore fluctus.* « In optimis duobus libris non *tacent*, sed *meant* legitur; quod non est deterius, nisi melius dicas. » Barth. Daumii codex quoque *meant* exhibet. — *Sine litore.* Sine objectu litoris.

730. *Æquoreus.* Quia filius Neptuni, qui rex maris, seu æquoris — *Quercum.* Hastam.

Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortemque fugamque
Axe vehens, sic exanimis in terga reducit
Pallor Agenoridas: tædet fugientibus uti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cætera plebeio desævit sanguine virtus.
Sic juvat exanimis projectaque præda canesque
Degeneresque lupos; magnos alit ira leones.
Attamen Olenium, Thamirumque, hunc tela pharetra
Promentem, hunc sævi tollentem pondera saxi
Dejicit, et triplici confisos robore gentis
Alceidas fratres, totidem quos eminus hastis
Continuat: ferrum consumsit pectore Phileus,
Ore momordit Helops, humero transmisit Iapix.
  Jamque et quadrijugo celsum petit Hæmona curru,
Horrendumque manu telum rotat: ille paventes
Obliquavit equos: longo perlata tenore
Transiit hasta duos: sitiebat vulnera nec non
Tertia, sed medio cuspis temone retenta est.

733. *Edonos*. Thracios. Edones enim Thraciæ populi. — *Hæmi*. Montis Thraciæ.

736. *Agenoridas*. Thebanos.

737. *Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem*. Unus Behot. *nec faciles dignatur dextra cruores*.

740. *Degeneres*. Timidos. — *Ira leones*; quos magnam prædam exspectantes alit furor. Eo.

741. *A. O. Thamirumque, hunc tela pharetra*. *Thamarumque hunc tela pharetræ* Behot. 1, *Thamirimque hunc tela pharetræ* Behot. 2, sed prius fuerat *Thamirumque*.

743. *Triplici gentis*. Quia tres erant gentes quas agebant in bellum, et ipsi tres erant.

744. *Alceidas fratres*. Eos sequentibus versibus vocat Phileum, Helopem, et Iapigem.

745. *C. f. c. p. Phileus*. Unus Behot. *Pileus*. — *Continuat*. Sine intermissione prosternit.

746. *Humero transmisit*. Per humeros ferrum exiit. LACTANT.

747. *Jq. e. q. c. p. Hæmona curru*. *Æmona* codd. et edd. vett. *hemona*, ut semper, Behott. 1, 2.

750. *Duos*. Equos scilicet.

751. *T. s. m. c. temone retenta est*. Behot. 2, *tenore retenta est*; sed correctum *temone* æquævis literis: Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *terrore retenta est*; Lang. Laur. Behot. 1, Gevart. et recentt

Sed solum votis, solum clamore fremendo
Omnibus in turmis optatque vocatque Creonta.
Atque hunc diversa bellorum in fronte maniplos
Hortantem dictis, frustraque extrema minantem
Conspicit: abscedunt comites, et Thesea jussi
Linquebant, fretique Deis, atque ipsius armis.
Ille tenet, revocatque suos: utque æqua notavit
Hinc atque hinc odia, extrema se colligit ira,
Jam letale furens, atque audax morte futura:
« Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus: hic cruda virorum
Prælia: nos magnum qui Tydea, quique furentem

temone retenta est. — *Temone.* De longe missa, quasi dicat, adhuc potuit transire tertium, sed retenta est in temone. LACTANT.

752. *S. s. v. s. clamore fremendo.* Put. et nonnulli Barth. *clamore premendo.* — Hanc lection. Regg. B et C præbent. Virg. Æn. IX, 438, sic Nisum Volscenti *soli* imminentem ense fulmineo pinxit. ED.

753. *O. i. t. optatque vocatque Creonta.* Reg. B. habet, *optat vocitatque Creonta;* Reg. C nostram lect. ED.

756. *C. a. c. et Thesea jussi.* Reg. B habet, *sed Thesea jussi.* Reg. C nostram. lect. ED. — *Comites.* Socii Creontis.

757. *Linquebant.* Barthius ex optimis membranis legit, *et Thesea jussi Destituunt.*

758. *Ille tenet, revocatque suos: utque æqua notavit. Ille tenet* optimæ Barthii membranæ, Put. et Behot. 1, *Ille timet* Behot. 2, a. m. sec. et cæteri codd. cum libris impressis, « Inscita hæc scriptura est, præ illa quam habent optimæ membranæ. » BARTH. *Ipse tenet* Behot. 2, *ægra notavit* Dan. et Put. — Reg. B habet, *utque æqua notavit;* Reg. C eamdem lect. ED. — *Ille tenet, revocatque suos.* Nimirum Creon revocat discedentes, stantes et ambiguos jubet manere, neque loco excedere. Priores Editiones habent : *Ille timet, revocatque suos.* — *Æqua.* Quia sui relinquebant eum et abhorrebant ob crudelitatem, ut et hostes. Legitur et *ægra.*

760. *Audax morte.* Certus exitii sine consilio fit audax. Vet. Schol. Sic loquitur lib. VII, vs. 471. Contrarium est in illo Maronis, etsi illinc istud valorem duxerit, de Cleopatra : Æn. VIII, 709: « pallentem morte futura Fecerat ignipotens ventis et Iapyge ferri. » Hoc est, « Iapyge quidem, sed ventis aliis interturbato, » secundum V. Schol. explicationem. BARTH.

761. *Peltiferis puellis.* Amazonibus, quæ peltas ferebant.

763. *P. n. m. q. T. quique furentem.* Behot. 2, *quique furente;* sed ab alia manu correctum. Hæc

Hippomedonta neci, Capaneaque misimus umbris
Pectora. Quæ bellum præceps amentia suasit,
Improbe? nonne vides, quos ulciscare, jacentes?»
  Sic ait, et frustra periturum missile summo
Affixit clipeo: risit vocesque manumque
Horridus Ægides, ferrataque arbore magnos
Molitur jactus, nec non prius ore superbo
Intonat: «Argolici, quibus hæc datur hostia, Manes,
Pandite Tartareum chaos, ultricesque parate
Eumenidas, venit ecce Creon.» Sic fatus, et auras
Dissipat hasta tremens: tunc qua subtemine duro
Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,
Incidit; emicuit per mille foramina sanguis
Impius: ille oculis extremo errore solutis
Labitur: adsistit Theseus gravis, armaque tollens:
«Jamne dare exstinctis justos, ait, hostibus ignes,

erant penitus obliterata in Behot. t, supplevit recens manus: *quoque furentem*.

765. *Pectora. Quæ bellum præceps amentia suasit.* «Libri omnes nostri habent, *bellum præceps dementia*: est illud Maronis, Ecl. II, 69: «quæ te dementia cepit!» Barth. *præceps bellum dementia* unus Behot.

766. *Ulciscare, jacentes.* Fratres videlicet in se invicem parricidas.

768. *Affixit clipeo.* «Optimus liber diserte habet *Afflixit*; quod et verum puto.» Barth. — Reg. B habet, *Adflixit clipeo*; Reg. C eamdem lect. Ed.

770. *M. j.* n. n. *prius ore superbo*. Unus Behot. ore *supremo*; et in margine correctum *superbo*.

773. *E. v.* e. *C. Sic fatus*, et *auras*. «Omnino scribendum, ut habent optimi libri, *Sic fatur*: cum dicto enim transactum est, de quo sermo erat. Sicque libro isto supra vs. 692.» Barth.

774. *Subtemine duro*. Textu ferreo.

775. *M. t. iterant thoraca catenæ*. Unus Behot. in textu habet *iterant*; sed pro v. l. in margine «al. *vetant*: al. *nectunt*.» — *Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ*. Veteres enim non solum laminis ferreis invicem impositis, sed etiam catenis muniebant loricam.

776. *Per mille foramina*. Per infinitos loricæ circulos. Lactant.

777. *Oculis extremo errore solutis*. Valer. Flacc. Argon. VI, 277: «extremus quum lumina corripit error Voxque repressa gelu.» Ad quem locum vide notata, nostræ edit. tom II, pag. 80. Ed.

Jam victos operire placet? vade atra dature
Supplicia, extremique tamen secure sepulcri. »
  Accedunt utrimque pio vexilla tumultu,
Permiscentque manus medio jam fœdera bello,
Jamque hospes Theseus: orant succedere muris,
Dignarique domos; nec tecta hostilia victor
Aspernatus init: gaudent matresque, nurusque
Ogygiæ: qualis thyrso bellante subactus
Mollia laudabat jam marcidus Orgia Ganges.
  Ecce per adversas Dircæi verticis umbras
Femineus quatit astra fragor, matresque Pelasgæ
Decurrunt: quales Bacchæa ad bella vocatæ
Thyades amentes, magnum quos poscere credas,
Aut fecisse nefas: gaudent lamenta, novæque
Exsultant lacrimæ: rapit huc, rapit impetus illuc,
Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta,
Anne suos; vidui ducunt ad corpora luctus.
  Non ego, centena si quis mea pectora laxet

780. *Jam victos operire placet.* Reg. B habet, *Jam victos aperire placet;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Atra dature Supplicia.* Ob tuam insignem in mortuos crudelitatem.

782. *Accedunt utrimque*, etc. Reg. B exhibet, *Accendunt.* Reg. C nostram lect. Ed. — *Accedunt.* Junguntur. — *Tumultu.* Argivorum atque Thebanorum gaudentium strepitu. Lactant.

783. *Pq. m. medio jam fœdera bello.* « Melioris notæ duo libri, *medio jam fœdera campo;* quod magis poeticum videtur. » Barth.

784. *Jq. h. T. orant succedere muris.* Unus Schot. *succurrere muris*, et pro v. l. *succedere.*

786. *Aspernatus init. Aspernatus abit* nonnulli codd. Lindenbrogii.

789. *Adversas.* Aversas. — *Dircæi verticis.* Cithæronis.

790. *Matresque Pelasgæ Decurrunt.* Matronæ enim Argivæ Theseum secutæ fuerant.

792. *Thyades amentes.* « In optimo codicum diserte scriptum est *ementes;* sed et supra hoc libro vs. 765, ubi vulgatur *amentia*, libri habent *dementia.* In optimo eodem prima litera rasa est, ut clare legatur *ementia.* Nihil tamen mutamus. » Barth. — *Thyades.* Bacchantes. Vide Theb. V, 92.

793. *Gaudent lamenta.* Luctus mutantur in gaudia. — De Lacrimis in gaudio vid. Claud. XV, 406.

796. *Vidui luctus.* Pro luctus viduarum.

Voce Deus, tot busta simul, vulgique, ducumque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem:
Turbine quo sese caris instraverit audax
Ignibus Evadne, fulmenque in pectore magno
Quæsierit: quo more jacens super oscula sævi
Corporis infelix excuset Tydea conjux,
Ut sævos narret vigiles Argia sorori:
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,
Arcada consumto servantem sanguine vultus,
Arcada, quem geminæ pariter flevere cohortes.
Vix novus ista furor, veniensque implesset Apollo:
Et mea jam longò meruit ratis æquore portum.
  Durabisne procul, dominoque legere superstes,

798. *Tot busta simul.* Pacto, non prælio, a Thebanis obtentum jus sepeliendi Argivos vult Plutarchus Theseo. At Pausanias, ut Papinius, prælio. Idem etiam refert Pausanias victorem Theseum deportanda mortuorum corpora in Eleusinum agrum, ibique sepelienda curavisse.

800. *T. q. s. c. instraverit audax.* Put. *impleverat audax.* — Reg. B habet, *impleverit audax;* Reg. C nostram lect. Ed.

801. *Ignibus Evadne. Ictibus* pro *Ignibus* in eodem Put. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Ignibus Evadne.* Hæc, Capanei uxor, nimio amore et dolore flammata, in rogum conjugis se dedit præcipitem. Lactant.

803. *Excuset Tydea conjux.* Supra, v. 121: « sed cuncta jacenti Infelix ignoscit amor. »

804. *Sorori.* Deiphile.

805. *A. q. p. g. E. clamet.* Unus Behot. cum nonnullis aliis *clamat.* — Hic versus in Reg. B desideratur. Adest. in Reg. C. Ed. — *Arcada.* — Parthenopæum. — *Erymanthia.* Atalanta, ab Erymantho Arcadiæ monte.

806. *A. c. servantem sanguine vultus.* Lang. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *servantem sanguine vultu.*

808. *Vix novus ista furor, veniensque implesset Apollo. Vix novus iste* Behot. 1 et pro v. l. *ista.* Barthius pro *veniens* conjectabat *rediens.* — *Vix novus furor.* Novi carminis iteratio. Lactant. — *Implesset.* Alii, impleret.

809. *Meruit ratis æquore portum.* Comparare poemata curriu, aut navi frequens poetis. Hoc suum Noster innuit Silv. IV, 4, 88 et seq. « jam Sidonios emensa labores Thebais, optato collegit carbasa portu. » Ovidius, Art. Amat. lib. II, 10: « mediis tua pinus in undis Navigat, et longe, quem peto, portus abest. »

810. *Durabisne procul, dominoque legere superstes.* De hoc versu et sqq. Vid. supra p. 671, t. I.

O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? jam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar,
Itala jam studio discit, memoratque juventus.
Vive, precor: nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.
Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor,
Occidet, et meriti post me referentur honores.

813. *Stravit iter.* Fama sternente benignum iter ad posteros usque proceres. Lactant. — *Novam.* Fallitur Petavius credens ex hac voce, *novam*, Thebaidem ab auctore bis editam fuisse; *novam* enim nihil aliud est, quam recentem, calentem ab incude.

818. *Mox tibi, si quis adhuc. Denique, si quis*, etc. legit Silvester Giraldus Præf. Topographiæ Hiberniæ. — *Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor Occidet.* Theophrasti dictum: Φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸ ἀντίπαλον· τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. » Invidia tantum in vivos est: mortuus vero, ut qui nemini obstat, constanti et libera benevolentia colitur. » Sallustius Epist. II, ad Cæsarem de Rep. Ordinanda: « Nam vivos interdum fortuna, sæpe invidia fatigat: ubi anima naturæ cessit, demtis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit. » Ovid. Amor. I, xv, 39: « Pascitur in vivis livor: post fata quiescit. »

819. *Meriti*, etc. Post meum obitum evanescet invidia, et gloria mea perennis erit. Prop. lib. III, Eleg. 1, 21 et seq. « At mihi quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fœnore reddet honos. » Quo loco vide pulchra et utilia quæ adnotavit plurimæ ille lectionis Joannes Passeratius.

FINIS THEBAIDOS.

PUBLII PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM

CARMINIBUS DESCRIPTUM.

In primo Chirona petit Thetis ante precata.
At Thetis Æmonio Lycomedi tradit Achillem.
Tertius Æaciden quærit, generat quoque Pyrrhum.
Quartus at occultum Peliden prodit Ulyssi.
Navigat Æacides ad debita Pergama quinto.

Cum illo Argumento hoc poema in quinque libros divisum exhibent Dau. Put. Petav. Venett. Rom. Lindenbrog. et Cruc. Deinde sequitur aliud Argumentum, libri primi scilicet:

Themate proposito, narrat Thetis alma, rapinam
Tyndaridis conquesta: rates sed vana precatur
Mergere Rhœtæas: alios commenta paratus
Tendit in Æmoniam, carum ablatura magistro
Æaciden: tunc forte feras letale fugantem
Ille redit lætusque dapum post munera matri
Fila movens canit heroas; nox occupat artus.

« Non abs re dubitetur, unusne hic liber sit, an in plures distribuendus. Unum potius esse quam duos hic autumare licet, quod Commentaria Lactantii continuo ordine sine ulla librorum distinctione scripta erant. Argumentum equidem, sed leve, nec cui satis innitendum. Ergo quam in vett. codd. editisque exemplaribus inveni, eam sequi malui, non novellam istam duorum librorum divisionem. » LINDENBROG. « Argumenta ideo non attendimus, quod ridiculam in quinque libros operis divisionem sequantur, nec in nostris exemplaribus ullo vestigio reperiantur. Duo nostri codices, et glossis egregie oppleti, et valde vetusti, nullam nisi per argumenta marginalia distinctionem habent, qualia in suis etiam libris Franciscus olim Maturantius, in hoc bono judicio usus quod duorum agnoscat probetque statum, explosis nugis aliorum. Pro uno sane libro nimia res est, nec Papinio ascribenda, nec librariis condonanda. Quanquam sic retulerint quatuor alii codd. manuscripti auctore M. Antonio Delrio, Advers. ad Troad. Senecæ, v. 185. » BARTH. Duorum librorum divisionem retinent Aldd. Coliu. Basil. Plaut. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.

PUBLII PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Thetis raptu Helenæ territa, quod inde acerrimum bellum inter Græcos et Trojanos exorturum sciret, et in eo Achillem filium periturum, Neptunum convenit, ab eoque enixe petit, ut classem raptoris Paridis submergat; 1—76. Negat Neptunus hoc fieri posse: statuisse Deos cruentas miscere Europæ atque Asiæ manus: ingentes clades Trojanis Achillem illaturum; et tot præclara editurum facinora, ut ipsa credat se eum de Jove concepisse; 77—94. Hac repulsa Thetis animum ad alia convertit, et sibi proponit filium in aliquo tutissimo loco occultare, donec tempestas tam formidati belli detonaret; 95—108. Achilles apud Chironem Centaurum in Thessalia educabatur; 109—118. Tendit igitur in Thessaliam Thetis, filium a Chirone repetit, causata se infaustis de filio somniis terreri, ac velle eum in Oceani aquis, ut Proteus jubebat, magicis quibusdam sacris lustrare; 119—141. Chiron consilium ejus probat, laudataque mirum in modum Achillis indole, humanam supergressa, invidiam placare matri suadet: unde aucti Thetidis metus; 142—197. Nocte cogitat, quæ loca abscondendo filio aptiora; 198—207. Inter alia Scyros insula illi placet, ubi regnabat Lycomedes plurium filiarum pater, cujus aula virgineis choris personabat; 208—216. Filium igitur arctissimo somno correptum sinu complexa, currum delphinis

junctum conscendit, et mare emensa ad Scyrum, oriente sole, pervenit; 217—241. Experrecto Achilli mater suos metus fatetur, oratque illum, virilem animum paullulum submittat, et ad breve tempus muliebrem habitum sumat: non illi fore dedecori: Herculem, Bacchum, et ipsum Jovem femineas vestes non dedignatos; 242—274. Achilles nullis matris precibus flectitur; 275—282. Verum inopinato casu ejus animus fractus est; 283—284. Forte Scyrii diem festum Minervæ, cui templum in litore erectum erat, agebant, et filiæ Lycomedis domo exierant, ut veris primitias Deæ offerrent, comasque ejus sertis coronarent; 285—289. Turbam ducebat Deidamia, cujus ut eximiam pulchritudinem Achilles videt, ejus amore statim corripitur; 290—317. Animadvertit Thetis, et blande interrogatus filius, an inter tam pulchras virgines degere ipsi acerbum foret, lætus erubescit, et sinit se veste feminea indui; 318—348. Thetis Lycomedem aggreditur: illi tradere ait Achillis sororem. Hanc quidem velle Amazonum more vivere, ac ferre arma; sed satis sibi esse curarum pro Achille. Eam igitur inter ejus filias secludat: nec sinat eam venari, nec palæstra exerceri: præcipue vero a portu arceat, nė raperetur; 349—362. Lycomedes Thetidi gratias agit maximas, quod electus fuerit, cujus fidei tantum depositum crederetur; 363—366. Sic Achilles simulato sexu in aulam Lycomedis inducitur; 367—396. Interea Græci, accensi querelis Menelai Helenæ mariti, et Agamemnonis ejus fratris, in Aulidem Eubœæ portum conveniunt, cunctique jurant se non arma posituros, nisi Menelao satisfactum fuerit; 397—466. At quanquam multi adsint strenui duces, Achilles poscitur. Illum omnes absentem desiderant: hunc solum clamant Trojanis et Hectori fatalem; 467—482. Protesilaus vatem Calchantem urget, ipsis detegat, ubi Achilles latitaret: nam rumor erat eum nec in aula Pelei patris, nec apud Chironem esse; 483—513. Calchas Apolline repletus declarat eversorem Asiæ veste muliebri tectum apud Lycomedem Scyri regem occultari; 514—537. Ulysses et Diomedes eum hinc ad bellum adducendum suscipiunt; 538—559. Achilles autem amorem,

quem visa Deidamia hauserat, quantum potuit, dissimulat: sed moræ impatiens, dum Bacchi orgia summis ululatibus noctu ex more celebrantur, vi Deidamia potitur, et solatur afflictam se prodendo; 560—661. Nutrix, furtivo amori socia addita, surgentem uterum Deidamiæ occuluit, donec peperit; 662—674.

Magnanimum Æaciden, formidatamque Tonanti
Progeniem, et patrio vetitam succedere cælo,
Diva, refer: quanquam acta viri multum inclyta cantu
Mæonio, sed plura vacant: nos ire per omnem,
Sic amor est, Heroa velis, Scyroque latentem

1. *Magnanimum.* « *Magnanimus* proprium Epitheton Achillis, qui omnium Græcorum, auctore Homero, fortissimus est habitus. — *Æaciden.* Achillem ab Æaco avo paterno; nam Peleus, Æaco ortus, filium habuit Achillem ex Thetide — *Formidatamque Tonanti.* In fatis erat eum, qui nasceretur ex Thetide, fore fortiorem et majorem patre: quo decreto, territus Juppiter concubitum Thetidis, quam adamabat, vitavit. Ovidius, Met. XI, v. 223: « Namque senex Thetidi Proteus prædixerat udæ: Concipe: mater eris juvenis, qui fortibus armis Acta patris vincet: majorque vocabitur illo. Ergo ne quidquam mundus Jove majus haberet (Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes Juppiter), æquoreæ Thetidis connubia vitat. »

4. *Mæonio, sed plura vacant.* Codd. Lindenbrogii aliique nonnulli, *sed plura vocant.* — *Mæonio.* Homerico. Fuit Homerus, quod Plutarchus scribit auctore Hephoro, Creteidos et ejusdem patrui Mæonis filius; ut Aristoteli placet, a Mæone Lydorum rege Homerum pro filio educatum, et Melesigenem prius vocatum. — *Vacant.* Supersunt non dicta ab Homero. Maturant. — *Nos ire per omnem Heroa.* Ea omnia attingere: quæ ab Homero prætermissa sunt: quum is neque de ejus educatione apud Chironem scripserit, neque ut habitu femineo delituerit apud Lycomedem, neque ut ad bellum per Ulyssem perductus sit. Britann.

5. *Scyroque latentem.* Ut latuerit apud Lycomedem. Nam Thetis, rapta Helena a Paride, quum timeret ex Prothei vaticinio ne filius in bellum duceretur, eum habitu muliebri apud Lycomedem regem Scyri inter filias occultavit. Est autem ordo: Velis nos proferre tuba Dulichia latentem Scyro. Est Scyros

Dulichia proferre tuba: nec in Hectore tracto
Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.
Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda
Necte comas: neque enim Aonium nemus advena pulso
Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis. 11

una ex Cycladibus insulis a Naxo quatuordecim, auctore Plinio, millibus passuum distans. Homeri sepulcro veneranda, longitudinis viginti quinque millium, ante Phœnice appellata: Lycomedis olim imperio subjecta. BRITANN.

6. *Dulichia*. Id est, Ulyssea. Ulysses erat dominus insulæ Dulichii in mari Ionio, non procul ab Ithaca. Alludit vero Poeta ad historiam, seu fabulam, qua dicitur Ulysses Achillem inter filias Lycomedis latitantem sono tubæ excitasse, ita ut se ipsum proderet. Apollodorus de Deorum Origine lib. III: Ὀδυσσεὺς δὲ μηνυθέντα περὶ Λυκομήδευς ζητῶν Ἀχιλλέα, σάλπιγγι χρησάμενος εὗρε. « Ulysses, quum ei indicatum esset apud Lycomedem esse Achillem, quæsitum tuba usus invenit. » — *Nec in Hectore tracto Sistere.* Ut fecit Homerus, qui finit suam Iliada hoc opere Achillis. Notatque fabulam, qua dicitur Achilles alligasse currui Hectorem, utroque illius pede perforato, ac ter circum Patrocli tumulum traxisse, ac inde, quum ad tabernaculum reversus esset, in pulvere pronum demisisse. Virgilius vero dissentit ab Homero, scribitque Hectorem non circum Patrocli tumulum, sed circum Iliacos muros ter fuisse raptatum ab Achille.

7. *Sed tota juvenem*. Sed volo, inquit, juvenem a tota Troja, id est ab omnibus rebus quas circa Ilium gessit, segregare: id est nihil prorsus a me scribetur de iis quæ in bello Iliensi gesta sunt a juvene. Quod fecit Poeta: nam ejus propositum fuit hoc opere illud tantum scribere quo modo, ut diximus, a Chirone educatus sit, et ut ab Ulysse inter puellas Lycomedis inventus, perductus sit ad bellum.

8. *Tu modo si veteres*, Reg. B habet, *Tu modo si veterem*, Reg. C nostram lect. ED. — *Veteres*. Absoluta nempe Thebaide.

9. *Novos*. Ad suscipiendam scilicet Achilleida. — *Ac fronde secunda*. Secunda corona pro Achilleide, prima pro Thebaide.

10. *Aonium*. Aonia Bœotia dicitur, quod eam Aones barbaræ gentes aliquando tenuerunt. — *Neque enim Aonium nemus advena pulso, Nec mea*, etc. Hunc locum imitatus est Nemesianus, in Laud. Herculis, vs. 6 Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. I, p. 296. ED.

11. *Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis*. Reg. B habet, *Nec mea nunc primis augescunt tempora vittis*; Reg. C nostram lect. ED. — *Albescunt*. Sic Noster Theb. III, v. 467. « niveis ornati tempora vittis. » Et Theb. IV, v. 216 et sqq. « vatem cultu Parnassia monstrant Vellera, frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas. » Rursumque lib. VI,

Scit Dircæus ager: meque inter prisca parentum
Nomina, cumque suo numerant Amphione Thebæ.
At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
Graiaque, cui geminæ florent vatumque ducumque
Certatim laurus, olim dolet altera vinci,
Da veniam, ac trepidum patere hoc sudare parumper
Pulvere: te longo, necdum fidente paratu
Molimur, magnusque tibi præludit Achilles.

v. 331. « Concolor est albis et cassis et infula cristis »

14. *Longe primum stupet Itala virtus.* Aptissime assentatur Domitiano, quod sæpe facit in Silvis, sicque ejus benivolentiam sibi conciliat. Sensus est: at tu, Imperator, qui literis et Latinis et Græcis ita præditus es, ut admirationi sis omnibus oratoribus et poetis tam Græcis quam Latinis, æquo animo patere si a nobis prius Achilles, quam facta tua scribantur: nam imperatori se ejus gesta scripturum pollicitus fuerat. — *Itala virtus Graiaque.* Ad illud certamen respexit, quod quinquennale Capitolino Jovi instituerat triplex, musicum, equestre, gymnicum. In quo certabatur etiam et prosa oratione Græce Latineque, ut ideo dicat omnibus oratoribus tam Gr. quam Latinis fuisse mirabilem. Britann.

15. *Geminæ vatumque ducumque Certatim laurus.* Lauro enim poetæ ac Imperatores coronabantur. — *Geminæ.* Tam ob bellicam virtutem, quam ob poesin; nam Domitianus poeticam primis annis excoluerat. Quam tamen sprevit postea, et abjecit, ut referunt Suetonius et Tacitus: sed contrarium dicunt Fabius et Plinius.

16. *Olim dolet altera vinci.* Poetica ab Imperatoria.

17. *D. v. a. t. patere hoc sudare parumper.* Reg. B habet, *patere hoc suadere parumper;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sudare parumper Pulvere.* Id est, hac exercitatione, metaphora desumta a curulibus certaminibus; pulverem enim excitant et colligunt. Horatius, lib. I, Od. 1: « Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat. » — *Sudare.* Quia hæc certamina magna contentione fiebant.

18. *Te longo, necdum fidente paratu.* Adulatorie dicit se imparem scribendis rebus gestis Imperatoris, seque deterreri difficultate operis, quamvis hoc summopere optaret. Epistola ad Marcellum Victorium, Silv. IV, 4, v. 95 et sqq. « Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles; Sed vocat Arcitenens alio pater, armaque monstrat Ausonii majora ducis: trahit impetus illo Jampridem, retrahitque timor. Stabuntne sub illa Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix? Dic, Marcelle, feram. »

19. *M. mq. t. præludit Achilles. Præludit Achilles* « In libris aliis lectum memorat Bernartius *præsudet.* Nihil mutandum. » [illegible]

Solverat OEbalio classem de litore pastor
Dardanus, incautas blande populatus Amyclas,
Plenaque materni referens præsagia somni
Culpatum relegebat iter, qua condita ponto
Fluctibus invisis jam Nereis imperat Helle :

Put. habet *præludat*. — *Præludit Achilles.* Gesta Achillis erunt pro quodam præludio, dum experior, sitne aptus perscribendis tuis rebus, metaphora sumta a citharœdis, qui *proludere* vel *præludere* dicuntur, quum prætentant ac experiuntur suas chordas. Et *proludia* Græci vocant προοίμια, id est, cantum illum quem citharœdi faciunt ante verum et legitimum. Unde eleganter noster Papinius in Epistola ad Stellam ait, 5: «Nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore præluserit,» id est, ante scripserit. Quidam codices habent *præsudet Achilles.* Sic Statius Theb. VI, v. 4: «ludumque super, quo Martia bellis Præsudare paret, seseque accendere virtus.»

20. *OEbalio.* Id est, Laconico. — *Pastor Dardanus.* Paris Alexander, Phrygius, seu Trojanus, Priami et Hecubæ filius, qui infans expositus fuerat, ac inter pastores educatus. — *Dardanus.* Id est, Trojanus. Troas enim *Dardania* appellata fuerat a Dardano, Troesque *Dardani.* Sciunt autem omnes Paridem, quum adhuc pastor esset, et nondum a parentibus agnitus, judicem a Jove constitutum esse inter Deas de pulchritudine contendentes, eumque sententiam tulisse pro Venere.

21. *Blande populatus.* Rapiendo scilicet Helenam, cujus amore captus erat, et quæ eum, ut aiunt, redamabat. — *Incautas Amyclas.* Amyclæ urbs Laconiæ : dicuntur *incautæ* quia nihil tale suspicari poterant a Paride, qui Spartæ in domum Menelai hospitio receptus, uxorem ejus rapuit. Cæterum Helene non erat Amyclis, sed Spartæ, quom rapta fuit. Sed solitum poetis unum locum sumere pro alio, præsertim quum loca vicina sunt.

22. *Plenaque materni referens præsagia somni.* Hecuba enim gravida Paride, inter dormiendum, somniavit se ardentem facem parere, eamque Ilium depascere, atque concremare.

23. *Culpatum.* Bene; quia abducebat uxorem hospitis, quod erat indignissimum facinus.

24. *Jam Nereis imperat Helle.* Respicit fabulam, qua dicitur Helle, fugiens cum fratre Phryxo furorem novercæ, conscendisse aureum arietem, ut trajiceret mare, qua angustius erat, et in illud cecidisse, quod ex ejus nomine appellatur *Hellespontus :* ac tandem Deam marinam, seu Nereida factam fuisse. Sicque ipsa Helle de se narrat apud Valerium Flaccum lib. II, v. 606. «celeri extemplo subiere ruentem Cymothoe Glaucusque manu : pater ipse profundi Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo Regna, nec Inois noster sinus invidet undis.»

Quum Thetis Idæos, heu nunquam vana parentum
Auguria! expavit vitreo sub gurgite remos.
Nec mora: et undosis turba comitante sororum
Prosiluit thalamis: fervent coeuntia Phryxi
Litora, et angustum dominas non explicat æquor.
Illa ubi discusso primum subit aera ponto:
« Me petit hæc, mihi classis, ait, funesta minatur:
Agnosco monitus, et Protea vera locutum.
Ecce novam Priamo, facibus de puppe levatis,
Fert Bellona nurum: video jam mille carinis
Ionium, Ægæumque premi: nec sufficit, omnis

25. *Quum Thetis Idæos.* Reg. B habet, *Quum Thetis Idæis;* Reg. C nostram lect. Eo. — *Thetis.* Mater Achillis. — *Idæos.* Id est, Phrygios, seu Trojanos, ab Ida celeberrimo monte Troadis.

27. *Sororum.* Nereidum.

28. *Coeuntia.* Quia coire longe intuentibus, et conjungi videntur.

29. *Angustum æquor.* Ob rationem supra dictam. — *Dominas.* Deas Nymphas.

31. *M. p. h. m. c. ait funesta minatur.* Aldd. Colin. Basil. et Plant. *funesta paratur*, improbante Barthio. — *Me petit.* Quia in bello, quod ob raptam Helenam conflatum est, Achilles periit.

32. *Agnosco monitus, et Protea vera locutum.* Prædixerat enim Proteus Thetidi, et Paridem rapturum Helenam, et inde acerrimum bellum conflatum iri, quo bello Achilles periret. Quum enim pars eorum, quæ prædixerat Proteus, jam evenisset, conjicere debebat, et cætera eventura: inde metus pro suo Achille.

33. *Priamo.* Paridis patri. — *Facibus de puppe levatis.* Allusum ad morem faculas de puppe attollendi; quod erat signum navigationis. Virg. Æn. III, v. 518. « Postquam cuncta videt cælo constare sereno, Dat clarum e puppi signum. » Ubi Servius: « Clarum signum: faculam elevavit: ut, Æn. II, v. 256: « Flammas quum regia puppis Extulerat. » Conf. nost. Virg. edit. tom. II, pag. 416. Eo.

34. *Bellona.* Eleganter inducit Bellonam ducentem nurum Priamo, quia inde exardere debebat atrocissimum bellum. — *Mille carinis.* Totidem enim naves habebant Græci. Virgilius, Æn. II, v. 198: « Non anni domuere decem, non mille carinæ. » Ex Homeri Catalogo plures fuisse colligimus.

35. *Ionium.* De Ionio mari vide Theb. I, 14. — *Ægæumque.* De mari Ægæo vide Theb. V, 49. — *Omnis plaga Grajugenum.* Omnis enim Græcia sumsit arma ad repetendam Helenam, et jam antea cuncti fere principes ad id sacramento se adegerant, quum Menelao Helena matrimonio juncta fuerat.

Quod plaga Grajugenum tumidis conjurat Atridis:
Jam pelago, terrisque meus quæretur Achilles,
Et volet ipse sequi: quid enim cunabula parvo
Pelion, et torvi commisimus antra magistri?
Illic, ni fallor, Lapitharum prælia ludit
Improbus, et patria jam se metitur in hasta.
O dolor, o seri materno in corde timores!

36. *Conjurat Atridis.* Atridæ, Agamemnon et Menelaus, filii Plisthenis, sed Atreo ejus fratri attributi, tam quod eos educaverat, quam quod Plisthenes juvenis mortuus nihil memorandum gesserat. — *Conjurat.* Primo, quia Agamemnon ob magnam opum vim, quibus cæteros Græciæ reges ac principes vincebat, dux expeditionis declaratus fuit in templo Junonis Argivæ; alteri vero, quia ejus gratia id bellum gerebatur.

37. *Quæretur Achilles.* Nam in fatis erat Ilium capi non posse sine armis et opera Achillis: quem quæsitum et inventum apud Lycomedem, inter puellas regias, ad Trojam perduxerunt Ulysses et Diomedes. BRITANN.

38, 39. *Et volet ipse sequi. Evolet ipse.* Venett. — *Quid enim cunabula parvo Pelion, et torvi commisimus antra magistri.* Pro « parvum commisimus antris. » Nam Achilles ad disciplinam Chironis Centauri deductus fuerat, ut hoc magistro ingenium ac mores ejus formarentur. — *Cunabula.* Pro educatione, seu primis rudimentis accipimus. *Cunabula* enim, seu *incunabula* hac significatione utraque, præter vulgatam, usurpata probis scriptoribus. Suetonius Vesp. cap. II: « Quare princeps quoque locum incunabulorum assidue frequentavit, » id est, educationis. Arcadius Jurisconsultus de Officio Præf. Præt. « His cunabulis Præfectorum auctoritas initiata, » id est, his rudimentis. — *Pelion.* Mons Thessaliæ in quo sedes fuit Chironis Centauri. — *Torvi.* Vel quia Centaurus erat, vel quia asperioris disciplinæ.

40. *Lapitharum prælia ludit.* Lapithæ erant populi Thessaliæ, mediterraneam ejus regionem Peneo vicinam incolentes, quibus Ixion ac Pirithous, ejus filius, imperarunt. Inter hos populos et Centauros, ejusdem Thessaliæ gentem, orta est acerrima pugna in nuptiis Pirithoi, in qua multi utrimque ceciderunt. Vide Ovidium Met. XII. — *Ludit.* Quasi non timeat, veluti pro ludo habeat prælia Lapitharum tanquam levia, quibus se exerceat ad majora.

41. *Et patria se metitur in hasta.* Id est, vires suas experitur. Juvenalis, Sat. VI, v. 358: « nec se metitur ad illum, Quem posuit natura modum. » Tentat enim num possit hastam paternam ferre.

42. *O dolor,* etc. Negligentiam suam arguit: quod Paridem quum ad Helenam rapiendam navigavit, non obruerit in mari. — *Seri.* Quia tardius curam gerebat filii.

Non potui infelix, quum primum in gurgite nostro
Rhœtææ cecidere trabes, attollere magnum
Æquor? et incesti prædonis vela profunda
Tempestate sequi? cunctasque inferre sorores?
Nunc quoque : sed tardum est, jam plena injuria raptæ.
Ibo tamen, pelagique Deos, dextramque secundi,
Quod superest, complexa Jovis, per Tethyos annos
Grandævumque patrem, supplex miseranda rogabo
Unam hiemem. » Dixit, magnumque in tempore regem
Adspicit. Oceano veniebat ab hospite, mensis

44. *Rhœtææ cecidere trabes. Rhœtææ cecidere rates* Exc. Burg. — *Rhœtææ*. Id est, Trojanæ, seu Phrygiæ, a Rhœtæo, seu Rhœto, Promontorio Troadis, in quo sepultus fuit Ajax Telamonius. Est et urbs ejusdem nominis in Troade. — *Trabes*. Naves, materiam pro forma posuit.

45. *Incesti prædonis*. Paridis. Incestus est qui cum sanguine conjunctis coit, vel cum sanctimonialibus. Hic abusus est, et pro adultero posuit. MATURANT.

46. *Sorores*. Id est, Nymphas, seu aquas.

47. *Nunc quoque : sed tardum est, jam plena injuria raptæ. Nunc quoque* (*sed tardum est*) *jam plena injuria raptæ, Ibo*, etc. edd. vett. Interpunctio nostra est a Bernartio. *sed tardum : plena est* Exc. Burg. — *Nunc quoque*. Supple, id possum facere. — *Sed tardum est*. Id est, etiam si nunc excitarem gravissimam tempestatem, id serius esset : nam raptu Helenæ causæ belli motæ sunt inter Græcos et Trojanos.

48. *Secundi Jovis*. Id est, Neptuni. Sic etiam Sidonius in Burgo Pontii : *Sacra tridentiferi Jovis*. Homerus etiam vocavit Plutonem Δία καταχθόνιον, *Jovem subterraneum* Virgilius etiam Æn. IV, 638 : « Sacra Jovi Stygio. » Unde patet nomen *Jovis* apud poetas commune fuisse tribus filiis Saturni.

49. *Per Tethyos annos*. Tethys Cæli, et Vestæ filia, soror Saturni, conjux Neptuni, fluminum, et Nympharum mater, ut refert Hesiodus in Theogonia. Alii Tethyn faciunt Terræ et Cæli filiam, Oceani uxorem, Deorum omnium et rerum parentem. — *Annos*. Alii legunt *amnes*. Sed melius *annos*; versu enim sequenti habet « grandævumque patrem. » Et mos hic Veterum fuit obtestandi per res ei quem obsecrabant carissimas, quales sunt parentes, uxor, liberi, patria.

50. *Grandævumque patrem*. Oceanum, seu Nereum.

51. *Regem*. Neptunum.

52. *Oceano*. Oceanus Cæli et Vestæ filius, Deus marinus, maritus Tethyos, apud quem Neptunum ire epulatum ferunt poetæ : proprie tamen Oceani nomine intelligitur vastissimum illud mare,

Lætus, et æquoreo diffusus nectare vultus,
Unde hiemes, ventique silent, cantuque quieto
Armigeri Tritones eunt, scopulosaque cete,
Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur
Rege salutato: placidis ipse arduus undis
Eminet, et triplici telo jubet ire jugales.
Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus;
Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.
Cui Thetis: « O magni rector genitorque profundi,

quod totum orbem terrarum ambit. — *Mensis.* Id est, dapibus, quæ in mensis apponuntor.

54. *Unde.* Ex qoa hilaritate. Matorantius refert τὸ *unde* ad Æthiopiam. Illam certe regionem minime fulmini obnoxiam esse tradit Plutarchus de Superstitione. Quo senso *unde*, id est, qua parte.

55. *Armigeri Tritones. Armiferi Tritones* codex Vossianus. — *Armigeri Tritones.* Triton Deus marinus, Neptuni et Salaciæ Nymphæ filius, quem poetæ dicunt Neptuni tobicinem esse. De Tritonibus ita loquitur Plinius lib. IX, cap. 5. « Tiberio principi nuntiavit Olisiponensium legatio, ob id missa, visum auditumqoe in quodam specu concha canentem Tritonem ea, qua noscitur, forma. » Unde supra dicitur: *Armigeri Tritones eunt.* — *Armigeri.* — Quia ferunt tridentem Neptoni. —*Scopulosa cete.* Cete in mari majores pisces, ut balænæ. — *Scopulosa.* Quia magnitodine ac mole scopulos imitantur. Plinius refert lib. IX, cap. 6, de Balænis et Orcis, ejus belluæ, coi dicebator exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Jodææ Joppe ostendisse inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurum, longitudine pedum 40, altitodine costarom Indicos elephantos excedente, spinæ crassitodine sesqnipedali.

56. *Tyrrhenique.* Delphines, in quos Tyrrheni quidam navicularii snnt a Baccho mutati: Ovid. Met. III, 670, ubi vid. not. nost. edit. tom. III, pag. 281, et seq. de iisdem Propertius, lib. III, Eleg. 16. En.

57. *Rege.* Neptono.

58. *Triplici telo.* Fuscina, seu tridente, insigni ejus. — *Jugales.* Phocas, seu Hippocampos.

59. *Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus.* Put. *pectore cursus.* — Reg. B. habet hanc lect. Reg. C nostram. En. — *Glomerant.* Volvunt. Britann.

60. *Pone natant.* Id est, cauda. — *Delentque pedum vestigia cauda.* Nam Phocis, seu Hippocampis, qui et vituli marioi dicuntur, pedes sout tantum priores; reliqua pars in caudam piscis desinit, ut illos describit Noster Theb. II, v. 45: « Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos In portum deducit eqoos; prior haorit arenas Ungula: postremi solvuntur iu æquora pisces. »

61. *Cui Thetis: O magni rector genitorque profundi.* Tunc Thetis

Adspicis, in quales miserum patefeceris usus
Æquor? Eunt tutis terrarum crimina velis,
Ex quo jura freti majestatemque repostam
Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina.
En aliud furto scelus, et spolia hospita portans
Navigat injustæ temerarius arbiter Idæ,
Eheu quos gemitus terris pelagoque daturus!
Quos mihi! sic Phrygiæ pensamus præmia palmæ.

Petav. *Cum Thetis* Put. *genitor rectorque profundi* Exc. Burg. et codex Vossianus. — Hanc ultimam lectionem habent Regg. B et C. Ed. — *Thetis.* Mater Achillis. — *Genitorque profundi.* Ex Neptuno enim, sive mari omnes fontes fluviique ac aquæ oriuntur.

62. *In quales usus.* Scilicet ad furta et scelera.

64, 65. *Ex quo jura freti majestatemque repostam Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina.* Constat enim, teste Plinio, longa nave primum Jasonem navigasse. Nota etiam fabula expeditionis Argonautarum in Colchos. Vide The ›. V, v. 403. Valerium Flaccum, et Ovidium. Pro *repostam*, alii legunt *verendam*, utrumque bonum. — *Iasonia rapina.* Intelligit Medeam, quam rapuit Jason.

65. *Puppis Pagasæa.* Jasonis navis ad Pagasas fabricata. Pagasæ autem civitas fuit Thessaliæ, Pherarum emporium, a quibus nonaginta distat stadiis, ab Iolco vero viginti. Maturant.

66. *En aliud furto scelus.* Sicut Jason rapuit Medeam, vellusque aureum, sic Paris Helenam et bona Menelai abstulit. — *Spolia hospita portans.* Quia hospitio receptus fuerat Paris in domo Menelai.

67. *Injustæ Idæ.* In hoc enim Phrygiæ monte sedens Paris Deas judicaverat. *Injustæ* vero, odioso, quia ex hoc judicio, tanquam prima causa belli inter Græcos et Trojanos, sibi mortem filii portendi videbat. — *Arbiter. Arbiter* is appellatur, qui a litigantibus litis cognitor assumitur. Supra autem diximus tres Deas de malo inter se contendentes ad judicium Paridis esse missas.

68. *Terris.* Id est, mortalibus, cæde propinquorum. — *Cælo.* Id est, Diis, cæde natorum, ut Jovi, Sarpedone filio occiso, Auroræ, Memnone filio, Marti, Cycno filio peremtis.

69. *Q. m. s. P. pensamus præmia palmæ.* Reg. B et C habent, *pensamus gaudia palmæ.* Ed. — *Quos mihi.* Prævidebat enim mortem Achillis in hoc bello. — *Sic Phrygiæ pensamus præmia palmæ*, etc. Invidiose in Venerem, quam ingrati animi accusat, quum, nata et educata in mari, non habuerit rationem salutis Achillis Thetidis filii, qui in bello Trojano periturus sit. — *Phrygiæ palmæ.* Id est, victoriæ, quam reportavit Venus judice Paride.

Hi Veneris mores, hoc gratæ munus alumnæ?
Has saltem (non Semideos, nostrumque reportant
Thesea), si quis adhuc undis honor, obrue puppes,
Aut permitte fretum: nulla inclementia: fas sit
Pro nato timuisse mihi: da tollere fluctus,
Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum
Litus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri.»

70. *Hi Veneris mores.* Ut mali aliquid semper machinetur, et tot mala veluti præmium Paridis judicii Trojanis retribuat. Matur. — *Alumnæ.* In mari natæ et educatæ. Ferunt enim poetæ virilia Cæli a Saturno filiu falce ampntata in mare decidisse, eorumque sanguine et spuma maris procreatam esse Venerem.

71. *Has saltem*, non *Semideos.* Reg. B habet, *num semideos;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Has saltem.* Si illam Jasonis propterea fluctibus mergere noluisti, quod semideos et Theseum vehebat, saltem has Paridis naves obrue, quæ sceleratum vehunt et adulterum. — *Semideos.* Qui cum Jasone navigarunt, ut Orpheus, Castor et Pollox, Hercules. Sunt autem semidei quos ἥρωας vocant Græci, quod nati sint ex mortali. — *Nostrum Thesea.* Fuit is Ægei regis Athenarum filius; Ægeus vero Neptuni. Rumor autem fuit a Pitheo materno avo dissipatus, a Neptuno fuisse generatum, et propterea inquit, *nostrum Thesea*, id est, nepotem tuum, vel filium. Matur.

72. *Si quis adhuc undis honor.* «Uous e veteribus, *si quis adhuc nubit honor;* uode elegautiorem lectionem eruo, *nobis honor.*» Bern. Nonnulli codd. Lind. *undis humor.*

73. *Aut permitte fretum.* Supple mihi, ut possim illud concitare. — *Nulla inclementia; fas sit Pro nato timuisse mihi.* Omnes enim metus pro filio justi sunt.

74. *Pro nato timuisse mihi: da tollere fluctus.* Put. *da pellere fluctus.* Locus tenebricosus, et fortasse non sanus. Bern. — Reg. B. habet, *da pellere luctus;* Reg. C nostram lect. Ed.

75. *N. t. d. t. p. me fluctibus unum.* Reg. B. habet, *me fluctibus unam*; Reg. C nostram lect Ed. — *Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum Litus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri.* Ne tibi placeat, o Neptune, ut, quum sim Dea, cui totum pelagus sedes est et domicilium, cineres ac tumulus filii uoi litori me affixam teneant. — *Iliaci scopulos sepulcri.* Id est, promontorium Sigeum in Troade, juxta quod Achillis erat templum et sepulcrum. Noster, Silv. V, 1, 34 et seq. «Citius Tithonida mœsti Deficient rores; aut exsiccata fatiscet Mater Achilleis hiemes affrangere bustis.»

76. *Litus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri.* Reg. B. habet, *Litus, et Iliacis oculos habitare sepulcri;* Reg. C *Litus, et Iliaci scopulos habitare profundi.* Ed. — *Et Iliaci scopulos sepulchri.* Id est,

Orabat laniata comas, et pectore nudo
Cæruleis obstabat equis: tunc ductor aquarum
Invitat curru, dictisque ita mulcet amicis:
« Ne pete Dardaniam frustra, Theti, mergere classem.
Fata vetant: ratus ordo Deis, miscere cruentas
Europæque Asiæque manus, consultaque bella
Juppiter et tristes edixit cædibus annos.
Quem tu illic natum Sigeo in pulvere? quanta
Adspicies victrix Phrygiarum funera matrum?
Quum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros

Sigei promontorii, juxta quod Achilles templum habet et tumulum, qui locus Achilleum nominatur. Ilienses enim ei et Patroclo, Antilocho, et Ajaci sacrificant. — *Habitare.* Residere ubi in continuis ero lacrimis. Matth.

77. *Laniata comas, et pectore nudo.* Ut fit in maximo luctu.

78. *C. o. e. tunc ductor aquarum.* Dan. Pul. Colin. Basil. Lindenbrog. et Gevart. *tunc rector aquarum;* Pelrens. Burg. Vossian. codex T. R. Petav. Buslid. Gronov. Barth. et Delph. *tunc ductor aquarum.* — Regg. B et C exhibent, *rector aquarum.* Ed.

80. *Dardaniam.* Id est, Trojanam.

81. *Miscere cruentas Europæque Asiæque manus.* Bello enim Trojano Asia et Europa inter se commissæ sunt.

82. *Europæque Asiæque manus.* Reg. C habet, *Europamque Asiamque manus;* Reg. C nost. lect. Ed. — *Europæ.* Europa una ex tribus partibus veteris orbis: ab Oriente divisa ab Asia, Mari Ægæo, Hellesponto, Propontide, Bosphoro Thracio, Ponto Euxino, Bosphoro Cimmerio, Mæotide palude, ac fluvio Tanai, lineaque ducta ab eodem ad ostium Obii fluminis. A meridie vero ab Africa Mari Mediterraneo, totaque terminata Oceano a Septemtrione et Occidente. — *Asiæque.* Asia una etiam pars veteris orbis, major cæteris duabus, terminata ab Occidente, et divisa ab Europa iis finibus, quas supra posuimus inter illam et Europam, a Meridie vero terminata Mari Mediterraneo, et Mari Indico, a Septemtrione vero Mari Glaciali et Orientali.

83. *J. e. t. e. cædibus annos.* Edd. vett. *sedibus annos.* — *Annos.* Decem scilicet.

84. *Quem tu illic natum. Quantum illic* Exc. Burg. — *Quem tu illic natum Sigeo in pulvere.* Qualem, inquit, adspicies filium tuum in bello Iliensi? quasi dicat, magnam quidem Trojanis inferet stragem et multas cædes committet. Sicque conatur timorem ejus de filio infringere, quum ostendat ab eo universam Græcorum victoriam pendere. Brit. — *Sigeo.* Id est, Trojano, a Sigeo promontorio Troadis.

86. *Æacides.* Achilles ab avo Æaco.

Undabit campos; modo crassa exire vetabit
Flumina, et Hectoreo tardabit funere currus,
Impelletque manu nostros, opera irrita, muros.
Pelea jam desiste queri, thalamosque minores,
Credideris peperisse Jovi: nec inulta dolebis,
Cognatis utere fretis: dabo tollere fluctus,
Quum reduces Danai, nocturnaque signa Caphareus

87. *Undabit campos.* Reg. C habet, *Implebit campos.* Ed. — *Undabit.* Pro *inundabit.* — *Modo crassa exire vetabit Flumina.* Nempe multitudine occisorum. Cf. Poet. Lat. Min. Petronii arbitri Carm. Min. de Somniis. nost. edit. t. III, p. 298. Ed.

88. *F. e. H. tardabit funere currus.* Put. *tardavit funere.* — Hanc lect. habet Reg. B, et C nostram. Ed. — *Hectoreo funere.* Achilles enim alligavit currui corpus Hectoris, ac ter circum tumulum Patrocli traxit. — De hoc versu vide notata ad versum 1002, Incerti Epitom. Iliad. Hom. Poet. Lat. Min. tom. III, p. 602. Ed.

89. *Impelletque manu nostros, opera irrita, muros.* Reg. B. habet, *Impelletque manus;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Impellet.* Ipse manu sua Trojanos muros concutiet. Nostros muros, a me una cum Apolline fabricatos. Fabula tradit Apollinem et Neptunum a Laomedonte Trojanorum rege mercede conductos Trojanos muros fabricasse; mercedem autem a Laomedonte negatam esse, quod propterea fictum est, quia Laomedon decretam pecuniam in templorum Apollinis et Neptuni ædificationem ad bellicos usus transtulit. — *Opera irrita.* Quibus nihil proderunt, quod a diis fuerint instructi. Mat.

90. *Pelea jam desiste queri.* Id est, ne queraris, quod Peleo mortali nupseris.

91. *Credideris peperisse Jovi.* Reg. B habet, *crederis peperisse Jovi.* Reg. C nostram lect. Ed. — *Credideris peperisse Jovi.* Tot enim ac tanta facinora edet in hoc bello filius tuus Achilles, ut illum non de Peleo, sed de Jove concepisse credas. — *Inulta.* Nam multi Græcorum redeuntes in patriam gravi naufragio perierunt.

92. *Cögnatis utere fretis.* Reg. B habet, *cognatisque utere fretis;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Cognatis fretis.* Consanguinitate conjunctis. Thetis enim Nerei est filia. Sensus est: Tunc tibi concedam ut mare tempestate perturbes, quum Græci eversa Troja domum victores redibunt Britann.

93. *Q. r. D. nq. signa Caphareus.* Reg. B exhibet, *Caphereus;* Reg. C, *Cafareus.* Ed. — *Quum reduces Danai, nocturnaque signa Caphareus Exeret.* Tangit fabulam, qua dicitur Nauplius, ob interfectum a Græcis, Ulyssis fraude, Palamedem filium, eos Troja diruta domum redeuntes, dum noctu procella laborarent, face exerta e Caphareo Eubœæ insulæ promontorio, in saxa et scopulos attraxisse,

Exeret, et dirum pariter quæremus Ulixem. »
Dixerat: illa gravi vultum demissa repulsa,
Quæ jam excire fretum, et ratibus bellare parabat
Iliacis, alios iterum commenta paratus,
Tristis ad Hæmonias detorquet brachia terras.
Ter conata manu, liquidum ter gressibus æquor
Reppulit, et niveas feriunt vada Thessala plantas.
Lætantur montes, et connubialia pandunt
Antra sinus, lateque Deæ Sperchios abundat

ubi multi naufragium fecerunt. Ber.

94. *Exeret:* attollet, velut portum vicinum indicans. Ed. — *Pariter.* Pari odio inimicus Ulyxi factus est Neptunus, quoniam ille Polyphemo ejus filio oculum eruit : at vero Thetis Ulyxem persecuta est, quod ab eo Achilles quæsitus et ad bellum est perductus.

97. *Iliacis, alios iterum commenta paratus.* « In membranis est : *igitur commenta paratus;* tantumdem rei est. Barth. *iterum errata paratus* Exc. Burg. — Reg. B habet, *Iliacis, alios animo commenta paratus.* Reg. C nostram lect. Ed. — *Iliacis.* Trojanis.

98. *Hæmonias terras.* Thessalicas. Hæmonia dicta est Thessalia ab Hæmone, a cujus filio Thessalo Thessalia est vocata. Auctor Strabo. — *Detorquet.* Flectit. Maeur.

99. *Ter conata manu.* Natantis gestum exprimit. — Confer. Claud. de Nuptiis Honorii et Mariæ, v. 147.

100. *Reppulit, et niveas. Reppulit et teneras* Exc. Cantab. *Impulit et niveas* Exc. Burg. — *Æquor Reppulit.* Membranæ bonæ fidei, *Impulit.* Vereor ne hic ei sit idem vitium oblatum, quod lib. II, 135: « Impulerat cælo gelidas aurora tenebras. » Ubi male Bernart. ex uno aut altero, *Expulerat;* nam Statio persæpe *impellere* est commovere, movere loco. Ut lib. II, v. 80 : « Impulerat matres Baccho meliore Cithæron. » Lib. III, v. 35 : « ubi primum maxima Tethys Impulit Eoo cunctantem Hyperiona Ponto. » Et rursus, v. 482 : « cui tu, Dictæe, secundas Impuleris manifestus aves. » Ovidius Met. III, v. 657 : « et impellit properantibus æquora remis. » Gronov.

101. *Lætantur montes.* Ob adventum scilicet Thetidis, quia ibi nupserat. — *Connubialia Antra.* In quibus nuptiæ ejus celebratæ fuerant.

102. *Sinus.* Receptacula aquarum; casus est accusativus. Britann. — *Sperchios.* Sperchius fluvius Thessaliæ, qui, teste Strabone, Pelio monte effusus, rapidissimo cursu in Maliacum sinum se exonerat. Huic Achilles comam suam voverat. Noster Coma Earini, Silv. III, 4, 85 : « Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles. » Hic fluvius Polydoram Achillis sororem duxit uxorem, et ex ea suscepit Menestium. Mos poetarum est dare sensum et affectum locis. Sic Vir-

Obvius, et dulci vestigia circuit unda.
Illa nihil gavisa locis, sed cœpta fatigat
Pectore consilia, et solers pietate magistra
Longævum Chirona petit: domus ardua montem
Perforat, et longo suspendit Pelion arcu:
Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.
Signa tamen, Divumque tori, et quem quisque sacrarat
Accubitu, genioque, locus monstrantur: at intra
Centauri stabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus: hic hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni,

gilius, Egl. I, v. 40: « Ipsæ te, Tityre, pinus, Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant. »

104. *Illa nihil gravisa locis.* Ut quæ sollicita esset de Achille.

106. *Chirona.* Supra diximus Achillem ad Chironem missum fuisse. — *Longævum.* Jam ad senium vergentem. — *Domus ardua.* Domum describit Chironis, et partim natura, partim artificio factam tradit. Erat autem ad Pelei montis radices. MATURANT.

107. *Perforat.* In monte perforato et concavo est. — *Longo arcu.* Veluti fornice in longum porrecta. — *Suspendit.* In aere suspensum tenet: unde horti pensiles et Babylon pensilis tota fuisse dicitur, quoniam pavimentum erat testudineum. MATUR.—*Pelion.* Montem Thessaliæ, de quo sæpius diximus.

108. *Sua ætas.* Propria ætas et longitudo temporis, non autem ars et hominum labor. MATURANT.

109. *S. t. Dq. t. et quem quisque sacrarat.* Reg. B habet, *et quem quisque sacravit.* Reg. C nostram lect. ED. — *Signa tamen, Divumque tori*, etc. Ad nuptias enim Pelei et Thetidis convocatos fuisse omnes Deos Deasque, excepta Discordia, fabulantur poetæ.

110. *A. gq. locus monstrantur: at intra.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *locū monstratur.* — Hæc lectio in Reg. B et in Reg. C invenitur.— *Genioque.* Vide Equum Domitiani Silv. I, 1, vs. 69.

111. *Centauri.* Chironis. — *Nefandis Fratribus.* Id est, stabulis reliquorum Centaurorum, qui semper feroces impiique describuntur.

112. *Hic.* In antro scilicet Chironis.

113. *Nec truncæ bellis genialibus orni.* Id est, nuptialibus, ut accidit in nuptiis Pirithoi, ad quas invitati Centauri, vino pleni, Hippodamiam ejus sponsam rapere voluerunt: unde orta est inter eos et Lapithas atrocissima pugna, in qua deficientibus telis ac poculis, Centauri arboribus pugnasse dicuntur. Juvenalis, Sat. I, v. 11: « quantas jaculetur Monychus ornos. » In hoc tandem certamine deleti fuerunt omnino Centauri.

Aut consanguineos fracti crateres in hostes;
Sed pharetræ insontes, et inania terga ferarum.
Hæc quoque dum viridis; nam nunc labor unus inermi
Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas,
Aut monstrare lyra veteres heroas alumno.
At tunc venatu rediturum in limine primo
Opperiens, properatque dapes, largoque serenat
Igne domum: quum visa procul de litore mater
Nereis, erumpit silvis: dant gaudia vires,
Motaque desueto crepuit senis ungula campo.

114. *Aut consanguineos. Nec consanguineos* Exc. Burg. — *Consanguineos hostes.* Id est, Lapithas: nam Centauri erant orti ex Ixione Lapitharum rege, et Nube, quam ai Juppiter supposuit in loeum Junouis. Nota fabula. Sed verius: quia Centauri et Lapithæ eraut populi Thessaliæ.

115. *Terga.* Pro tergora. — *Ferarum.* Qnarum earnibns vescebautur, non autem hominum, ut alii Centauri. MATUR. — *Insontes.* Ut qnæ solum feras avesque peterent.

116. *Hæc quoque dum viridis: nom nunc lobor unus inermi.* « Scribendum cum membrauis: *tum viridis.* BARTH. Idem Barthius ex duobus scriptis profert: *Hæc quoque tum juvenis.* Lang. Buslid. et edd. vett. *nom tunc labor.* — Hanc ultimam lect. præbent Regg. B et C. ED.

117. *Nosse solutiferas variis onimontibus herbas.* Nam et Chiron medicus erat peritissimus. Invenit herbam quæ *Chironeum* appellatur, et aliam quæ *Centaurion*, quæ omuium morborum remedia promittit, auctore Plinio, qui et Chironem primum Herbariam et Medicamcutariam invenisse refert. — Animautes sunt homiues. Sie noster Theb. XII, v. 503: « Sic saerasse loco commune auimautibus ægris Confugium. » Ad quem confer notata. ED.

118. *Aut monstrore lyra veteres heroas alumno.* Ex more Veterum, apud quos præclara facinora heroum ac fortium virorum ad lyram canebantur. — *Alumno.* Aehilli.

119. *Venatu.* Venatione in quam profeetus erat. — *Limine primo.* Primo domus ingressu. MATURANT. — *Rediturum.* Aehillem.

120. *Opperiens.* Exspectans Chiron. — *Properat.* Urget, festinat. — *Largo.* Abundanti. MATURANT.

121. *Mater.* Achillis. MATURANT.

122. *Nereis.* Thetis. — *Erumpit.* Subaudi, Chiron. — Egressus est Pelei silvas in quibus erat, ob nimiam lætitiam quam animo conecepit, et ut honoris gratia obviam oceurreret Deæ, etsi senex erat, et egredi domum vix solebat. MATUR.

123. *Motaque desueto.* Reg. B exhibet, *Notaque;* Reg. C nostram leet. ED. — *Desueto campo.* Id est, per quem ire non amplius solebat oh senectutem. — *Ungula.* Quæ brutorum est non scissa ungulis.

Tunc blandus dextra, atque imos submissus in armos
Pauperibus tectis inducit, et admovet antris.
  Jamdudum tacito lustrat Thetis omnia visu;
Nec perpessa moras: « Ubinam mea pignora, Chiron?
Dic, ait, aut cur ulla puer jam tempora ducit
Te sine? num merito trepidus sopor? atraque matri
Signa Deum? magnos utinam mentita timores!
Namque mihi infestos utero modo contuor enses,
Nunc planctu livere manus, modo in ubera sævas
Ire feras: sæpe ipsa, nefas! sub inania natum
Tartara, et ad Stygios iterum fero mergere fontes.

124. *T. b. d. a. imos submissus in armos.* Put. *demissus in armos.* — *Blandus dextra.* Quam Thetidi blande porrexit. — *Imos armos*: i. e. inferiores: nam superiore parte homo erat, inferiore equus; qui vero hominibus humeri vocantur, in brutis armi potius dicuntur, unde arma appellari Festus existimat, quod inde dependeant. — *Submissus.* Inclinatus, venerationis causa, ut a nobis fit quoties quempiam magnifacimus. Maturant. — Sic apud Sil. Ital. Punic. X, 464: « Inde inclinatus colla et submissus in armos. » Ed.

125. *P. t. i. et admovet antris.* Reg. B habet, *et admonet antri;* Reg. C nostram. Ed.

126. *Lustrat visu.* Quia ibi Achillem non videbat.

128. *Dic, ait, aut.* — *Sunt, ait, aut,* etc. Exc. Burg.

129. *Te sine? num merito trepidus sopor?* Reg. B præbet, *non merito trepidus sopor.* Reg. C nostram lect. Ed. — *Num merito trepidus sopor.* Agit artificiose cum Chirone, ut Achillem abducat.

130. *Signa Deum? magnos utinam mentita timores! Deum et magnos* Exc. Burg. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *et magnos utinam mentita dolores.*

131. *Namque mihi infestos utero modo contuor enses.* *Namque modo infestos* nonnulli codd. Lindenbrogii; *Namque modo infestos utero mihi* Exc. Burg. — In Reg. B invenitur, *Namque modo infessos utero mihi contuor enses;* in Reg. C, *Namque modo infensos,* etc. — *Modo.* Exponit quæ signa essent, et modo, inquit, videre videor uterum meum vulnerari, ex quo mors filii qui egressus est, significatur.

132. *Livere.* *Livor* proprie est color plumbeus, qualem contrahunt verberatæ corporis partes. — *Modo in ubera.* Et hoc in somnis damnum ex filio portendebat. Nam uberibus altus est. Matur.

134. *Et ad Stygios iterum fero mergere fontes.* Thetis dicitur abluisse infantem Achillem aquis Stygiis, ut eum contra vulnera muniret, sed quum oblita esset talos, quibus illum tenebat, mergere, hac

Hos abolere metus magici jubet ordine sacri
Carpathius vates, puerumque sub axe probato
Secretis lustrare fretis, ubi litora summa
Oceani, et genitor tepet illabentibus astris
Pontus, ubi ignotis horrenda piacula Divis,

parte corporis potuit vulnerari, et a Paride occisus est.

135. *Hos abolere metus magici jubet ordine sacri.* Reg. B exhibet, *Hos abolere metus magni jubet ordine sacri;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Magici sacri.* Omnia magicis artibus posse fieri credidere Veteres, elementa concoti, homines verbis interimi, mentem hominum turbari, lunam e cælo evocari, flumina sisti, aliaque mira ac stupenda.

136. *Carpathius vates.* Proteus sic dictus a Carpatho, insula inter Ægyptum et Rhodum, quæ nomen dedit Carpathio mari. In hac regnavit Proteus relicta Palleoe patria, urbe Thessaliæ, ad quam tamen postea reversus est. — *Sub axe probato.* Id est, sub ea parte cæli, quam magi probavere plurimom posse ad expiationes. Lustrare, espiare et purgare. Britann.

137. *Secretis lustrare fretis.* Aqua marina apta expiationi, ut Veteres credebant : purificat enim propter igneam portionem, ut ait Proclus. Unde vulgatus ille Senarius : Κλύζει θάλασσα πάντα τῶν ἀνθρῶν κακά. « Mare purgat omnia hominum mala. » Aristophanes etiam in Pluto notat antiquos mari se expiari solitos. — *Ubi litora summa Oceani.* Atlantici, vel Æthiopici. Imitatur Virgilium, qui inducit Didonem evocantem ex illis partibus sacerdotem, qua ab amore Æneæ solveretur, Æneid. IV, v. 479 et sqq. : « Oceani finem juxta, solemque cadentem, Ultimos Æthiopum locus est, obi maximus Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum : Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos. » (Conf. Virg. nost. t. II, p. 530.) Potest etiam intelligi Oceanus Britannicus; nam illic arti magicæ magna fides habita est, auctore Plinio lib. XXX, cap. 4, 1, cujus hæc sunt verba : « Quid ego hæc commemorem in arte Oceanum quoque transgressa, et ad naturæ inane pervecta. Britannia hodieque eam attonite celebrat tantis cærimoniis, ut dedisse Persis videri possit. » Vide Plinium hoc loco, Strabonem ac Laertium de origine magiæ, quæ primum orta est in Perside per Zoroastrum, ac deinde in omnes terras propagata. *Mokh*, onde deductum nomen *magi* apud Persas, sapientem significat.

138. *Illabentibus astris.* Ubi pontus intepescit, id est, incalescit sole et stellis cadentibus in ipsum quum occidunt. Maturant.

139. *Ignotis Divis.* Quorum nomina nulli novere præter magos : vel per *ignotos Divos* manes intelligit. — *Horrenda piacula.* Id est, quæ fiunt per νεκυομαντείαν, elicitis umbris aut Diis Inferis. Sunt autem *piacula* sacra quibus expiatur facinus admissum, et quæcunque purgationis fiunt gratia.

Donaque: sed longum cuncta enumerare, vetorque;
Trade magis.» Sic fata parens: neque enim ille dedisset,
Si molles habitus et tegmina fœda fateri
Ausa seni: tunc ille refert: «Duc, optima, quæso,
Duc genitrix, humilique Deos infringe precatu.
Nam superant tua vota modum, placandaque multum
Invidia est: non addo metum, sed vera fatebor:
Nescio quid magnum (nec me patria omina fallunt)
Vis festina parat, tenerosque supervenit annos.
Olim ferre minas et obire audita solebat
Imperia, et nostris procul haud discedere ab antris.
Nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens,

140. *Vetorque.* A Proteo. Vel quia magia secretum vult.

141. *Trade magis.* » *Sic fata parens.* Reg. B habet, *Sic ficta parens;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Magis.* Pro sed. Virg. Eg. I, 11: «Non equidem invideo, miror magis.» Alter offertur a Maturantio sensus: trade, non mihi, sed magis quibus per ignuta sacra expietur, et inviolabilis immortalisque reddatur.

143. *Ausa seni: Tunc ille refert. Ausa foret.* Dan. Petav. Culin. Basil. et Plant. — Reg. B habet, *Ausa seni: tunc ipse refert;* Reg. C, *Ausa foret: tunc ille refert.* Ed.

145. *Nam superant tua vota modum, placandaque multum. Non superant* multi codd. et edd. vett. *Jam superant* duo codd. Barthii; quod ille probat; *Nam superant* Dan. Petav. Laur. Buslid. Exc. Burg. et Petrens. *placandaque Divum* Exc. Burg. et Petav. — *Tua vota.* Achilles tuus. — *Placandaque multum Invidia.* Vide Theb. VI, 691, et Silv. V, 1, 137, Pietate Abascantii: «Quisnam impacata consanguinitate ligavit Fortunam Invidiamque Deus? quis jussit iniquas Æternum bellare Deas? nullamne notavit Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat Protinus, et sæva proturbet gaudia dextra?»

147. *Nec me patria omina fallunt.* His, inquit, non fallor, quibus parentes plerumque falluntur, qui multa de filiis augurari atque ominari solent.

148. *V. f. p. tenerosque supervenit annos.* Regg. B et C habent, *tenuesque supervenit annos.* — *Vis festina.* Veniens ante suum tempus.

149. *Olim ferre minas et obire audita solebat.* Exc. Burg. *et obire mandata solebat.* — Reg. B exhibet, *Olim efferre minas, avideque audire solebat;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Olim.* A principio, quum mihi educandus traditus est. — *Ferre minas.* Æquo animo pati. — *Obire audita imperia.* Quidquid erat imperatum id exsequi. Maturant.

151. *Ossa.* Non sufficit illi Ossa qui est Thessaliæ mons objectus

Thessaliæve nives: ipsi mihi sæpe queruntur
Centauri raptasque domos, abstractaque coram
Armenta, et campis semet fluviisque fugari.
Insidias et bella parant, tumidique minantur.
Olim equidem, Argoos pinus quum Thessala reges
Hac veheret, juvenem Alciden, et Thesea vidi;
Sed taceo. » Figit gelidus Nereida pallor.
Ille aderat multo sudore, et pulvere major.

Septemtrioni. Olympo olim conjunctum Hercules scidit. Strabo terræ motum factum esse dicit. — *Pelion ingens*. Est enim editissimus mons Pelion; nam Dicæarchus vir in primis eruditus regum cura montes Thessaliæ permensus, ex illis altissimum hunc prodidit, MCCL passuum, ut refert Plinius Nat. Hist. lib. II, cap. 65. Ed. — *Nunc illum* non *Ossa capit*. Virgil. Æneid. IX, 644 : « Nec te Troja capit. » De hujus verbi usu ad illum Virgilii locum vide nost. edit. tom. IV, p. 66. Notum satis est illud Philippi ad Alexandrum filium : Quære aliud regnum; Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ.

152. *Thessaliæve nives*. Reg. B habet, *Pharsaliæve nives*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Thessaliæve nives*. Nam quum montes Thessaliæ editissimi sunt, fere semper toto anno teguntur nivibus.

154. *Armenta, et campis semet fluviisque fugari*. Regg. B et C præbent, *Armenta, et semet campis fluviisque fugari*. — Vide p. 448, tom. I, Stat. nost. Ed.

155. *Insidias et bella parant, tumidique minantur*. Reg. B habet, *Insidiasque et bella parant, timideque minantur*; Reg. C nostram lect.

156. *Olim equidem Argoos, pinus quum Thessala reges*. *Olim equidem Argivos* Venett. 3, 4. *Olim equidem Argolicos* Nic. Heinsius ad Ovid. tom. I, p. 163. *puppis quum Thessala* in quibusdam scriptis. — *Argoos reges*. Argonautas, qui numero quatuor et quinquaginta fuisse produntur. Ex quibus clarissimi fuere Castor et Pollux, Hercules, Telamon, Orpheus, Atalanta Schœnei, præterea Boreæ duo filii, et ipse dux expeditionis Jason. Hi omnes ducem sibi præfecerunt Herculem veluti omnium judicio fortitudine et virtute præstantiorem. — *Pinus Thessala*. Id est, Argo navis, quæ ab Argo ejus fabricatore nominata est, vel ut alii ab ejus velocitate, quam antiqui Argon appellabant : apud Pagasas, ut diximus, oppidum Thessaliæ fuit ædificata. BRITANN.

157. *Hac veheret, juvenem Alciden, et Thesea vidi*. *Huc veheret* Lang. Laur. Put. Petav. et edd. vett. Ita etiam Nic. Heinsius lib. I. — Hic versus in Reg. B deest : adest in Reg. C. Ed. — *Juvenem Alciden*. Id est, Herculem ab Alcæo avo.

158. *Sed taceo*. Achillis adventus sermonem interrumpit. — *Figit gelidus Nereida pallor*. Quasi vulnerat. Thetis expalluit incerta quid de filio jam dicturus esset Chiron. Ed.

159. *Ille aderat*. *Tunc aderat* Pe-

Attamen arma inter, festinatosque labores,
Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
Purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro.
Nec dum prima nova lanugine vertitur ætas,
Tranquillæque faces oculis, et plurima vultu
Mater inest: qualis Lycia venator Apollo
Quum redit, et sævis permutat plectra pharetris.
Forte et lætus adest: (o quantum gaudia formæ
Adjiciunt!) fœtam Pholoës sub rupe leænam
Perculerat ferro, vacuisque reliquerat antris

tav. — *Ille aderat multo sudore.* Dum sic Thetis et Chiron colloquerentur, ecce ex venatione Achilles rediit sudore et pulvere (ut videbatur) amplior, factus major quam antea esse videretur.

160. *Attamen arma inter.* Reg. B habet, *Et tamen arma inter;* Reg. C eamdem lect. Ed.

161. *D. a. v. niveo natat ignis in ore.* Lang. Buslid. et Lipsian. *niveo vacat.* — *Dulcis adhuc visu.* Ut cujus naturalis pulchritudo iis exercitationibus non mutata fuerat. — *Natat.* Sic diffunditur, ut natare videatur rubicundus color.

162. *Fulvo nitet coma gratior auro.* Herodianus de Commodo: Κόμη ἦν φύσει ξανθὴ, καὶ οὔλη, ὡς εἴποτε φοιτῴη δι' ἡλίου, τοσοῦτον ἐκλάμπειν αὐτῷ πυροειδές τε, ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥίνημα χρυσοῦ προϊόντι ἐπιπάσσεσθαι. « Flava et crispa cæsaries erat, ut in sole ambulanti velut igne quodam rutilaret, sic ut euntem quidam scobe aurea putarent conspergi. » — Videsis notata ad vers. 6, Incerti ad Lydiam: « pande capillos Flavos, lucentes ut aurum nitidum. » Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. II, p. 453. Ed.

163. *Nova lanugine.* Quæ incipit 13 vel 14 ætatis anno, ad quod tempus quum pueri pervenerunt, ephebi dicuntur. — *Prima ætas.* Pueritia, quæ pubertatem præcedit.

164. *Tq. f. o. et plurima vultu.* Petav. *et plurima visu.* — *Et plurima Mater inest.* Homerus refert speciosissimum omnium Græcorum fuisse Achillem: quod similis fuit matri, quæ ob eximiam formam Jovi placuit.

165. *Qualis Lycia*, etc. Virgiliana imitatio. Sic Virgilius Æneid. IV, v. 143: « Qualis ubi hibernam Lyciam, etc. » Fingunt poetæ Apollinem mensibus hibernis apud Pataram Lyciæ urbem, (a qua *Patareus* dicitur,) æstivis vero apud Delum oracula dare consuevisse.

168. *Pholoes.* Aliqui interpretum hic per *Pholoen* designari volunt montem Arcadiæ ejusce nominis, hincque animum Achillis colligi, qui late longeque a finibus suis vagaretur. Sed potius *Pholoe* nomen est montis, sive silvæ Thessaliæ: agnoscit enim Valerius Flaccus *Pholoen* in Thessalia; Argon. I, 140: « Parte alia Pholoe, etc. » ubi vid. not. nost. edit. t. I, p. 20. Ed.

Ipsam, sed catulos apportat, et incitat ungues.
Quos tamen, ut fido genitrix in limine visa est,
Abjicit, exceptamque avidis circumligat ulnis,
Jam gravis amplexu, jamque æquus vertice matri.
Insequitur magno jam tunc connexus amore
Patroclus, tantisque extenditur æmulus actis,
Par studiis, ævique modis, sed robore longe,
Et tamen æquali visurus Pergama fato.
Protinus ille subit rapido, quæ proxima, saltu
Flumina, fumantesque genas, crinemque novatur
Fontibus. Eurotæ qualis vada Castor anhelo
Intrat equo, fessumque sui jubar excitat astri.

170. *Incitat ungues.* Id est, incitat catulos apprehendendo ungues, ut ludentes pueri facere soleot.

174. *I. m. jam tunc connexus amore.* Grooov. Obss. III, 1, legit, *jam tum connexus.*

175. *Patroclus, tantisque extenditur æmulus actis.* Exc. Burg. *tantis on?ditur.* Bernartius conj. *tantisque accenditur*, improbaote Barthio. — *Patroclus.* Menœtii et Stheneles filius, oriundus Opunte Locrorum oppido; qui quum imprudens, per ludum astragalorum, Cleonymum, seu, ut vult Strabo, Æanem Aiophidamantis filium, occidisset, ac solum mutare coactus fuisset, confugit ad Peleum in Thessaliam, a quo benignissime fuit exceptus propter affinitatem, ac Chironi in disciplinam traditus una cum Achille, cum quo arctissima amicitia junctus vixit.

176. *P. s. æq. m. sed robore longe.* Laur. Lipsian. et edd. vett. *sed robore dispar.*

177. *Æquali animo.* Nam uterque licet dispari corporis robore, pari tamen morte cecidere in obsidione Trojana, Patroclus enim primo ab Euphorbo ad interitum vulneratus, ab Hectore mox multis obscenisque vulneribus interemptus est. Achilles vero Paridis sagitta in templo Apollinis ad talum pedis percussus occubuit. BRITANN.

179. *F. fq. g. crinemque novatur.* In iisdem libris et Exc. Burg. *crinemque novavit.* — *Crinemque novatur Fontibus.* Id est, abluit, quasi renovaturus.

180. *Fontibus. Eurotæ qualis vada Castor anhelo. Eurotæ talis* Petrens. *Eurotæ qualis vaga* Put. — *Eurotæ.* Eurotas fluvius Laconiæ. — *Castor.* Frater Pollucis, Jovis et Ledæ filios, equitandi peritissimus.

181. *I. e. fessumque sui jubar excitat astri.* Reg. B habet, *fessusque sui jubar excitat astri;* Reg. C, *fessumque sui jubar incitat astri.* — *Fessumque jubar.* Alludit ad fabulam, qua dicitur, versantibus in magna tempestate Argonautis, duas stellas stetisse supra capita Ca-

Miratur, comitque senex, nunc pectora mulcens,
Nunc fortes humeros: angunt sua gaudia matrem.
Tunc libare dapes, Bacchæaque munera Chiron
Orat, et attonitam vario oblectamine mulcens,
Elicit extremo chelyn, et solantia curas
Fila movet, leviterque expertas pollice chordas
Dat puero: canit ille libens immania laudum
Semina, qui tumidæ superarit jussa novercæ
Amphitryoniades: crudum quo Bebryca cæstu

storis et Pollucis, ventosque statim concidisse et tempestatem cessasse.

183. *Angunt sua gaudia.* Qua re gaudebat, eadem angebatur et eruciabatur: gaudebat tanta virtute et fortitudine filii; angebatur, quod videbat fore, ut eadem virtus propediem periret. Maturant.

184. *T. l. d. Bacchæaque munera Chiron. Baccheaque* T. R. ut oportet scribi a Βακχεῖος. *Nunc libare dapes bacchæaque* Aldd. Colin. Basil. et Plant.

185. *Orat, et attonitam vario oblectamine mulcens.* Put. *varia oblectamine nectens.* — Reg. B habet, *Orat, et attonitæ vario oblectamine nectens;* Reg. C *attonitam vario oblectamine nectens.*

187. *Expertas.* I. e. prius exploratas; ut a cytharœdis fieri solet, qui antequam legitimum inchoent cantum, chordas pectine, sive pollice percurrunt, ut concinnus sit earum sonus. Britann.

188. *Canit ille libens immania laudum Semina.* Sic Ovidius Epist. IX. Dejaniræ v. 83. « Eximiis pompis immania semina laudum. » Ut ex Puteano codice Nicolaus Heinsius restituit, quum in vulgatis legatur: « Eximiis pompis præconia summa triumphi. » Claudianus III, Cons. Honorii, VII, 59: « hæc semina laudum, Hæc exempla dabat. » *Immania* autem *semina laudum* sunt facta virorum illustrium, quæ veluti sunt *semina laudum*: ingerunt enim audientibus laudis adipiscendæ cupiditatem. Ideirco mos erat apud Græcos præstantium virorum res gestas in conviviis canere, quo audientes ad virtutem inflammarentur. Qui mos etiam apud veteres Gallos observatus.

189. *Semina, qui tumidæ.* Reg. B habet, *Semina, quod tumidæ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Qui tumidæ superarit jussa novercæ Amphitryoniades.* Canit, inquit, quomodo Hercules per multas ærumnas monstra superaverit, ex jussu Junonis novercæ quæ Herculem omnino perdere cupiebat, variis eum monstris objiciendo. Amphitryoniades, Hercules Amphitryonis et Alcmenæ filius. Brit.

190. *A. crudum quo Bebryca cæstu.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *crudo quo*, etc. i. e. *cruō*, *crudom*, *crudum.* « Scribendum *crudo qui.* » Barth. — Reg. B exhibet, *crudum*

Obruerit Pollux: quanto circumdata nexu
Ruperit Ægides Minoi brachia tauri:
Maternos in fine toros, Superisque gravatum
Pelion: hic ficto risit Thetis anxia vultu.
Nox trahit in somnos: saxo collabitur ingens
Centaurus, blandisque humeris se innectit Achilles,
Quanquam ibi fida parens, assuetaque pectora mavult.
At Thetis undisonis per noctem in rupibus adstans,

quod Bebryca cæstu; Reg. C, *crudum qui Bebryda cæstu.* Ed. — *Amphitryoniades.* Hercules ab Amphitryone patre. Tangit autem hic labores Herculis. — *Bebryca.* Id est, Amycum regem Bebrycum, qui cogebat advenas secum cæstibus congredi, victosque occidebat, sed victus ipse a Polluce occisus est.

191. *Quanto circumdata nexu.* Papinius noster de eodem Theseo occidente Minotaurum Theb. XII, 668: « seque ipsum monstrosi ambagibus antri Hispida torquentem luctantis colla juvenci, Alternasque manus circum et nodosa ligantem Brachia, et abducto vitantem cornua vultu. »

192. *R. Æ. Minoi brachia tauri.* Regg. B et C, *Minora brachia tauri* præbent. Ed.

193. *Maternos thoros.* Id est, matris connubium. — *Superisque gravatum.* Nam ejus nuptiis omnes, ut diximus superius, Dii interfuere auctore Jove. Britann.

194. *P. h. ficto risit Thetis anxia vultu.* Reg. B exhibet, *hic victo risit Thetis anxia vultu;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Hic.* Id est tunc. — *Ficto vultu.* Ideo ficto, quia anxia et sollicita erat; difficile enim est in tristitia lætitiam ostendere. Britann.

196. *Centaurus, blandisque humeris se innectit Achilles.* « Scribe cum manuscriptis *blandusque.* » Barth. Ita habet codex T. R. in Obss. Misc. Tom. IV, p. 395. — Hanc lectionem habent Regg. B et C. Ed.

197. *Quanquam ibi fida parens, assuetaque pectora mavult.* Post hunc versum sequuntur sex alii in Exc. Burg.

Attigit imbellem Lycomedis Nereis aulam,
Sopitum gemino delphine exportat Achillem:
Mox rogat attonitum muliebres sumere cultus;
Annuit Æacides; nec corda ferocia mollit
Didamia: chorum ducit tunc victus amore:
Femina ficta datur læto pro munere regi.

Codd. Lindenbrogii inserunt: *Explicit Achilleidos liber primus;* cum hoc Argumento:

Ad placidas deportat aquas Thetis anxia natum:
Pelides blandæ renuit genitricis amictus.
Scyriadis tandem patitur correptus ab igne.
Rex Thetidis natum recipit sub imagine falsa.

— *Quanquam ibi fida parens.* Parenthesis est; subaudi, erat: sicque Poeta officium pii discipuli ostendit, qui non secius judicio Quintiliani magistrum suum quam parentes amare debet. Brit. — Hic legitur in Reg. C: incipit liber secundus.

198. *At Thetis undisonis.* Codex Gronovii: *At Thetis undosis.* — *Thetis.* Chiron Achillem amplexatus, saxo collapsus est: at vero Thetis

Quæ nato secreta velit, quibus abdere terris
Destinet, huc, illuc, diversa mente volutat.
Proxima, sed studiis multum Mavortia, Thrace:
Nec Macetum gens dura placet, laudumque daturi
Cecropidæ stimulos: nimium opportuna carinis
Sestos, Abydenique sinus: placet ire per altas
Cycladas: hinc spretæ Myconos, humilisque Seriphos,

extra antrum in rupibus Pelii, ad quas sonitus fluctuum vicinis cautibus illisorum perveniebat, sollicita jacuit minime dormiens, sed admodum volutans, quibus in locis occultare filium posset. MATURANT. — *Undisonis.* Hoc vocabulum membrana inculcat supra vs. 27. « Nec mora et undisonis *t.* c. sororum Prosilit e thalamis. » Hic autem *undosis* habet: unde suspicari possis *umbrosis* scribi debere. Nihil tamen moveo. GRON.

199. *Q. n. s. v. quibus abdere terris.* In Reg. B invenitur, *quibus abdere telis.* In Reg. C nostra lectio. ED. — *Abdere terris Destinet.* Id est paret occultare. Est autem ordo: At Thetis volutat. BRITANN.

200. *D. h. i. diversa mente volutat.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *divisa mente volutat.* — Reg. B præbet hanc lect. Reg. C, *diversa mente volutans.* ED.

201. *Proxima, sed studiis multum Mavortia, Thrace.* Subaudi *est*, ut sit sensus: Thracia quidem proxima est, sed nimis est bellicosa, et perinde a sequentibus subaudi non placet. Bonum ordinem secutus est Poeta in locorum numeratione. Nam Europæ a Scythia, prima est Thracia, deinde Macedonia, post Attica. Thrace autem declinatio est Græca. BRITANN.

202. *Macetum.* Id est, Macedonum. Macedonia enim antiquitus *Macetia* vocata. — *Laudumque daturi Cecropidæ stimulos.* Id est, Athenienses, sic dicti a vetustissimo rege Cecrope. — *Daturi laudum stimulos.* — Quia Athenienses non solum præclaris factis, sed etiam dictis omnes ad virtutem excitaturi erant.

203. *Nimium opportuna carinis Sestos, Abydenique sinus.* Sestos et Abydos ad Hellespontum sitæ sunt, ubi in stadia septem stringitur, et Europam ab Asia dividit: Abydos Asiæ est, Sestos Europæ, de quibus consule Strabonem lib. XIII. De iis jam sæpius diximus. — *Opportuna carinis.* Vel ob portus commoditatem, vel quod navigaturi Græci ad Trojam, illo forsan appellerent, unde facile scire potuissent, an Achilles ibi lateret, si illuc deportaretur.

204. *S. Aq. s. placet ire per altas.* Burm. *juvat ire per altas*, ex Virgilio. — *Altas.* Id est, eminentes, et quæ propter editissimos montes longe conspiciuntur a navigantibus.

205. *Cycladas: hinc spretæ Myconos, humilisque Seriphos* Reg. B exhibet, *hic spretæ.* Reg. C, *humilisque Seristos.* ED. — *Cycladas.* Cyclades sunt insulæ in mari Ægæo,

Et Lemnos non æqua viris, atque hospita Delos
Gentibus: imbelli nuper Lycomedis in aula
Virgineos cœtus, et litora persona ludo
Audierat, duros laxantem Ægæona nexus
Missa sequi, centumque Dei numerare catenas.
Hæc placet, hæc timidæ tellus tutissima matri.
Qualis vicino volucris jam sedula partu,

sic dictæ quod in orbem objaceut: quinquaginta tres numero sunt. Vide Theb. III, 438. — *Myconos.* Una e Cycladibus. — *Humilisque Seriphos.* Seriphos una e Cycladibus. — *Humilis.* Vel quia parva: ut Juvenalis VI, 564; et X, 170: *Parvaque Seripho;* nam ejus ambitus, teste Plinio duodecim tantum millium passuum est, aut re vera abjecta, et parum ferax; nam, auctore Straboue, lapidosa est. In ea iusula educatum Persea referunt a Dicte piscatore, qui adduxisse retibus dicitur arcam, in qua Perseus cum matre Danae positus erat, quamque pater Acrisius in mare projecerat.

206. *E. L. n. æ. v. atque hospita Delos.* Exc. Burg. *atq3 inhospita Delos*, voluit librarius, *et inhospita Delos.* — *Lemnos.* Insula maris Ionii adjacens Macedoniæ. — *Non æqua viris.* Quia Lemniæ omnes mares occiderunt. Vide Theb. V, 186 et sqq. in quo tota hæc historia refertur. — *Hospita Delos.* Delos Cycladum media, et multum celebris templo oraculoque Apollinis, ac mercatu, unde dicitur *hospita gentibus*, quia e toto orbe illuc confluebant populi, tam ad consulendum uraculum, quam propter celeberrimum mercatum.

207. *G. i. n. Lycomedis in aula.* Regg. B et C, *Lycomedis ab aula* exhibent. — *Imbelli.* Vel quia senex erat Lycomedes rex Scyri insulæ, vel quod ei tantum essent filiæ.

209. *Duros laxantem Ægæona nexus Missa sequi.* Ægæon unus ex Gigantibus, qui contra Deos bellarunt: vocabatur Briareus et Centimanus. In pœnam autem ad Cycladum scopulos alligatus est. Et Poeta fingit Thetidem illuc missam fuisse, observaturam, ne vincula dissolveret Briareus. — *Missa sequi.* Eleganti Græcismo. Ovidius Ep. Penelopes, Ep. I, 37: « Omnia namque tuo senior, te quærere misso Retulerat nato. » Propertius lib. II, El. 16, 17: « Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas, Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro. » Cælius Hist. lib. I. « Celocem in Africam mittit visere locum, ubi exercitum exponat. »

210. *Centumque Dei numerare.* Ut immensi roboris erat, centum catenis opus habuerat, ut firmiter ligaretur: speculatum ergo iverat Thetis an integræ adhuc omnes essent. Catenarum harum mentio est apud Claudianum, XXXIII, 45 et seq. « cinctus Ægæon positis, etc. »

212. *Qualis vicino.* Optima et maxime congrua comparatio. Mater enim Thetis avi parituræ com-

Jamque timens, qua fronde domum suspendat inanem,
Providet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues,
Hinc homines: tandem dubiæ placet umbra, novisque
Vix stetit in ramis, et protinus arbor amatur.
Altera consilio superest, tristemque fatigat
Cura Deam, natum ipsa sinu complexa per undas,
An magno Tritone ferat, ventosque volucres
Advocet, an pelago solitam Thaumantida pasci.
Elicit inde fretis, et murice frenat acuto

paratur. Sicut enim avis angues, ventos, homines timet, ita Thetis abditura filium omnia veretur, ne inventus ad bellum trahatur, et ut avis eligit arborem, quam credit tutissimam in qua nidificet, ita Thetis post longam consultationem Scyrum deligit, in qua filium occultet. In comparationibus adhibendis noster est omnium princeps. En.

214. *Providet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues. Providet in ventos* in iisdem Exc. — In Reg. B reperias, *Providet hic ventos, hic anxia cogitat angues*; in Reg. C nost. lect. En. — *Ventos.* Ne convellant ac dissipent. — *Angues.* Solent enim serpentes irrepere in nidos avium, ac pullos devorare.

217. *Altera.* Prima cura fuit locum eligere, secunda quomodo in in eum Achillem veheret. Matth.

219. *An magno Tritone ferat, ventosque volucres.* — Codex T. R. *ventosve volucres*; Put. *ventosus*, ortum procul dubio ex *ventosve*. — Regg. B et C, *ventosne volucres* præbent. En. — *Tritone.* Vide supra vs. 55 ut Tritoni impositum ferat. — *Ventos-ne volucres advocet*; i. e. an ventis ad vehendum committat, an Pelago, an Iridi traderet ferendum, quæ arcus est cælestis. Manifestum est autem radium solis immissum cavæ nubi, repulsa acie, in solem refringi, colorumque varietatem mixtura nubium, ignium, aerisque fieri; quod certe nisi sole averso non fit. Matth.

220. *Thaumantida.* Iris Thaumantia dicta secundum poetas, Thaumantis filia: cæterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de ejus coloribus nascitur. — *Pelago solitam pasci.* Ex vulgi opinione, qui credit Irim aquas ex mari haurire, et in sublime ferre, ut in terras refundat. Lucanus Phars. IV, 81 sqq. « Hinc imperfecto complectitur aera gyro Oceanumque bibit, raptosque ad sidera fluctus Pertulit, et cælo diffusum reddidit imbrem. »

221. *Murice.* Murex hic intelligitur frenum ex muricibus confectum. Murex etiam sumitur pro summitate saxi, quo sensu usurpavit Virgilius, Æn. V, vs. 205. « Et acuto in murice remi Obnixi crepuere. » Significat et piscem e concharum genere, et instrumentum ferreum tribus acuminibus, quod spargi consuevit ad impediendos equites.

Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethys
Gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonora
Nutrierat: nullis vada per Neptunia glaucæ
Tantus honor formæ, nandique potentia; nec plus
Pectoris humani: jubet hos subsistere pleno
Litore, ne nudæ noceant contagia terræ.
Ipsa dehinc toto resolutum pectore Achillem,
Qui pueris sopor, Hæmonii de rupibus antri
Ad placidas deportat aquas, et jussa tacere

222. *Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethys. Tethis* habent Gronov. Barth. Delph. et Bip. At Græcum est Τηθύς· mater vero Achillis e contra Θέτις. Hoc omnibus notum. — Reg. B præbet, *Delphinas bijugos;* Reg. C, *Delphines bijugos.* Eo. — *Bijuges.* Qui tanquam duo equi junguntur ad currum. MATUR. — *Maxima Tethys.* Est uxor Oceani: *maximam* dixit ad differentiam ipsius Thetidis, matris Achillis.

223. *Gurgite Atlanteo.* In mari Atlantico, quod Lybiam ab Occidente claudit, a Mulacha fluvio incipit, qui Mauros a Numidis separat, Abylam montem abluit ingrediens Oceanum. MATUR. — De hoc loco vide notata ad Avien. Descrip. Orbis Terræ, vs. 395 « ubi terras Intrat Atlantei vis æquoris » Poet. L. M. t. V, p. 179 nost. ed. Ed.

224. *Glaucæ.* Glaucus color proprie piscium est, isque auctore Gellio inter viridem annumeratur. Γλαυκὸς græce, latine *viridem* significat.

225. *Nandique potentia.* Sic Plinius de Delphino lib. IX, cap. 8. Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est Delphinus, ocyor volucre, ocyor telo: ac nisi multum infra rostrum os illi foret, medio pæne in ventre, nullus piscium celeritatem ejus evaderet: sed affert moram providentia naturæ, quia nisi resupini ac conversi non corripiunt: qua causa præcipue velocitatem eorum ostendit: nam quum fame conciti, fugientem in vada ima persecuti piscem, diutius spiritum continuere, ut arcu emissi, ad respirandum emicant: tantaque vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent.

226. *Pectoris humani.* Id est, affectus: quia Delphinus est homini amicus, ut probant multæ historiæ, quas Plinius, Oppianus, Solinus, Gellius, et Herodotus referunt. — *Subsistere pleno Litore, ne nudæ noceant contagia terræ.* Plinius observat ibidem de Delphinis, ipsos solere in terram erumpere incerta de causa; et statim tellure tacta mori.

228. *Resolutum.* Profunde dormientem, solutis membris, et fluentibus. MATURANT.

229. *Qui pueris sopor. Quis pueris* Exc. Burg. Dan. Petav. et edd. vett.

230. *Ad placidas.* Cur placidæ

Litora : monstrat iter, totoque effulserat orbe
Cynthia : prosequitur Divam, celeresque recursus
Securus pelagi Chiron rogat, udaque celat
Lumina, et abreptos subito jamjamque latentes
Erecto prospectat equo, qua cana parumper
Spumant signa fugæ, et liquido perit orbita ponto.
Illum non alias rediturum ad Thessala Tempe
Jam tristis Pholoe, jam nubilus ingemit Othrys,
Et tenuis Sperchios aquis, speluncaque docti

essent subjungit; Thetis enim tacere jusserat. MATURANT.

231. *L. m. i. totoque effulserat orbe.* « Concionius vetus : *effulgurat orbe.* » BERN. « Melior scriptura membranarum et reducenda : *monstrat iter, totoque adfulgurat orbe Cynthia.* Omnino sic scripsit Papinius. » BARTH. — Reg. B habet, *totoque effulgurat orbe;* Reg. C nostram lect. ED. — *Totoque effulserat orbe.* Id est, plenilunium erat.

232. *Cynthia.* Luna sic dicta a Cyntho monte Deli, ubi nati Apollo et Diana. MATUR. — *Prosequitur.* Refert hoc ad Chironem, non ad Lunam, ut sit, Chiron prosequitur. — *Recursus rogat.* Id est, ut cito ad se redeat. BRITANN.

233. *Securus pelagi Chiron rogat. Chiron rotat.* Put. — Reg. B præbet hanc lect. Reg. C nostram. ED. — *Securus pelagi.* Id est, nihil timens mare, quum illud in Thetidis potestate sit. — *Uda lumina.* Oculos et lacrimas dissimulat. BRIT.

234. *Lumina, et abreptos subito jam jamque latentes.* Aldd. Colin. Plant. et nonnulli codd. *et abreptos oculis;* Exc. Burg. *et abreptos subito jam aramque latentes.* Cæteri vero codd. et edd. ut in textu nostro.

235. *Erecto prospectat equo.* Sic Epithalamio Stellæ, Silv. I, 2, 216, Quum Thetin Hæmoniis Chiron accedere terris Erecto prospexit equo. » Pietatem Chironis expressit qui discipulum abeuntem quam longo potuit visu est prosecutus. BRITANN.

237. *Thessala Tempe.* Locus est inter Ossam et Olympum passuum quinque millium longitudinis : per medium Peneus discurrit a Pindi profluens radicibus, gramine vestitis marginibus, aviumque concentu, et calculorum aquarumque sonitu peramœnus, nec alius locus est, cujus amœnitatem tautopere laudent poetæ. MATURANT. — Vide pag. 241, tom. I Stat. nost. ED.

238. *Pholoe.* Vide supra v. 165. — *Othrys.* Mons editissimus Thessaliæ.

239. *Et tenuis Sperchios aquis. Nec tenuis* codd. Bernartii; *Et senior* Put. *Et tenuis* in cæteris. — Reg. B habet, *Et senior Spercheos aquis.* Reg. C nostram lect. ED. — *Sperchios.* Fluvius Thessaliæ, de quo supra. — *Tenuis.* Desiderio scilicet Achillis : nam supra de eodem Sperchio dixerat : « lateque Deæ Sperchios abundat Obvius. »

Muta senis : quærunt puerilia carmina Fauni,
Et sperata diu plorant connubia Nymphæ.
Jam premit astra dies, humilisque ex æquore Titan
Rorantes evolvit equos, et ab æthere magno
Sublatum curru pelagus cadit : at vada mater
Scyria jamdudum fluctus emensa tenebat,
Exierantque jugo fessi Delphines herili ;
Quum pueri tremefacta quies, oculique jacentis
Infusum sensere diem : stupet aere primo,
Quæ loca ? qui fluctus ? ubi Pelion ? omnia versa
Atque ignota videt, dubitatque agnoscere matrem.
Occupat illa manu, blandeque affata paventem :
« Si mihi, care puer, thalamos sors æqua dedisset,

— *Docti senis.* Centauri Chironis.

240. *Muta.* Absente scilicet discipulo. — *Fauni.* Dii silvestres.

241. *Sperata connubia.* Maritum enim Achillem habere speraverant.

242. *J. p. a. d. humilisque ex æquore Titan.* Reg. B habet, *humilique ex æquore Titan ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Jam premit astra dies.* Describit ortum diei. — *Premit.* Id est, occultat : Physicum enim est, ut, veniente die, splendor astrorum solis lumine occultetur; minus enim lumen a majori offunditur. — *Humilis.* Qualis esse solet, quum primum ab aquis emergere videtur.

244. *Sublatum pelagus.* Id est, aqua marina, quam currus elevatus in aerem secum trahit. Noster Achill II, v. 289, gemina periphrasi usus est : « Genitorque eoroseæ Lucis adhuc hebetem vicina nocte levabat, Et nondum excusso rorantem lampada ponto. »

245. *S. j. f. emensa tenebat* Put. *emissa tenebat;* in quibusdam, *permensa tenebat.* — Reg. B præbet, *emissa tenebat;* Reg. C nostram lect. Ed.

247. *Q. p. t. q. oculique jacentis.* « Vera est hæc scriptura; nec opus literam mutari cum membranis unis *jacentes.* » Barth. — In Reg. B invenitur, *oculique patentes;* in Reg. C nostra lect. Ed.

251. *O. i. m. blandeque affata paventem.* Exc. Burg. *blandeque effata paventem est.*

252. *S. m. c. p. t. sors æqua dedisset.* Reg. B exhibet, *sors æqua tulisset;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Dedisset, Quos dabat.* Illud taugit quod in principio operis commemoravimus : Jovem ducturum fuisse Thetidem uxorem, nisi a Proteo monitus fuisset sibi cavendum esse a tali conjugio, quod ex eo nasciturus esset qui patris facta superaret. Sensus est ergo : O care fili, si ex Jove, ut sors ferebat,

Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis, magnique puerpera cæli,
Nil humiles Parcas, terrenaque fata vererer.
Nunc impar tibi, nate, genus, præclusaque leti
Tantum matre via est: quin et metuenda propinquant
Tempora, et extremis admota pericula metis.
Cedamus, paulumque animos submitte viriles,
Atque habitus dignare meos: si Lydia dura
Pensa manu, mollesque tulit Tirynthius hastas;
Si decet aurata Bacchum vestigia palla

natus esses, nullus me metus pulsaret tuæ mortis, quasi dicat noli mirari quod in loca ignota te advexerim. Nam idcirco hoc feci, quod tuæ mortis tempora appropinquare cognoscebamus. Sicque suadet ab utili sibi cavendum esse, et parendum consiliis suis. Britan.

253. *Quos dabat, æthereis ego te complexa.* Barthius conj. *Quos fata, æthereis ego te*, etc. vel: *Quos Pater*, etc. Exc. Burg. *Quos dedit.*

254. *Sidus grande.* Hoc est numen magnum. Apud Nemes. Ecl. III, 21, *Sidera cæli* sunt ipsa numina. Notata videsis a Burmanno ad Lucan. I, 452. Ed. — *Magnique cæli.* Quia Jovis uxor.

255. *Terrena fata vererer.* Pro te scilicet; nam esses Deus, et immortalis.

256. *Impar tibi genus.* Ex parte scilicet patris Pelei, qui mortalis.

257. *T. m. v. e. quin et metuenda propinquant.* Edd. vett. *quin nunc metuenda.* Mutavit Lindenbrogius cum omnibus codd. — *Matre.* Ex sola matris parte. — *Metuenda propinquant Tempora.* Belli scilicet Trojani, in quo periturum filium acceperat.

259. *C. paulumque animos submitte viriles.* Codd. Lindenbrogii, *depone viriles.*

260. *Si Lydia dura Pensa manu mollesque tulit Tirynthius hastas.* Tangit fabulam qua dicitur Hercules servisse Omphale Lydiæ reginæ, ac sumsisse vestes femineas, pensaque duxisse, quum ipsa calathos et colum, cultusque femineos cum sagittis, clava, leonisque tegmine mutavisset. Vide etiam Theb. XI. — *Tirynthius.* A Tirynthe Argolidis urbe, in qua natus perhibebatur. Per *molles hastas* intelligit thyrsos, quos mulieres Bacchantes in Orgiis Bacchi gestabant.

262. *Si decet aurata Bacchum vestigia palla Verrere.* Seneca in Herc. Fur. Act. II, 472: « Non erubescit Bacchus effusos tener Sparsisse crines, nec manu molli levem Vibrasse thyrsum, quum parum forti gradu Auro decorum syrma barbaricum trahit. » Et Origenes contra Celsum lib. III, refert Bacchum muliebri amictu indutum esse, vocatque *Mænalam.* Palla autem erat vestimentum honestarum mulierum; tunicæ imponebatur, et descendebat usque ad pedes.

Verrere, virgineos si Juppiter induit artus,
Nec magnum ambigui fregerunt Cænea sexus;
Has sine, quæso, minas numenque exire malignum.
Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam 266
Lustra tibi: per ego hoc decus, et ventura juventæ
Gaudia, si terras, humilemque experta maritum
Te propter, si progenitum Stygos amne severo

263. *V. v. s. J. induit artus.* Reg. B habet, *induit arcus;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Juppiter induit artus.* Juppiter adamavit Antiopen filiam Nyctei, speciosissimam puellam; cujus dum pater suspectum haberet stuprum, eam custos mancipavit. Puella ipsa quum adolevisset Dianæ se consecravit. Juppiter in habitum se vertit Dianæ, et puellam corrupit, ita ut arcum et pharetram mentiretur. Lactant.

264. *Cænea.* Cænis Thessalica virgo, a Neptuno per vim compressa, ab eo mercedis loco obtinuit, ut in virum mutaretur, ac nullis unquam vulneribus posset sauciari: mutato igitur sexu, mutavit et nomen, et ex Cænide factus est Cæneus. Hic cum Lapithis pugnans contra Centauros vivus suffocatus est, congesta in eum magna arborum copia, quum nullo teli genere vulnerari posset, et in cænidem avem conversus est, ut canit Ovid. Met. XII, v. 530: « O salve... Maxime vir quondam, sed nunc avis unica. » Virgilius tamen affirmat in muliebrem sexum rediisse Æn. VI, v. 449: « It comes et juvenis quondam, nunc femina, Cæneus, Rursus et in veterem fato revoluta figuram »

265. *H. s. q. m. numenque exire malignum.* In iisdem Lindenbrog. codd. et Venett. 3, 4, *animumque exire.* — Reg. B. præbet, *nubemque exire malignam;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Minas.* Fatorum, quæ tibi portendunt exitium. — *Numenque malignum.* Id est, maligni numinis voluntatem, seu invidiam.

266. *Mox iterum campos.* Removet metum diuturnæ mansionis apud Lycomeden. Hypallage est, id est, reddam te campis et lustris Centauricis. Britann.

267. *L. t. per ego hoc decus.* Exc. Burg. *per ego decus*, omisso pronomine *hoc.* « Male Lindenbrogii editio voculam *ego*, errore, puto, typographi, omisit. Barth. — *Hoc decus.* Subaudi, oro te, quasi dicat per virtutem juventæ tuæ te oro.

268. *Experta maritum Te propter.* Si, inquit, propter te, id est, ut gignereris, sustinui Peleo homini mortali nubere. Britann.

269. *T. p. si progenitum Stygos amne severo. Si genitum Stygeos amneque severo* Exc. Burg. — *Si progenitum Stygos amne severo Armavi.* Vide supra vs. 134. — *Amne severo.* Id est, Styge horrenda, per quam, ut Scribit Virgilius Æn. VI, vs. 324: « Dii jurare timent, et fallere numen. » Quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria Stygis filia bello Giganteo Jovi favisse, pro quo beneficio

Armavi, (totumque utinam!) cape tuta parumper
Tegmina, nil nocitura animo: cur ora reducis!
Quidve parant oculi? pudet hoc mitescere cultu?
Per te, care puer, cognata per æquora juro,
Nesciet hoc Chiron. » Sic horrida pectora tractat
Nequicquam mulcens: obstat genitorque roganti,
Nutritorque ingens, et cruda exordia magnæ
Indolis: effrenæ tumidum velut igne juventæ
Si quis equum primis submittere tentet habenis;
Ille, diu campis, fluviisque, et honore superbo
Gavisus, non colla jugo, non aspera præbet
Ora lupis, dominique gemit captivus inire

Juppiter ei tribuit, ut Dii jurantes per ejus matrem non audeant fallere. Britann.

270. *Tuta.* Si minus honesta. — *Parumper.* Ad breve tempus. Mat.

271. *Tegmina.* Muliebrem vestem. — *Nil nocitura animo.* Animi enim robur et virtus nihil infringetur. — *Reducis.* Retro convertis, ut pueri faciunt, qui indignanter aliquid oblatum refugiunt.

272. *Qv. p. o. pudet hoc mitescere cultu.* In iisdem Exc. *pudet ne.* — *Quidve parant oculi.* Torvis enim oculis intuebatur ornamenta muliebria. Ed.

275. *N. m. obstat genitorque roganti.* Petav. *preconti.* — *Obstat.* Resistit, refragatur, quominus matri obtemperet. — *Genitorque roganti.* Tribus inquit impediebatur Achilles ne habitum indueret muliebrem, quod injuriam majestati paternæ et Chironi simul facere videretur, tum autem quod egregiis adolescentiæ suæ principiis non insisteret. — *Genitor.* Peleus. Nam ejus virtuti respondere non videbatur.

276. *Nq. i. et crudo exordia magnæ.* Put. *exordio manent.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Nutritor.* Chiron, quod ejus disciplinam abjiciat. — *Cruda.* Dura et aspera principia quod ab egregiis adolescentiæ suæ principiis discedat, quæ magna et præclara omnibus facinora pollicebantur.

277. *Igne juventæ.* Invenit aptam comparationem: nam ita se, inquit, habebat Achilles, quemadmodum equus juvenis indomitus, qui domituris manibus non facile cedit. Sicque ostendit Achillem diu matri restitisse, demum precibus fatigatum acquievisse. — *Igne.* Fervore.

278. *S. q. e. p. s. tentet habenis.* Codd. Bernartii et Venett. *captat habenis.*

279. *Campis.* Per quos libere excurrit. — *Fluviis.* Quos tranare consueverat. — *Et honore superbo.* Quod adhuc alterius potestati non fuerit obnoxius.

281. *Ora lupis, dominique gemit captivus inire.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *dominique*

Imperia, atque alios miratur discere cursus.
Quis Deus attonitæ fraudes, astumque parenti
Contulit? indocilem quæ mens detraxit Achillem?
Palladi litoreæ celebrabat Scyros honorum
Forte diem, placidoque satæ Lycomede sorores
Luce sacra patriis, quæ rara licentia, muris

negat; nonnulli Lindenbrogii, *dominique fremit;* et ita legit Dan. Heinsius ex vet. cod. ad Claudian. Bell. Gild. 330. Petav. Put. et recentt. *dominique gemit.* — Reg. B præbet, *dominique fremit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Lupis.* Pro lupatis: nam lupatum frenum est asperrimum, a lupinis dentibus, ut scribit Servius, dictum, qui inæquales sunt. Virgilius Georg. III, 208: «prensique negabunt Verbera dura pati, et duris parere lupatis.»

282. *I. a. a. m. discere cursus.* Petav. *ducere cursus.* — *Alias miratur discere cursus.* Id est, vel alios equos admiratur parere dominis, et ab illis currendi legem accipere: vel se alios cursus discere, quam quos ipse sponte faciebat.

283. *Quis Deus.* Admiratur Poeta, unde Thetidi tanta calliditas, et unde Achilli tanta fuerit patientia, ut illa sic eum occultare cogitaverit, hic vero sic parere. — *Attonitæ.* Nimio dolore et sollicitudine pene obstupescenti Matur.

284. *C. i. q. m. detraxit Achillem?* Nonnulli codd. Bernartii et Venett. 3, 4, *attraxit Achillem.*

285. *P. l. c. Scyros hanorum.* Reg. B exhibet, *Scyrus honorum;* Reg. C, *Schiros hanorum.* — *Palladi litoreæ.* Palladis sacrificia a puellis celebrabantur, quod ea Jovis filia et virgo et innupta putabatur. — *Litoreæ.* Erant enim passim Deorum simulacra in litoribus posita, quibus ob prosperum cursum libabant nautæ. Noster Propemptico Metii de classe Ægyptia, quæ Palladi in Surrentino litore positæ libaverat, Silv. III, 2, 24: « Prima salutavit Capreas, et margine dextro Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ. » Hi Dii Græcis a litore Αἰγιάλιοι, Latinis *Litorales* vocati sunt. Catullus Phaselo Carm. IV, v. 22: « Neque ulla vota litoralibus Deis Sibi esse facta. » Tales autem fuerunt Apollo, Hercules, Minerva, etc. qui passim in litoribus culti. Hinc Apollo ἐπάκτιος, id est, *litoralis.* Immo et *Actiacus* dictus Apollo quibusdam, ab *acta*, id est, litore. Sic et Pallas *litorea* hic, vel quia templum Palladis in litore, ut infra lib. II, 22: « Scyros erat, placidique super Tritonia custos Litoris. » — *Honorum diem* honori ejus dicatum.

286. *Placidoque satæ Lycomede sorores*, etc. Sene, et admodum miti principe.

287. *Luce sacra patriis, quæ rara licentia, muris. Luce sacra, (patriis quæ rara licentia) muris* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. — *Quæ rara licentia.* Custodiebantur enim arcte in thalamis suis regiæ puellæ, ut ostendit Homerus. Dictum multis alibi, et suo loco.

Exierant, dare veris opes, Divæque severas
Fronde ligare comas, et spargere floribus hastam.
Omnibus eximium formæ decus: omnibus idem
Cultus, et expleto teneri jam fine pudoris
Virginitas matura toris, annique tumentes.
Sed quantum virides pelagi Venus addita Nymphas
Obruit, aut humeris quantum Diana relinquit
Naides, effulget tantum regina decori
Deidamia chori, pulchrisque sororibus obstat.
Illius et roseo flammatur purpura vultu,

288. *Exierant, dare.* Sermo figuratus, id est, ut darent. — *Veris opes.* Id est, serta ex floribus, et veris primitias. — *Severas.* Pro ipsius *severæ*. *Severas* autem, quia respuit nuptias, et bello præsidet.

289. *Floribus hastam.* Thyrsos intelligit: Justinus epistola ad Zenam et Zerenum: "Ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν. » Velut Bacchæ per speciem habitumque pacis lanceas in Thyrsis circumferunt. » Ad Plinium lib. XVI, c. 36. *Thyrsus* nihil erat quam hasta frondibus et pampinis involuta, absque ferro. BERNART. Sed Barthius vult *Armaturam Minervæ* floribus adspersam Statium intellexisse.

292. *Annique tumentes.* Tumor papillarum maturæ virginitatis signum esse solet. — Vide quæ diximus ad illum versum Theb. II, v. 204: « Tumida jam virginitate jugari. » Legunt alii, *animique tumentes.* Formosæ enim plerumque superbæ sunt.

293. *Quantum virides.* Maxima pulchritudo Deidamiæ, quæ tantum superabat sorores quantum Venus ipsa Nereidas superaret, si illis adjungeretur, et quantum Diana anteit Naiadas, quæ sunt fontium et fluviorum Deæ, sic dictæ παρὰ τὸ νάω, quod est *fluo.* MATURANT.

294. *Obruit, aut humeris quantum Diana relinquit.* Exc. Burg. *quantumcumque Diana reliquit.* — *Obruit.* Obruere hic obscurare. Tacitus Vita Agricolæ cap. XVII: «Quum Cerialis quidem alterius successoris famam curamque obruisset. » Ita Græci καταχοῦν sumunt.

295. *Naides. Naiadas* in iisdem Exc. — Hanc lect. habent Regg. B et C. — *Naides.* Fluviorum et fontium Deas. — *Regina.* Id est, ducens chorum.

296. *Deidamia chori, pulchrisque sororibus obstat.* In iisdem Exc. *sororibus abstat.* — *Deidamia.* Omnes scriptores hanc Lycomedis filiam Deidamiam vocant: solus Manasses Constantinus eam Hippodamiam appellat. — Vide notata ad versum 16, Claud. X, de Nuptiis Hon. et Mariæ, nost. edit. tom. I, pag. 331. ED.

297. *Purpura vultu.* Hoc dicit, ex vultus splendore vestes illuminatas, et omnem corporis ornatum factum pulchriorem. BRITANN.

Et gemmis lux major inest, et blandius aurum.
Atque ipsi par forma Deæ, si pectoris angues
Ponat, et exemta placetur casside vultus.
Hanc ubi ducentem longe socia agmina vidit
Trux puer, et nullo temeratus pectora motu;
Diriguit, totisque novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, et impulsum tenui sudore pererrat.
Lactea Massagetæ veluti quum pocula fuscant

298. *E. g. l. m. i. et blandius aurum*. Lang. *et blandior auro*. — *Gemmis et blandius aurum*. Id est, gemmis ipsis ac auro, quibus ornabatur Deidamia, accessit gratia ex illius pulchritudine — Conf. Claud. X de Nuptiis Hon. et Mariæ, v. 11.

299. *Atque ipsi par forma Deæ*. Put. *Forma deest*. — Reg. B præbet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Deæ*. Id est, Palladi, quam formosissimam tradunt poetæ. — *Si pectoris angues Ponat*. Ægidem, tegumentum pectoris, in cujus medio caput erat Gorgonis, anguibus crinitæ.

300. *Ponat, et exemta placetur casside vultus*. Exc. Burg. *et erepta*. Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. II, 147, legendum dicit : *et exemta pacetur casside vultus*. — Reg. B exhibet, *et exemta pacetur capside vultus*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Placetur*. Mitior fiat. — *Exemta casside*. Deposita galea. Maturant. Quum enim hæc Dea benigna videri voluit, dicitur ægidem et cassidem deposuisse.

302. *Temeratus pectora*. Synecdoche est, id est, pectora non habens adhuc temerata, violata et correpta. — *Motu*. Scilicet amoris.

303. *Diriguit*. Obstupuit. Brit. — *Totisque novum bibit ossibus ignem*. Virgilius Æn. I, v. 660 : « atque ossibus implicet ignem » id est, amorem.

304. *Nec latet haustus amor*. Jam amor inquit Achillis patebat.—*Fax vibrata*. Id est amor immissus et et infusus. Britann.

305. *Lucem*. Splendorem et pulchritudinem. Britann.

306. *Tingit, et impulsum tenui sudore pererrat*. *Tingit et impulsam* nonnulli codd. Bernartii, Put. Colin. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. — In Regg. B et C invenitur, *Tinguit, et impulsam tenui sudore pererrat*. — *Tingit*. Ex interno inquit, ardore amoris, vultus rubore suffundebatur : tingit ergo, rubore adspergit. Britann.

307. *L. M. veluti quum pocula fuscant*. Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. II, 96, legendum putat : *veluti quum pocula fucant*. — Hanc lect. habet Reg. B; Reg. C nostram. Ed. — *Massagetæ*. Massagetæ sunt populi Scythiæ Asiaticæ ultra mare Caspium et fluvium Jaxartem, Orientem versus, qui

Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro:
Sic variis manifesta notis palletque rubetque
Flamma recens: eat, atque ultro ferus hospita sacra
Discutiat turbæ securus, et immemor ævi, 311
Ni pudor et junctæ teneat reverentia matris.
Ut pater armenti quondam, rectorque futurus,

quum per deserta discurrunt, equorum suorum sanguinem in sinistri pedis vena haustum potant. Lucanus III, 282: « Longaque Sarmatici solves jejunia belli, Massagetes quo fugit equo, volucresque Geloni. » Claudianus in Rufinum, III, 311. « Et qui cornipedes in pocula vulnerat atrox Massagetes. » Idem de Bisaltis, Sarmatis, et Gelonis dicitur. Martialis De Spect. III, 4: « Venit et epoto Sarmata pastus equo. » Virgil. Georg. III, 461: « Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum, Et lac concretum cum sanguine potat equino. » Horatius lib. III, Od. 4, 33 et seq. « Visam Britannos hospit busferos, Et lætum equino saoguine Concanum. » Vide Avien. vs. 921. Massagetæ tantummodo solem colebant, eique equum immolabant, ceteros Deos neglectui habebant. Apud hos senio confecti in frusta cædebantur et cum ovillis carnibus promiscue edebantur. Eos, qui morbo moriebantur, ut impios abjiciebant, et dignos qui a belluis devorarentur. Ili populi maxime inclaruerunt victo et occiso Cyro Persarum rege.—Conf. pag. 277, tom. V, Poet. Latin. Min. nost. edit. et Sil. Ital. Punic. III, 360, ad quem locum vid. notata, nost. edit. tom. I, pag. 188. En.

308. *S. p. v. e. corrumpitur ostro.* Dan. Put. et Petav. *corrumpitur auro.*— *Vel ebur corrumpitur ostro.* Id est, notis purpureis distinguitur, quod Lydiæ mulieres facere solebant. Ovidius Am. II, v. 40: « Mæonis Assyrium femina tingit ebur. » *Corrumpi* autem et *violari* dicitur, quoniam propriam et naturalem pulchritudinem amittit. Virgilius Æn. XII, 68: « Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur. » Ex Homero Iliad. Δ: Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ Μῃονὶς, ἠὲ Κάειρα.

310. *Flamma recens. Flamma repens* duo codd. Lindenbrogii. — *Flamma recens.* Novus amor hospita sacra discutiat: immensam amoris vim ostendit. BRITANN.

311. *Discutiat turbæ securus. Dissiceat turbæ* Dan. Put. et Petav. — Reg. C habet hanc lect. Reg. B *Dissiciat.* — *Ævi.* Puerilis ætatis. Confer Poet. Lat. Min. tom. III, pag. 351, verba Achillis in Parthenone, vs. 34; Claudian. VIII, de IV Cons. Hon. vs. 394: « Tunc ego securus fati. » En.

312. *Ni pudor et junctæ teneat reverentia matris. Ni pudor et vinctæ* Exc. Burg. sollemni errore.

313. *U. p. a. q. rectorque futurus.* Put. *ductorque futurus.* —Hanc lect. habet Reg. B; Reg. C nostram. — *Ut pater armenti.* Eclipsis est,

Cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
Quum sociam pastus niveo candore juvencam
Adspicit, ardescunt animi, primusque per ora
Spumat amor, spectant hilares, optantque magistri.
Occupat arrepto jam tempore conscia mater:
« Hosne inter simulare choros, et brachia ludo
Nectere, nate, grave est? gelida quid tale sub Ossa,
Peliacisque jugis? o si mihi jungere curas,
Atque alium portare sinu contingat Achillem! »
Mulcetur, lætumque rubet, visusque superbos

id est ita, inquit, ad amorem incendebatur Achilles, ut juvencus, qui futurus est pater armenti, inflammatur conspecta vacca.

314. *Nondum toto peraguntur cornua gyro.* Nondum in gyrum conversa.

315. *Sociam pastus.* Vaccam cum qua pascit.

316. *Primusque per ora Spumat amor.* Primum amoris signum est spuma, quæ per os diffunditur.

317. *S. a. s. h. optantque magistri.* In eodem codice, *obstantque magistri.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. En.— *Optantque magistri. Optant*, ut eam ineat. —*Magistri.* Pastores. Virgilius Ecl. II, 33 : » Pan curat oves, oviumque magistros. » sic *gregis magister* Tibul. II, p. 5, 35 ; Ov. Fast. IV, 747.

318. *Occupat arrepto jam tempore conscia mater.* Regg. B et C *O. a. jam conscia tempore mater.* exhibent En.— *Conscia mater.* Nam notaverat amorem filii.

319. *Hosne inter simulare choros. Hasne inter* malit Gronovius. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. — *Simulare.* Te esse feminam. — *Et brachia ludo Nectere.* Saltantium gestum expressit. Horatius Od. II, 12, 18 : « Nec dare brachia Ludentem nitidis virginibus, sacro Dianæ celebris die. »

320. *Gelida Ossa.* Mons Thessaliæ; *gelida*, quia Septemtrioni expositus hic mons.

321. *Pq. j. o si mihi jungere curas.* Gronov. Diatr. p. 94, legit : *o si mihi jungere curam, Atque alium portare sinum*, etc.— *Peliacisque jugis.* Vide supra. — *O si.* Illud *o si* optantis est. Persius : « O si Ebullit patrui præclarum funus, et o si, » etc. — *Jungere curas.* Quam optarem addere curam curæ, id est, ex te nepotem habere! avis enim non minori curæ esse solent nepotes, quam filii.

322. *Alium Achillem.* Id est, natum ex te, tibi similem. Dido apud Virgilium, Æn. IV, 328 : « Si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas. »

323. *Mulcetur, lætumque rubet, visusque superbos.* Regg. B et C habent, *visusque protervos.* — *Lætumque rubet.* Erubescunt et non læti, quum indignantur, et aliquid moleste ferunt.—*Superbos.* Priusquam victus fuisset pulchritudine Deidamiæ.

Obliquat, vestesque manu leviore repellit.
Adspicit ambiguum genitrix, cogitque volentem,
Injecitque sinus: tunc colla rigentia mollit,
Submittitque graves humeros, et fortia laxat
Brachia, et impexos certo domat ordine crines,
Ac sua dilecta cervice monilia transfert,
Et picturato cohibet vestigia limbo.
Incessum, motumque docet, fandique pudorem.

324. *Obliquat*. In obliquum convertit, ut erubescentes faciunt. — *Vestes*. Muliebres scilicet. — *Manu leviore*. Ut qui jam amori cedebat.

325. *A. a. g. cogitque volentem*. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *cogitque valentem*; V. D. in Obss. Misc. tom. II, p. 77, conj. *cogique volentem*; et sic conj. etiam Heinsius. — *Ambiguum*. Non repugnantem, sed quasi dubitantem. — *Cogit volentem*. Qui tamen nolle videri volebat. MATURANT.

326. *Injecitque sinus: tunc colla rigentia mollit*. *Innectitque sinus* duo codd. et Rom. unde idem V. D. in Obss. Misc. I. 1, conj. etiam, *cogitque volentem Innectitque sinu?* Denique tentabat: *comitque volentem Injecitque sinus*. Put. *colla recentia*. — Reg. B habet, *Injecitque sinus; tunc colla recentia mollit*. Reg. C nostram lect. ED. — *Injecitque* (*Innectitque*) *sinus*. Id est, vestem amplam et sinuosam, qualis est feminarum. Sex Gruteri codices, et aliquot Gronovio inspecti, habent, *Injecitque sinus*. Quod magis ob oculos ponit occupantem tempus Thetidem, et festinantem. Plaut. Truc. II, 526: pallium injice in me huc, etc. — *Rigentia*. Aspera, qualia virorum.

327. *Submittit graves humeros*. Id est, docet humeris esse submissioribus, ut feminam decet: qualis solet esse cura matrum. Unde Terentius Eun. Act. II, sc. 3: « Quas matres student demissis humeris esse, vincto corpore ut graciles sient. » — *Et fortia laxat Brachia*. Id est, laxa facit, et veluti soluta et debilia, qualia decent puellam.

328. *Brachia, et impexos certo domat ordine crines*. Exc. Burg. *impessos domat certe*; Put. *impexos certo donat*. — Hanc ultimam lect. Reg. B habet, Reg. C nostram. ED. — *Impexos*. Gronovius legit *implexos* ex Ms.

329. *Ac sua dilecta*. A collo suo ad nati collum propria transtulit ornamenta: est autem monile ornamentum colli mulierum, et ornatus equorum a collo præpendens.

330. *Et picturato*. Reg. B præbet, *Et pictorato*. Reg. C nostram lect. ED. — *Picturato limbo*. Picturis distincto, est autem pingere etiam seu variare. Virgil. Æn. IX, 582: « Pictus acu chlamydem. » Lymbus vero fascia est, quæ ambit extremitates vestium secundum antiquum ritum. MATURANT.

331. *Incessum, motumque docet*. *Incassumque modumque* Exc. Burg. — *Fandi pudorem*. Ut pauca loquatur. Silentium enim mulierem

Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, ignemque, manumque sequuntur,
Talis erat Divæ natum mutantis imago.
Nec luctata diu : superest nam plurimus illi
Invicta virtute decor, fallitque tuentes
Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus.
Procedunt, iterumque monet, rursumque fatigat
Blanda Thetis : « Sic ergo gradus, sic ora, manusque,

decet, quod Sophocles ait. Dido apud Virgilium breviter loquitur, et demissis in terram oculis. MAT.

332. *Qualiter artificis victuræ pollice ceræ. Qualiter artifici* codd. Lindenbrogii; *artificis juncturæ* vel *vincturæ* Exc. Burg. — Reg. B exhibet, *Qualiter artifici victuræ;* Reg. C, *Qualiter artifici juncturæ.* — *Qualiter.* Pulchra est comparatio; et est ordo ac sensus : Talis erat imago Divæ immutantis natum; nam ex viro feminam faciebat, et sic ex illa imagine viri aliam formabat. — *Ceræ victuræ.* Id est, quum victuræ membra statuæ inter se accipiunt formas pollice artificis. MATURANT. — Vide pag. 261, tom. I, Stat. nost. ED.

333. *Ignemque, manumque sequuntur.* Nam ad ignem opus hoc exercetur.

335. *Luctata.* Non diu informando Achillem laboravit. MATURANT. — *Superest nam plurimus.* Hoc dicit, haud difficile matri fuisse ita componere filium ut mulier probaretur, quia in eo præter vires inerat decor et pulchritudo quædam, ut sexui femineo valde accederet. Nam, ut Homerus scribit, omnium Græcorum speciosissimus fuit et fortissimus. BRITANN.

336. *Invicta virtute decor.* Reg. B habet, *Invita virtute decor;* Reg. C nostram lect. ED. — *Invicta virtute decor.* Ita omnes codices. Gronovius contendit legendum *invita*, id est, dedignante et avertente pulchritudinis laudem, ut de Parthenopæo dicitur Theb. VI et IX. — *Fallitque tuentes ambiguus.* Horatius : Od. II, 5, 21, seqq. « Quod si puellarum insereres choro, Mire sagaces falleret hospites Discrimen obscurum, solutis Crinibus, ambiguoque vultu. »

338. *Procedunt, iterumque monet, rursumque fatigat.* Put. Lang. et Barthiani : *iterumque monet iterumque fatigat;* Petav. *iterumque monens rursumque fatigans;* Exc. Burg. *rursumque monet iterumque fatigat.* — Reg. B habet, *iterumque monens, iterumque fatigans;* Reg. C, *iterumque monet iterumque fatigat.*

339. *B. T. Sic ergo gradus. Sic ego gradum* codex T. R. et ita legit Britannicus; *Sic ego manus, sic ora, gradumque* Exc. Burg. — Reg. B habet hanc lect. ED. — *Sic ergo gradus, sic ora manusque, Nate feres comitesque modis imitabere fictis.* Conf. Poet. Lat. Min. tom. III, p. 349, verba Achillis in Parthenone vs. 16 : ad quem versum illustrandum adductus est Nostri locus. ED.

Nate, feres, comitesque modis imitabere fictis;
Ne te suspectum molli non misceat aulæ
Rector, et incepti pereant mendacia furti. »
Dixit, et admoto non cessat comere tactu.
Sic ubi virgineis Hecate lassata pharetris
Ad patrem fratremque redit, comes hæret eunti
Mater, et ipsa humeros exertaque brachia velat;
Ipsa arcum pharetramque locat, vestesque latentes
Deducit, sparsosque studet componere crines.

342. *R. e. i. pereant mendacia furti.* Barthii vet. cod. *pateant mendacia.*

343. *D. e. a. non cessat comere tactu.* Put. *non distat comere.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *non cessat comere tractu.*

344. *Sic ubi virgineis Hecate lassata pharetris. Hecate laxata* Exc. Burg. — Reg. B præbet, *Hecate lassata therapinis;* Reg. B nostram. Ed. — *Sic ubi virgineis.* Hecate, Diana, quæ eadem et Luna est, et sic vocatur quod longe radios et lumen suum jacit, ἑκὰς enim *longe est.* Hesiodus in Theog. Hecatem dicit *non* esse Proserpinam, sed aliam Asteries sororis Latonæ filiam, et Persei fratris Astræi, cui Juppiter vim et potestatem in omnia concessit elementa, *unde* Hecate existimatur vocari, ἑκατὸν enim significat *centum*, quia infinitas habuit potestates. Orpheus in Argonaut. triplicem hanc dicit esse, et tria habere capita, dextrum equi, sinistrum canis, medium hominis, et quidem rustici. Virgilius, Æn. IV, 511 : « Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ. » — *Pharetris.* Venatione. MATURANT.

345. *Patrem.* Jovem. — *Fratrem.* Apollinem.

346. *Mater.* Latona. — *Humeros, exertaque brachia.* Ut facilius arcum flecteret.

347. *Ipsa arcum pharetramque locat, vestesque latentes.* Codd. Lindenbrogii : *pharetrasque gerit, vestemque labentem.* Exc. Burg. *pharetramque gerit.* — Reg. B exhibet, *pharetrasque locat, vestemque latentem;* Reg. C, *pharetrasque locat, vestesque latentes.* Ed. — *Latentes.* Subductas more venantium : videntur enim vestes *latere*, dum subductæ ac succinctæ sunt.

348. *Deducit, sparsosque studet componere crines. Diducit, sparsumque tumet componere crinem* legit Dan. Heins. ad Claudian. XV, Bell.Gild.330.—Reg. B habet, *sparsosque timet;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sparsosque studet componere crines.* Non contemnendus liber : *sparsosque tumet componere crines.* Quasi dicat Latonam hoc officio superbire, ambitiose in eo se ostentare, ut ornatrices solent apud dominas; nedum mater apud talem filiam, ex qua toties illi, si vatibus fides, « pertentent gaudia pectus. » (Virg. Æneid. I, 502.) GRONOV.— *Sparsos crines.* Quos venti ac arborum rami venanti per silvas sparserant.

Protinus aggreditur regem: atque ibi, testibus aris,
« Hanc tibi, ait, nostri germanam, rector, Achillis
(Nonne vides, ut torva genas, æquandaque fratri)?
Tradimus: arma humeris arcumque animosa petebat
Ferre, et Amazonio connubia pellere ritu.
Sed mihi curarum satis est pro stirpe virili.
Hæc calathos et sacra ferat: tu frange regendo
Indocilem, sexumque tene, dum nubilis ætas,
Solvendusque pudor: neve exercere protervas
Gymnadas, aut lustris nemorum concede vagari.
Intus ale, et similes inter seclude puellas.
Litore præcipue, portuque arcere memento.

349. *Testibus aris.* Ut major foret depositi religio.

351. *Nonne vides. Ipse vides* ex codd. malit Barthius. — *Torva genas.* In ore enim aliquid torvi et virilis retinuerat Achilles. — *Fratri.* Nititur probare sororem esse Achillis a viribus corporis.

352. *Arma humeris arcumque animosa.* Astute hæc proponit ne si forte quid tale peragat, vir esse putetur. BRITANN. — Vide p. 599, tom. I Stat. nost. ED.

353. *Amazonio ritu.* Amazones enim, ut omnes sciunt, arma tractabant, nec nubebant. Vide de Amazonibus Justinum lib. II, 4. Herodotum lib. IV. Eas tamen unquam fuisse negant Strabo lib. XI.

354. *S. m. c. s. e. pro stirpe virili.* Exc. Burg. *pro parte virili.*

355. *Sacra* Ut Palladis quæ canephoria, vel cistophoria vocabantur, quoniam ea cistis inclusa nobiles virgines certo anni tempore in arcem ferebant, quod Ovid. scribit. — *Frange.* Vince, doma sexum muliebrem, ne corrumpatur; facile enim nisi custodiatur, labefactari consuevit. MATURANT.

356. *Indocilem, sexumque tene.* Put. *sexuque tene.* — Regg. B et C habent hanc lect. ED.

358. *Gymnadas, aut lustris.* Exc. Burg. *haud lustris.* — *Gymnadas.* Ludi sunt palæstrici gymnades qui et gymnici vocantur, in quibus nudabantur. Hos primus Lycaon in Arcadia excogitavit. Auctor Plin. *γυμνὰς* Græce *ludus* est, *γυμνὰς* et *exercitatio*: *γυμνάζω*, *ludo*, et *exerceo*, *γυμνάζουσα*, *femina quæ ludit.* Hic pro ludis posuit, ac si diceret, nolito concedere, ut gymnadas exerceat, vel gymnadas imitetur. Non vult ludos exerceri, in quibus Achilli necesse sit nudari. Spartanis mos fuit, ut nudæ puellæ inter luctantes viros exercerentur, quod scribit Propertius lib. III, Eleg. 14, « Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ, Sed mage Virginei tot bona gymnasii; Quod non infames exercet corpore ludos Inter luctantes nuda puella viros. »

360. *L. p. portuque arcere me-*

Vidisti modo vela Phrygum: jam mutua jura
Fallere transmissæ pelago didicere carinæ. »
Accedit dictis pater, ingenioque parentis
Occultum Æaciden (quis Divum fraudibus obstet)?
Accipit: ultro etiam veneratur supplice dextra,
Et grates electus agit: nec turba piarum
Scyriadum cessat nimio defigere visu
Virginis ora novæ, quantum cervice, comisque
Emineat, quantumque humeros ac pectora fundat.
Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris
Hortantur, ceduntque loco, et contingere gaudent.
Qualiter Idaliæ volucres, ubi mollia frangunt

mento. Exc. Burg. a m. pr. *portaque;* ex emend. *portuque.*

361. *Vidisti modo.* Admonet servandas esse diligentissime puellas, quoniam paullo ante Paris raptam Helenam in patriam reportavit. Matur. — Supra v. 63: « Eunt tutis terrarum crimina velis, Ex quo jura freti, majestatemque repostam Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina. »

364. *Quis Divum fraudibus obstet.* Epiphonema, quale illod Virgilii, Æn. IV, v. 296: « Quis fallere possit amantem? »

366. *Electus.* Hoc ipso agit gratias Deæ, quod se nonum ex omnibus elegerit, cui filiam commendaret.

367. *Scyriadum cessat nimio defigere visu. Scyriadum cessat niveo* Put. *defigere vultu* Exc. Burg. — Reg. B habet, *niveo defigere visu;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Scyriadum.* Ibi habitantium puellarum. Ita *Scyrias Deidamia* apud Ovid. de Arte Am. lib. I, v. 682. Barth. — *Defigere.* Sic intente intueri, ut ab Achille oculos non dimoverent.

369. *E. qq. humeros ac pectora fundat.* Lang. *humeros a pectore funda.* — *Emineat.* Superemineat, et anteeat alias, tom claritate corporis, tum pulchritudine. Matur. — *Quantumque humeros ac pectora fundat.* Id est, quam latos humeros, et quam fusa pectora habeat et ostendat. Livius lib. XXXVIII, Gallorum *fusa* dicit ac caodida corpora.

370. *Castisque accedere sacris.* Supra enim dixit Poeta, v. 288: « Exierant dare veris opes, Divæque severas Fronde ligare comas, et spargere floribus hastam. »

371. *Hortantur, ceduntque loco.* Lang. Laur. Buslid. Aldd. Basil. et Plant. *ceduntque locum;* Dan. Put. Petav. Exc. Burg. et Petrens. *ceduntque loco.* — *Loco.* Aliqui legunt *locum.*

372. *Idaliæ.* Comparatio est. Idaliæ autem volucres columbæ sont Veneri sacræ propter satom frequentem et coitum. Idalius vero mons est Cypri Veneri sacer, de quo Virgil. Æn. I, 681: « Aut super Idalium sacrata valle recon-

Nubila, jam longum cæloque domoque gregatæ,
Si junxit pennas, diversoque hospita tractu
Venit avis, cunctæ primum mirantur et horrent:
Mox propius propiusque volant, atque aere in ipso
Paulatim fecere suam, plausuque secundo
Circumeunt hilares, et ad alta cubilia ducunt.
Digreditur multum cunctata in limine mater,
Dum repetit monitus, arcanaque murmura figit
Auribus, et tacito dat verba novissima voto.
Tunc excepta freto longe cervice reflexa
Abnatat, et blandis affatur litora verbis:
« Cara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ,

dam. » Maturant. — *Idaliæ*. Columbas antem Veneri consecratas esse commeota est antiqoitas hoc modo, Venerem et Cupidinem in campis lascivientes in contentiooem devenisse, oter plures sibi colligeret flores, et quum Cupido alarum suffragio plures videretur collectorus, Peristeram Nympbam in Veoeris auxilium sorrexisse, inde Copidinem indignatom nympham illico in columbam mutasse, qoam deinde Venus in tutelam suam assomsit. Alii autem rei veritatem persequentes Peristeram apud Corinthios insignem fuisse puellam, quæ io plurimorum amplexus venit. Quam ob caosam ab ipso Cupidine, id est, libidinis stimolo in columbam versam dixere, *περιστερὰ* enim græce, *columba* dicitur latioe. Brit. — Vide Theb. XII, 16. — *Mollia*. Id est, quæ facile cedont avium volatui, eisque daot transitom.

374. *Si junxit pennas, diversoque hospita tractu. Si jussit pennas* Exc. Burg. *diversaque* Laog. Laur. Lipsian. Buslid. et Venett. *hospita parte* oonnolli Bern. et Venett. — Reg. B præbet, *Si junxit pinnas;* Reg. C nostram lect. Eo.

378. *Circumeunt hilares, Circierunt* Exc. Burg. — *Alta cubilia*. Peristerotrophia in altis turribus exstrui solita.

379. *Multum cunctata*. Conjonge *multum* cum *cunctata*, ut sit *multum cunctata in limine*, id est, remorata. Britann.

381. *A. e. t. d. v. novissima voto*. Put. *et tacito dat v. n. vultu*. — Reg. B habet banc lection. Reg. C nostram. En. — *Novissima*. Id est, vale; quod a discedentibos postremum dici solet. Britann. — *Tacito voto*. Ne filius detegeretor.

382. *Longe cervice*. Quo gestu esse latentes sulent, vel sic se convertebat ut quoad posset filiom ad Scyrum intueretur. Maturant.

383. *Verbis*. Quidam eodices habeot *votis*. — Regg. B et C hanc lect. habent. En.

384. *Cara mihi*. Oratio est qua Scyro filium commendat, et præ-

Depositumque ingens, timido commisimus astu,
Sis felix, taceasque, precor, quo more tacebat
Creta Rheæ: te longus honos, æternaque cingent
Templa, nec instabili fama superabere Delo.

mia pollicetur taciturnitatis. Mat.

385. *Depositum ingens.* Quod enim majus depositum esse potest filio? Matur.

387. *Creta.* Creta, insula maris Mediterranei, adjacens Peloponneso. — *Creta Rheæ.* Hæc fabula est. Saturnus, postquam a Themide oraculo comperit a filio regno se posse depelli, natos ex Rhea uxore devorabat, quæ natum Jovem pulchritudine delectata nymphis commendavit in monte Cretæ Dictæo, ubi eum aluerunt apes, et adhibiti sunt Curetes et Corybantes, qui tinnitu æris prohiberent audiri pueri vagitum. Unde ipsi sunt matris Deum ministri. Ut autem fingatur Saturnus filios suos comesse hæc ratio est, quia dicitur Deus esse æternitatis et seculorum. Secula autem annos ex se natos in se revolvunt, inde græce Κρόνιος quasi Χρόνιος, id est, *tempus*, dicitur. Ergo *quo more tacebat Creta Rheæ*, id est, quia illic certe Jovis nutritus est, ne a Saturno patre occideretur; sic tu, o Scyros, commendatum tibi Achillem absconde. Lactant.

388. *Instabili Delo.* Vide Theb. I, 702; Ovid. Met. VI, 191: « Instabilemque locum Delos dedit. » Idem, eod. lib. v. 332: « quam vix erratica Delos orantem accepit. » Vide notata de his Nostri et Ovidii locis, Poet. Lat. Min. tom. IV, pag. 542. Ed. — *Instabili fama superabere Delo.* Major, inquit, erit fama et nomen tuum quam Deli insulæ, quæ Apollinis oraculo toti orbi notissima fuit. *Instabili*, rem fabulosam prosequitur, quæ sic se habet. Juppiter, simul atque Latonam gravidam fecit, Asteriæ ejus sorori vim inferre conatus est: verum puella fugiens numinum miseratione in coturnicem conversa est, quam Græci ortyga vocant. Juppiter autem in Aquilam mutatus quum eam rapere vellet, divino usa auxilio in lapidem transformata est, qui diu sub aquis latuit; cæterum Juppiter precibus Latonæ motus, eum super aquas efferri fecit. Præsentiens deinde Juno Latonam ex Jove gravidam immisso Pythone serpente eam per omnem terram persecuta est, quæ tandem quum ad litora pervenisset a sorore sua suscepta est, ibique peperit Dianam et Apollinem in Cyntho monte, qui insulam natantem adhuc instabilemque cernentes amplius errare passi non sunt. Unde est illud Virgilii, Æn. III, 75: « At pius arcitenens oras, etc. » Ait ergo *Delo instabili*, quia ante diu fluctuata est. Eam Solinus scribit appellatam esse Ortygiam, quia ibi primum visæ sint coturnices, quas Græci ut diximus ortygas appellant. Aristoteles Delon appellatam esse prodidit, quoniam repente apparuerit enata. Æglosthenes Cynthiam, alii Asteriam, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum, Pyrpilem, igne ibi primum repertu. Britann.

At ventis et sacra fretis, interque vadosas
Cycladas; Ægææ frangunt ubi saxa procellæ,
Nereidum tranquilla domus, jurandaque nautis
Insula, ne solum Danaas admitte carinas,
Te precor: hic thiasos tantum, nihil utile bellis,

389. *At ventis et sacra fretis.* Regg. B et C habent, *Et ventis et sacra fretis*. En. — *At ventis et sacra fretis*. Ex præceptis artis insulam commendat ab ea re, quam impetrare cupit: ut scilicet ita fugiat strepitum bellorum et naves Græcorum, ut tranquilla semper consuevit esse et receptaculum duntaxat nympharum. Est ergo ordo: At tu tellus sacra ventis et fretis, et domus tranquilla Nereidum, et insula juranda nautis inter Cycladas ubi procellæ Ægææ frangunt saxa, ne admitte carinas Danaas. Britann.

390. *Cycladas.* Vide Theb. III, 438. — *Ægææ frangunt ubi saxa procellæ.* Hypallage. Ubi « saxa frangunt procellas Ægæi maris. » Cyclades enim sunt in Ægæo mari.

391. *N. t. d. jurandaque nautis.* Put. *jurandaque noctis.* — Reg. B babet hanc lect. Reg. C nostram. En. — *Jurandaque nautis Insula.* Id est, per te jurabunt nautæ, ut per ingens numen. Hor. II, Epist. I, 16, ad Augustum loquens: « Jurandasque tuum per nomen ponimus aras. »

392. *Insula, ne solum.* Insula nec solum. Burm. et Rom. — *Danaas.* Græcas.

393. *Te precor: hic thiasos tantum, nihil utile bellis.* Reg. B habet, *Ne precor: hi thiasi tantum;* Reg. C, *Deprecor: hi thiasos tamen et nihil utile bellis.* — *Thiasos.* Saltationes, choreas Liberi, id est, Liberalia. Originem belli Thebani taliter historia refert, Herculem quum Colchos iret perdito Hyla post peragratam Misiam navibus Trojam venisse, a cujus portu quum eum Laomedon arceret, occisus est, et ejus filia Hesiona belli jure sublata comiti Telamoni tradita est, qui primus ascenderat murum, unde natûs est Teucer. Nam Ajacem ex alia constat esse natum. Tunc Hercules Priamum quoque redemptum a vicinis hostibus in patrio regno locavit, unde est Priamus dictus ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, id est, emere. Cæterum quæ de liberata dicuntur Hesiona constat esse fabulosa. Postea quum excrevisset, Priamus volens repetere sororem, profectus est cum legatis Salamina, ubi constabat eam regnare, et minime eam repetere valuerunt, Græcis dicentibus eam habere jure bellorum; unde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret, aut uxorem regis, aut filiam, qui dum ambulasset sollicitavit Helenam, Menelai uxorem, quæ quum ei consentire noluisset, egressus est ille et civitatem obsedit, qua eversa Helenam rapuit, unde et postea a marito* recipi meruit. Lactant. — *Nihil utile bellis.* Astute monet bellica illic non tractanda, ne qua spes Græcis sit petendi illinc auxilii, ut sic Achilles ibi tutius lateat: est enim ordo: Doce famam narrare hoc,

Hic famam narrare doce: dumque arma parantur
Dorica, et alternum Mavors interfurit orbem,
Cedo equidem, sit virgo pii Lycomedis Achilles. »
Interea meritos ultrix Europa dolores
Dulcibus armorum furiis et supplice regum
Conquestu flammata movet: quippe ambit Atrides
Ille magis, cui nupta domi, facinusque relatu
Asperat Iliacum: captam sine Marte, sine armis

videlicet, hic tantum Thyasos celebrari, et nihil utile bellis. Brit.

394. *Hic famam narrare doce. Hoc famam* Burm. Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *Nec famam* Romana, *servare doce* Burm. — Reg. B habet, *hoc famam narrare doce;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Dumque arma*. Sensus est: Volo Achillem, ut virginem, tantisper apud Lycomedem esse dum bella ad Trojam parantur. Brttann.

395. *Dorica*. Id est, Græca. Dores enim populi Græciæ. — *Alternum orbem*. Asiam et Europam. — *Interfurit*. Præpositionem detractam nomini addidit verbo.

396. *C. e. s. v. p. Lycomedis Achilles. Lycomedis in aula* Exc. Burg. Post hunc versum eodd. Lindenbrogii inserunt: *Explicit Achilleidos liber secundus;* cum hoc libri tertii Argumento:

Ultor in Hectoridas Graios dolor armat Atridem.
Aulide juratur. Pelides poscitur absens.
Panditur in Scyro, quo sit quærendus Ulysses.
Seque virum fassus, Pyrrhum generavit Achilles.

— *Cedo equidem*. Per parenthesim legendum est: quasi dicat, concedo quidem, et patior eum esse ut virginem apud Lycomedem. Brit. — Post hunc versum legitur in Reg. C, *incipit liber tertius*. Ed.

397. *Interea meritos ultrix Europa dolores*. Reg. B habet, *victrix Europa dolores;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Meritos*. Quia ex justa causa capiebantur. — *Europa*. Græcia Europæ pars nobilissima: non enim omnis Europa arma sumsit.

398. *Dulcibus furiis*. Vel ob vindictam, vel quia dulce est fortibus viris arma tractare. — *Regum*. Menelai et Agamemnonis. — Vide p. 597, tom. I Stat. Nost. Ed.

399. *Conquestu flammata movet: quippe ambit Atrides*. — Exc. Burg. *flammata movet, movet ambit*. — *Atrides*. Agamemnon Atrei filius. — *Ambit*. Id est, vel circuit omnem Græciam et sollicitat ad bellum: vel *ambit*, prensat, blanditur, circuit, rogans ut se adjuvent. Sic Virgilius, Æn. VII, 333. « Ambire Latinum. » Metaphora sumta a candidatis magistratum petentibus.

400. *Cui nupta domi*. Clytæmnestra, quæ et ipsa rapi poterat, nisi obviam irent violentiæ. — *Facinus Iliacum*. Raptum Helenæ a Paride Phrygio, seu Trojano: Troja enim et Ilium vocabatur.

401. *Sine Marte, sine armis*. Id est, non in bello, quod tolerabilius esset, sed in pace, quum nihil tale suspicarentur.

Progeniem cæli, Spartæque potentis alumnam:
Jura, fidem, Superos una calcata rapina.
Hoc fœdus Phrygium, hæc geminæ commercia terræ?
Quid maneat populos, ubi tanta injuria primos
Degrassata duces? coeunt gens omnis et ætas:
Nec tantum exciti, bimari quos Isthmia vallo
Claustra, nec undisonæ quos circuit umbo Maleæ,
Sed procul amotæ, Phryxi qua semita jungi
Europamque Asiamque vetat, quasque ordine gentes
Litore Abydeno maris alligat unda superni.

402. *Progemiem cæli.* Helenam Jove genitam. — *Spartæ.* Sparta urbs Laconiæ primaria, Menelai regia.

403. *Jura.* Hospitii scilicet. — *Fidem.* Datam Græcis a Trojanis, vel fœdera quæ interventu fidei firmantur. — *Superos.* Quos fœderis testes facimus, seu sub quorum tutela sunt hospitii jura: nam erat Juppiter Xenius, seu hospitalis.

404. *H. f. P. hæc geminæ commercia terræ?* In iisdem Exc. *geminæ hæc commercia terræ.* — *Fœdus.* Quod dicit fœdus historiam tangit, quæ refert, quod Trojani cum Græcis fœdus habuerint, unde etiam Paris amicabiliter est susceptus hospitio, et sic commisit adulterium. Lactant. — *Geminæ terræ.* Asiæ et Europæ. Maturant.

405. *Maneat populos.* Locus est concitandæ indignationis, a majori ad minus: qui læsit majores, quomodo is a minoribus lædendis abstinebit; qui injuriam fecit regibus, quid is faciet in privatis? Matur.

406. *Degrassata duces. Decrassata duces.* Aldd. Colin. Basil. et Plant.

407. *N. t. e. b. quos Isthmia vallo.* Exc. Burg. *quos Ismara vallo.* — *Bimari quos Isthmia vallo Claustra.* Intelligit angustias, seu Isthmum, unde procedit Peloponnesus. Ibi est latitudo quinque millium tantum. — *Bimari vallo.* Intelligit hinc Lechæum promontorium, illinc vero Cenchreas. — *Bimari.* Quia Isthmi latera Ægæo mari et Ionio abluuntur.

408. *C. n. u. q. c. umbo Maleæ.* Put. et Petav. *unda Maleæ.* — *Umbo.* Metaphoricōs dorsum et tractus promontorii. — *Maleæ.* Promontorium Laconiæ, quo, ut scribit Plinius, tota fere regio includitur.

409. *Sed procul amotæ, Phryxi qua semita jungi.* Reg. B præbet, *sed procul admotas;* Reg. C, *sed procul amoti.* Ed. — *Phryxi qua semita,* etc. Id est, Hellespontus ab Hella Phryxi sorore nominatus. Vide Theb. V, 475. — *Semita.* Quia Hellespontus septem duntaxat stadiis, ut jam diximus, Europam ab Asia dirimit, illic habens inter se oppositas urbes, in Europa Callipolin et Seston, in Asia Lampsacum et Abydon.

411. *Litore Abydeno* Exclusive;

Fervet amor belli, concussasque erigit urbes.
Æra domant Temesæ: quatitur navalibus ora
Eubois: innumera resonant incude Mycenæ:
Pisa novat currus: Nemee dat terga ferarum:
Cyrrha sagittiferas certat stipare pharetras:
Lerna graves clipeos cæsis vestire juvencis.
Dat bello pedites Ætolus, et asper Acarnan:

nam Abydos in Asia est. — *Alligat unda superni*. Hoc dicit, et eas gentes esse commotas ad bellum, quæ ad Propontidem habitant. Nam ab Hellesponto in Pontum naviganti occurrit Propontis, id est, pars illa maris quæ sese expandit: nam ubi primum mare se coarctat, Hellespontus vocatur; Propontis ubi se expandit; ubi iterum pressit, Thracius Bosphorus; ubi iterum effundit, Pontus Euxinus: unda igitur maris Superni, id est, Propontidis. Gronov.

412. *F. a. b. concussasque erigit urbes*. Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *conclusasque*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed.

413. *Æra domant Temesæ*. *Æra sonant* Lang. et Exc. Burg. — Reg. B et C, *Æra domat Temese* præbent. Ed. — *Temesæ*. Urbs est Brutiorum, quam Ausonii condiderunt, Latini Temesam nominarunt. Ibi ærifodinæ, quæ postea defecerunt. Vide Silv. lib. I, 1, 42. Erat et in Cypro urbs ejusdem nominis, ubi æris metalla etiam abundasse scribit Strabo. — *Navalibus*. Navalia proprie loca ubi ædificantur naves, et retinentur. Hic pro navibus usurpat. — *Ora Eubois*. Nam ad Aulidem Eubœæ urbem omnes naves Græcorum convenerant. Eubœa autem insula tam parvo euripo discreta a Bœotia, ut ponte jungeretur.

414. *Mycenæ*. Urbs Argolidis, prope Argos, hæque duæ urbes propter locorum vicinitatem alterutro nomine sæpe vocantur a Tragœdiarum scriptoribus. Regia fuit Agamemnonis.

415. *Pisa*. Urbs Elidis, regia Œnomai, prope Alpheum, nota celebratione ludorum Olympicorum. — *Nemee*. Silva in Arcadia inter Cleonas et Phliuntem, in qua Hercules leonem Nemeæum occidit. — *Terga*. Pro, tergora. — *Ferarum*. Leonum et ursorum, quibus hæc silva plena erat. — *Terga*. Vel ad tegendos clipeos, vel quia pellibus induti antiqui ibant in pugnam.

416. *C. s. c. stipare pharetras*. Vetus Bernartii, *spirare pharetras*. — *Cyrrha*. Oppidum Phocidis situm ad radices Parnassi montis.

417. *Lerna*. Civitas Argolidis; est et palus ejusdem nominis in eadem regione. — *Cæsis vestire juvencis*. Sic Theb. III, v. 591. « Nec pudor emerito clipeum vestisse juvenco. »

418. *Dat bello pedites*. *Dant bello pedites* codex T. R. in Obss. Misc. Tom. IV, p. 395. — *Ætolus et asper Acarnan*. Ætoli et Acarnanes populi Græciæ occidentales, inter

Argos agit turmas: vacuantur pascua ditis
Arcadiæ: frenat celeres Epiros alumnos:
Phocis, et Aoniæ jaculis rarescitis umbræ:
Murorum tormenta Pylos Messanaque tendunt.
Nulla immunis humus: velluntur postibus altis

quos medius est Achelous fluvius, adhærent Epiro. Ex iis gentibus pedites veniebant.

419. *Argos.* Caput Argolidis, cui dedit nomen. — *Turmas.* Bene, seu Equites, quia illinc optimi equi mittebantur, unde Argos *Hippium* vocabatur, ad differentiam urbium ejusdem nominis. — *Pascua ditis Arcadiæ.* Arcadia pars mediterranea Peloponnesi: dicitur *dives*, id est, fertilis. Strabo enim refert in Arcadia fertilia fuisse pecori pascua, præsertim equis, et asinis equarum suppositoribus.

420. *Epiros.* Epirus regio occidentalior Græciæ. Ab Acroceraunils occipit montibus; in ea primi Chaones, deinde Thesproti, Antigonenses. Hæc regio alit equas præstantissimas, quæ ab ea *Epiroticæ* appellantur. Virgilius Georg. I, v. 59. « Eliadum palmas Epiros equarum. » Vide ab Heynio notata ad Virg. Georg. I, 59 nost. edit. tom. I, p. 258. Nunc *Albania* vulgo vocatur. Ed.—*Celeres alumnos.* Equos celeres.

421. *Phocis.* Phocis regio Græciæ, celebris Parnasso monte et Delphis, inter Bœotiam et terram Atticam. — *Aoniæ.* Id est, Bœotiæ, ab Aonibus populis, qui Bœotiam incolebant ante adventum Cadmi. — *Jaculis.*—Decrescunt silvæ umbriferæ, cæsis ad jacula facienda arbusculis.

422. *M. t. P. Messanaque tendunt. Messanaque tradunt* Dan. Petav. tres Bernartii, omnes Barthii, et edd. vett. *Messanaque tendunt.* Petrens. T. R. Exc. Burg. Put. unus Bernartii, Gronov. Barth. et Delph. - Reg. B habet, *Messenaque tendunt;* Reg. C *Mesanaque tradunt.* Ed. — *Pylos.* Urbs Messeniæ, Nestoris patria. — *Messana.* Urbs primaria Messeniæ, cui dedit nomen. — *Tendunt* (*tradunt*). Alii legunt *tendunt* ex pluribus Mss. haud dubie ad morem priscum, quo funibus machinæ tendi solent. Vegetius lib. IV. Vide tormentorum icones notitiæ Imperii subjectas. Berald.

423. *Nulla immunis humus.* Nempe omnes urbes aut milites, aut arma præbebant. Nulli vero, tam apud Græcos quam Romanos, belli vacatio dabatur, nisi ex certis causis, quæ rarissimæ erant. — *Postibus altis Arma.* Ex postibus, inquit, domuum arma avellebantur. Hocque ex consuetudine est Romanorum, in quorum foribus et circa limina excellentium virorum imagines erant suspensæ, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret, quæ etiam, dominis mutatis, domus ornamenta erant. Eratque hæc stimulatio summa et ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem intrare in alienum triumphum. Noster Theb. III, 580 et seq. « Arma paternis Postibus, et fixos Superum ad penetralia currus Vellere amor. Britann. »

Arma olim dimissa patrum, flammisque liquescunt
Dona Deum: raptum Superis Mars efferat aurum.
Nusquam umbræ veteres: minor Othrys, et ardua sidunt
Taygeta, exuti viderunt aera montes.
Jam natat omne nemus: cæduntur robora classi:
Silva minor remis: ferrum laxatur ad usus
Innumeros, quod rostra liget, quod muniat arma,
Belligeros quod frenet equos, quod mille catenis
Squalentes nectat tunicas, quod sanguine fumet,
Vulneraque alta bibat, quod conspirante veneno
Impellat mortes: tenuantque humentia saxa

424. *Arma patrum.* Id est, quæ majores illic suspenderant. Brit.

425. *Raptum Superis.* Ablatum ex templis. — *Efferat.* Ad opus impium et ferum parat. Britann.

426. *Umbræ veteres.* Subaudi, sunt, ut sit sensus, nusquam sunt silvæ veteres, quia succidebantur. Britann. — *Minor.* Recisa scilicet silva fabricandis navibus.—*Othrys.* Mons Thessaliam inter et Macedoniam.

427. *S. m. r. ferrum laxatur ad usus.* Reg. B exhibet, *ferrum lassatur in usus;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Taygeta.* Taygetus mons Laconiæ. — *Exuti.* Silvis scilicet. — Vide p. 436, t. I Stat. nost. Ed.

428. *Jam natat omne nemus.* Naves ex arboribus confectæ.

430. *Innumeros.* Quos numerat ipse. — *Quod rostra liget.* Id est e quo fiat munimen rostrorum navium, quæ in bellis adhibebantur. — *Muniat arma.* Id est, thoracas aliaque arma munita reddat.

431. *Belligeros quod frenet equos.* « Alia lectio est in nostris codd. quam intrudere tamen, hac ejecta, plane nolimus, *Bellator quod frenat equus.* » Barth. — *Quod mille catenis Squalentes nectat tunicas.* Periphrasis loricæ. A squamis dicitur squalor et squalens, ut scribit Gellius; *tunicas* ergo *squalentes* dicit loricas veluti quibusdam squamis ferreis confectas.

433. *Vq. a. b. quod conspirante veneno.* Codd. Lindenbrogii, *quod cum spirante.* — *Vulneraque alta bibat.* Sic Virgilius, Æn. XI, 804: « Bibit hasta cruorem. » — *Quod conspirante veneno Impellat mortes.* Periphrasis est spiculi, et sagittæ venenatæ. Sic Virg. Æn. IX, 773: « Ferrumque armare veneno: » Soliti veteres spicula et sagittas veneno inficere. Vide Aristotelem in admirandis, de Scythico veneno, quo tingebant sagittas.

434. *I. m. tenuantque humentia saxa.* Multi codd. teste Nic. Heinsio in Advers. lib. IV, cap. 3, pag. 578, *tenuant tumentia;* ille vero legit, *tenuant acuentia saxa.* — Reg. B habet, *tenuat humentia saxa;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Tenuantque humentia saxa Attritu.*

Attritu, et nigris addunt mucronibus iras.
Nec modus, aut arcus lentare, aut fundere glandes,
Aut torrere sudes, galeasque attollere conis.
Hos inter motus pigram gemit ora quietem
Thessalis, et geminis incusat fata querelis,
Quod senior Peleus, nec adhuc maturus Achilles.
Jam Pelopis terras Graiumque exhauserat orbem
Præcipitans in transtra viros insanus equosque
Bellipotens: fervent portus, et operta carinis
Stagna, suasque hiemes classis promota, suosque
Attollit fluctus: ipsum jam puppibus æquor
Deficit, et totos consumunt carbasa ventos.

Molæ enim et cotes atteruntur, dum acuuntur gladii.

435. *Nigris.* Aut mortiferis, aut, quod magis placet, nigris ante politionem. MATUR. — Ut apud Sil. Ital. Punic. VII, 344. « Arcutemque cruorem Ferro detergent, et dant mucronibus iras. » ED.

436. *Aut arcus lentare.* Id est, incurvare et flectendo facere arcus. — *Fundere glandes.* Id est, pilas plumbeas conflare, quas prisci funda jaciebant. MATURANT.

437. *Aut torrere sudes.* Palis enim adustis in bello utebantur antiqui. Virgilius Æn. VII, 524. « Stipitibus duris agitur sudibusque præustis. » Noster Theb. IV, vs. 302: « His tela sudes. » — *Conis.* Dicitur Conus pinna illa galeæ in qua cristæ defiguntur. MATURANT.

438. *Hos inter motus.* Quum universæ, inquit, Græciæ urbes ad tantum bellum summa alacritate pararentur, sola Thessalia augebatur quod Peleus esset senex, et Achilles immaturus qui ad bellum mitteretur. BRITANN. — Vide pag. 193 et 213, tom. I Stat. nost. ED.

439. *Thessalis.* Reg. B præbet, *Thessalia*; Reg. C nostram lect. ED.

441. *Pelopis terras.* Peloponnesum, a Pelope sic vocatum. — *Graium orbem.* Græciam.

442. *In transtra.* Tabulata navium in quibus stant remigantes.

443. *B. f. p. et operta carinis.* Exc. Burg. et *apta*, i. e. *apta*, vel *operta*.

444. *S. sq. h. classis promota, suosque.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *classes promota.* — *Stagna.* Aquæ. — *Suos fluctus.* Nam quum soleat ex vento hiems caveri, nunc ex tanta perturbatione maris, ex tanto numero navium tempestas agitabatur, commotis fluctibus. — *Suos.* A navibus commotos. MAT.

445. *Æquor Deficit.* Hyperbole, qua designat multitudinem navium.

446. *Consumunt.* Id est, non restat aliqua pars venti, quæ non sit accepta a velis, quasi tanta erat velorum copia, quod ventos omnes capiebant, hyperbolice. MAT. — *Totos consumunt carbasa ventos.*

Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis,
Rupibus expositis, longique crepidine dorsi
Euboicum scandens Aulis mare, litora multum
Montivagæ dilecta Deæ: juxtaque Caphareus
Latratum pelago tollens caput: ille Pelasgas
Ut vidit transnare rates, ter monte, ter undis
Intonuit, sævæque dedit præsagia noctis.
Cœtus ibi armorum Trojæ fatalis: ibi ingens
Juratur bellum, donec sol annuus omnes

Claud. VIII, de IV Cons. Hon. vs. 461. « Ionium tegitur velis, ventique laborant Tot curvare sinus » ad quem locum videsis notata nost. edit. tom. I, p. 301. Ed.

447. *Danaas.* Græcas. — *Hecateia Aulis.* Aulis portus Bœotiæ, ubi classis Græcorum primo consedisse dicitur. — *Hecateia.* Id est, Dianæ consecrata; nam in Aulide Diana habebat templum celeberrimum, multis sæculis ante Trojanam expeditionem, ut refert Plinius, exædificatum, et lucum in quo Agamemnon cervam Dianæ sacram confodit, pro qua coactus est filiam Iphigeniam illi Deæ immolare. Hecate autem eadem quæ Diana, ut jam diximus.

448. *Rupibus expositis.* Id est, prominentibus in mare, seu extra positis. — *Crepidine.* Crepido est cujuslibet scopuli sive abrupti saxi altitudo. — *Dorsi.* Superficiei. Mat.

449. *Euboicum mare.* Nam contra Bœotiam insula est Eubœa, a qua interjacens euripus vocatur *Euboicum mare.*

450. *M. d. D. juxtaque Caphareus.* Reg. B præbet *Caphereus;* Reg. C nost. lect. Ed. — *Montivagæ Deæ.* Venatrici Dianæ. — *Caphareus.* Caphareus promontorium Eubœæ insulæ, ut jam diximus, Bœotiam respiciens.

451. *Latratum.* Passive sine origine verbi. Non enim dicitur *latror.* — *Pelasgas.* Græcas.

452. *Ut vidit transnare rates, ter monte, ter undis.* *Ut vidit transire rates.* Petav. *tibi monte ter undis* Exc. Burg. — Reg. B præbet, *Ut vidit tranare rates;* Reg. C nostram lectionem. Ed. — *Ter monte, ter undis Intonuit.* Numerus tamen ternarius, et omnis impar, felix habitus.

453. *Sævæque dedit præsagia noctis.* Nam post eversam Trojam multi Græcorum redeuntes noctu perierunt inter scopulos Capharei, Nauplio ex eo faces efferente.

454. *Cœtus ibi armorum.* Fit, supple; nam cuncti duces Græciæ, veluti signo dato, uno et eodem tempore Aulida confluxerant. — *Armorum.* Pro armatorum.

455. *Juratur bellum.* Græci enim ibi juravere, se in patriam non redituros, nisi postquam Trojam evertissent. Unde illud Virgilii, Æn. IV, 426: « Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem Aulide juravi. » — *Donec sol an-*

Conficeret metas: tum primum Græcia vires
Contemplata suas: tunc sparsa ac dissona moles
In corpus vultumque coit, et rege sub uno
Disposita est: sic curva feras indago latentes
Claudit, et admotis paullatim cassibus arctat.
Illæ ignem, sonitumque pavent, diffusaque linquunt
Avia, miranturque suum decrescere montem,
Donec in angustam ceciderunt undique vallem,
Inque vicem stupuere greges, socioque timore
Mansuescunt: simul hirtus aper, simul ursa, lupusque

nuus, etc. Nam annum Græci in Aulide manserunt.

457. *Sparsa.* In varios scilicet populos ac principatus. — *Dissona.* Propter diversas linguas, Æoliam, Doricam, Atticam, et communem.

458. *In corpus vultumque coit.* In iisdem Exc. *vultumque cogit.* — *Vultumque.* Satis improprie pro capite, sed quia in vultu potior corporis forma. — *Et rege sub uno.* Agamemnone scilicet, quem supra diximus ob opes nominisque famam electum expeditionis ducem.

459. *Disposita est: sic curva feras indago latentes.* Lang. Buslid. Lipsian. plerique et Plant. *sic torva feras.* — Reg. B habet, *Deposita est;* Reg. C En. — *Curva indago.* Indago significat inquisitionem et investigationem venatorum, et seriem plagarum saltus cingentium. Statius in Leone Mansueto: Silv. II, 5, 8. « Curvaque indagine clausus. »

460. *Claudit, et admotis paullatim cassibus arctat.* In Reg. B invenitur, *paulatim classibus artat;* in Reg. C, *paulatim cassibus errat.* En. — *Admotis paullatim.* Quod paullatim in angustum redeunt feræ, ubi omnes arctatæ restrictæque capiuntur. Matth.

461. *Illæ ignem, sonitumque pavent, diffusaque linquunt. Illæ amnem, sonitumque pavent, linquuntque profunda* codd. Lind. — *Ignem, sonitumque.* Ignis in ferarum venatione adhibitus. Lucretius lib. V, 1249: « Nam fovea atque igni prius est venarier ortum, Quam sepire plagis saltum, canibusque ciere. » Hunc præcipuè Leo reformidat. Arist. Hist. lib. IX. Oppianus in Cyneg. Elephantes etiam. Ælian. de Anim lib. VII, cap. 6. Plinius lib. VIII, cap. 6. Clamore etiam et sonitu premi feras notissimum. Virgilius Georg. III, v. 413. « Ingentem clamore premes ad retia cervum. »

462. *Miranturque suum decrescere montem.* Propter indaginem, qua pressi coguntur in unum.

464. *Inque vicem.* Inque invicem Exc. Burg. — *Socioque timore Mansuescunt.* Nam timor naturalem ipsis feritatem adimit.

465. *Simul hirtus aper,* etc. Vide Ælianum Anim. lib. IV, c. 45.

Cogitur, et captos contemnit cerva leones.
Sed quanquam gemini pariter sua bella capessant
Atridæ, famamque avidi virtute paternam
Tydides Sthenelusque premant, nec cogitet annos
Antilochus, septemque Ajax umbone coruscet
Armenti reges, atque æquum mœnibus orbem,
Consiliis armisque vigil contendat Ulixes;
Omnis in absentem belli manus ardet Achillem;

466. *C. e. c. contemnit cerva leones.* Petrens. Burm. Put. et T. R. *contempsit cerva.* — Reg. B præbet hanc lect. Reg. C nostram. Ed.

467. *Sed quanquam gemini.* Reg. B habet, *Sed quanquam et gemini;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sed quanquam.* Sensus est : Quamvis Græcorum duces quisque per se virtutibus plurimum polleret, Achilles tamen ad bellum expetebatur. Hocque ad Achillis laudem spectat, sine quo Troja capi non poterat. — *Gemini.* Agamemnon et Menelaus. Britann.

469. *Tydides Sthenelusque premant.* Reg. B exhibet, *Tydides Sthenelusque premat;* Reg. C nostram. Ed. — *Tydides.* Diomedes filius Tydei ex Deipyle Adrasti filia. — *Sthenelusque.* Sthenelus Capanei ex Evadna filius, inter fortissimos duces numeratur a poetis. — *Nec cogitet annos Antilochus.* Antilochus filius Nestoris, qui admodum juvenis venit in castra Græcorum. Postea occisus fuit a Memnone, ut dicit Homerus. Ovidius tamen victum et peremtum ab Hectore tradit. Epistola Penelopes, v. 15 : « Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum; Antilochus nostri causa timoris erat. »

470. *Antilochus, septemque Ajax umbone coruscet.* Nonnulli codd. Lindenbrogii: *septenoque Ajax,* etc. — *Septemque Ajax umbone coruscet Armenti reges, atque æquum mœnibus orbem.* Ajax Telamonis filius, qui cum duodecim navibus Salaminiorum venit in bellum. — *Coruscet.* Pro coruscare faciat. — *Reges.* Id est, pelles taurorum principum, præcipuorum. Sic Noster Theb. III, v. 591. — « Clipeum vestisse juvenco. » Immoderate nimis, et hyperbolice. Unde Ajax Ovidio dicitor, « Clipei dominus septemplicis. » Amor. I, 717. — *Æquum mœnibus orbem.* Homerus de Ajace loquens : ἦλθε φέρων σάκος ἠΰτε πύργον.

472. *Consiliis armisque vigil.* Lindenbrogius legi jussit ex vet. cod. *animisque vigil.* — Reg. B præbet, *Consiliisque armisque vigil;* Reg. C, *Consiliis animisque vigil.* Ed.

473. *Ardet.* Huc usque dependet oratio, quod, quamvis omnes isti essent contra Trojam, tamen omnes desiderabant Achillem. Et est figura anacolyton. Maturant. — *Achillem.* In fatis enim erat Trojam expugnari non posse sine Achille.

Nomen Achillis amant, et in Hectora solus Achilles
Poscitur: illum unum Teucris Priamoque loquuntur
Fatalem: quis enim Hæmoniis sub vallibus alter
Creverit, effossa reptans nive? cujus ab ortu
Cruda rudimenta et teneros formaverit annos
Centaurus? patrii propior cui linea cæli?
Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes
Nereis? et pulchros ferro perstrinxerit artus?
Hæc Graiæ castris iterant, traduntque cohortes.
Cedit turba ducum, vincique haud mœsta fatetur.

474. *Hectora*. Hector, Priami filius, solus erat propugnaculum Trojæ, nec poterat nisi ab Achille vinci.

476. *Hæmoniis*. Thessalicis.

477. *C. e. reptans nive, cujus ab ortu*. Exc. Burg. *raptans nive*. — Reg. B habet, *cujus ad ortus;* Reg. C nostram. Ed. — *Effossa reptans nive*. Exordia pueritiæ Achillis describit. Sic supra, v. 111: «Nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens Thessalicæque nives.» — *Cujus ab ortu Cruda rudimenta*, etc. Vide sup vs. 111, quomodo Achilles fuerat a Chirone educatus.

478. *Cruda*. Quod antequam aptus et maturus esset, ad disciplinam data sint. Maturant.

479. *Centaurus? patrii propior cui linea cæli?* Petav. *semita cæli*. — Reg. C præbet, *proprior cui linea cæli;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Patrii propior cui linea cæli*. Commendat Achillem a genere. Achilles enim erat pronepos Jovis. — *Linea*. Hic pro recta serie cognationis ascendentium scilicet, ac descendentium. Ita etiam hanc vocem usurpat Statius Silv. III, 3, 44. «Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis Linea, nec proavis demissum stemma.»

480. *Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes*. Exc. Burg. *a Stygios tulerit secretius amnes*. Aldd. Colin. et Basil. *ad Stygios*, improbante Barthio. — *Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes Nereis*. Vide supra.

481. *Nereis*. Thetis filia Nerei. — *Ferro perstrinxerit artus*. Respexit, ut ait Britannicus, morem lavantium se in balneis, qui strigilibus utebantur ad sudorem detergendum. — *Perstrinxerit*. Deraserit; nam *stringere* est radere, ut ait Marcellus. Plinius Junior de Balneis loquens sic scribit de avunculo lib. III, Epist. 5, 14: «Dum destringitur, raditurque, audiebat aliquid aut dictabat.» Ex Pergamo mitti strigiles refert: Martialis lib. XIV, 51, 11 «Pergamus has misit curvo distringere ferro.» Maturantius autem legit *præstruxerit*, et interpretatur *præmuniverit*. — *Ferro*. Dandi casu, id est, contra ferrum, ut esset inviolabilis ferro. Quod secutus sum.

483. *Cedit turba ducum*. Quamvis, inquit, ducibus turpe videtur ab uno Achille superari, æquo ta-

Sic quum bellantes Phlegræa in castra coirent
Cælicolæ, jamque Odrysiam Gradivus in hastam
Surgeret, et Libycos Tritonia tolleret angues,
Ingentemque manu curvaret Delius arcum;
Stabat anhela metu solum Natura Tonantem

men animo rem ferebant, ejus virtuti minime invidentes. Britann.

484. *Sic quum bellantes Phlegræa in castra coirent.* Reg. B habet, *pallentes;* Reg. C nostr. lect. Ed. — *Phlegræa in castra.* Vide Theb. II, 595. Innuit Poeta pugnam Deorum cum gigantibus in loco Phlegra dicto. — *Phlegræa in castra.* Phlegram et Phlegræos campos alii in Chersoneso Macedonica ad Sinum Thermaicum, alii in agro Cumano Italiæ, ignibus subterraneis exusto et cum hoc adeo bellum Giganteum ponunt. Opinio, qua campi Phlegræi in Italia ponuntur, hoc præcipue confirmari videtur, quod Diodorus Sicul. ait Jovem in Italia circa Cumas pugnasse cum gigantibus. Hæc deprompsi e notatis ad vers. 42. Lucil. Jun. Ætnæ, Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. III, p. 86. De his castris Phlegræis ampliora si legere velis, adi nost. Claudian. tom. II, pagg. 94 et 95. Ed.

485. *Odrysiam.* Thraciam; Odrysii enim gens Thracia.

486. *Libycos.* Gorgoneos et Medusæos, nam Gorgades, auctore Pomponio Mela, insulæ sunt in Oceano Æthiopico, ubi tres sorores cognominatæ Gorgones regnasse dicuntur, Euryale, Sthenio, et Medusa, quæ miræ fuisse pulchritudinis produntur. Medusam tradunt circa litora solam ambulantem amatam fuisse a Neptuno, quæ quum illam persequeretur Neptunus, jam fessa in templum Palladis refugit; in quo ardens Deus illam compressit. Unde turbata Minerva crines ejus mutavit in angues, quia Neptuno per capillos maxime placuerat, fecitque ut omnes Medusam adspicientes in lapides converterentur. — *Tritonia.* Dicta est, auctore Herodoto, a Tritonide palude Libyæ, juxta quam temporibus Ogygis regis apparuisse virginali ætate fertur, ex cujus nomine et ipsa Tritonia dicta est. Ut autem tradit Diodorus, nomen accepit a Tritone fonte Cretæ, juxta quem ortam esse ex Jove fabulantur, et nunc quoque eum fontem ubi nata est huic Deæ consecratum. — *Angues.* Id est, ægida; nam ægis munimentum est pectoris æreum habens in medio Gorgonis caput, quod munimentum, si in pectore numinis fuerit, ægis vocatur, si vero in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis fuit, lorica dicitur; unde Martialis Epig.: « Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari: Pectore quum sacro sederit, ægis erit. » VII, 1, 3. Britann. — *Libycos.* Medusæos sive Gorgoneos. Vide supra vs. 300. (Ubi confer. not. nost. edit. Tom. pag. 96. Ed.)

487. *Delius.* Apollo, a Delo insula ubi natus est. Britann.

488. *Natura.* Omnium rerum creatrix et parens. Britann.

Respiciens; quando ille hiemes tonitrusque vocaret
Nubibus, igniferam quæ fulmina posceret Ætnam.
Atque ibi dum mixta vallati plebe suorum
Et maris et belli consultant tempora reges,
Increpitans magno vatem Calchanta tumultu,
Protesilaus ait : (namque huic bellare cupido

489. *Quando.* Forte rectius *quas.*

490. *N. i. quæ fulmina posceret Ætnam*: Reg. B præbet, *quod fulmina posceret Ætnen;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Igniferam quæ fulmina posceret Ætnam.* Nam in Ætna monte Siciliæ flammas evomente dicuntur Cyclopes fulmina Jovi fabricare.

492. *Consultant tempora.* Id est, consilium capiunt de tempore et navigationis et belli gerendi. Britt.

493. *Calchanta.* Calchas Trojanus, Thestoris filius, augur maximus, qui quum circa initia Trojani belli ad consulendum oraculum Delphos missus esset a Trojanis, responsumque accepisset, ut, relictis Trojanis, adhæreret Græcis, ad eos descivit; et quoniam divinandi arte plurimum polleret, ejus consiliis multa gesta sunt. Quum enim in Aulide classis Græcorum adversos ventos haberet, et pestilentia laboraret exercitus, docuit Agamemnonem rationem Dianæ mitigandæ. Et ex serpentis augurio, qui decem pullos passeris una cum matre devoraverat, decimo tandem anno Ilium expugnatum iri divinavit. Orta deinde gravi pestilentia in castris Græcorum ob denegatam patri Cryseidem, viam ostendit qua placari posset Apollo. Quamobrem apud cæteros duces, præcipue vero apud Achillem, in maximo pretio habitus fuit, adeo ut ejus præsidio plerumque defenderetur, maxime vero quum reddendam Cryseidem persuaderet. Capta demum ac eversa Troja, tradit Hesiodus eum terrestri itinere Colophonem pervenisse, atque ibi invenisse Mopsum celeberrimum vatem, ac artis peritia Calchantem ab eo victum mœrore mortuum esse, quod proposita sibi a Mopso caprifico, ut refert Hesiodus, vel ut Pherecides mavult, sue gravida, dicere non potuisset, quot in illa ficus essent, quotve hæc utero suculas gestaret : quod tamen Mopsus sine ullo errore divinavit. De Calchante vide plura apud Homerum Iliad. I.—*Magno tumultu.* Vi et verbis mixtis. Alludit ad illa Maronis, Æn. II, 122. « Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu Protrahit in medios.

494. *Protesilaus ait.* Reg. B exhibet, *Protesilaus agit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Protesilaus.* Protesilaus Iphicli filius, unus e præcipuis Græcorum, qui, contemtis omnibus oraculis, quibus sibi primo pereundum esse in bello Trojano si eo iret, prædiceretur, tantæ expeditioni deesse noluit, ac una cum cæteris ducibus eo profectus est : verum quum primus e navi in terram egressus fuisset, et in Hectorem incidisset, primus etiam omnium Græcorum ab illo occisus est : unde sequenti versu dicit Poeta, « et primæ jam tunc data copia mortis. »

Præcipua, et primæ jam tunc data copia mortis :)
« O nimium Phœbi, tripodumque oblite tuorum,
Thestoride! quando ora Deo possessa movebis
Justius? aut quando Parcarum occulta recludes?
Cernis, ut ignotum cuncti stupeantque petantque
Æaciden? sordet vulgo Calydonius heros,
Et magno genitus Telamone, Ajaxque secundus,
Nos quoque : sed Mavors abreptaque Troja probabunt.
Illum, neglectis, pudet heu! ductoribus, omnes
Belligerum ceu numen amant : dic ocius (aut cur

495. *P. e. p. j. t. data copia mortis.* Put. *data gloria mortis.* — Reg. B præbet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Primæ mortis.* Quod ita fatum, quod primus ingressus contra Trojam primo moreretur. Matur.

496. *Tripodum.* Vide quæ diximus ad Theb. I, 509.

497. *Thestoride.* O fili Thestoris.

498. *Justius? aut quando Parcarum arcana recludes?* Reg. B habet, *Justius aut quianam;* Reg. C, *Justius aut quænam.* Ed.

499. *Cernis, ut ignotum cuncti stupeantque petantque.* Exc. Burg. et Put. *stupeantque premantque.* — Reg. C habet hanc lect. Reg. B, *C. u. ignotum cunctis stupeantque premantque.* Ed.

500. *Æaciden? sordet vulgo Calydonius heros.* Reg. B habet, *sordent;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sordet.* Nullo propemodum in pretio est in comparationem Achillis. — *Heros Calydonius.* Id est Diomedes Tydei filius, a Calydone, civitate Ætoliæ, ubi regnavit, denominatus, qui una cum Sthenelo ad bellum venit cum navibus octoginta.

501. *Magno genitus Telamone.* Ajax filius Telamonis. — *Ajaxque secundus.* Ajax Oilei filius, qui minor Ajace Telamonio fuit viribus ac robore corporis, ac etiam ætate, oriundus erat e Locride regione: cum quadraginta navibus in bellum venit. Fuisse hunc miræ pernicitatis, et vibrandæ utendæque lanceæ inter omnes Græcos facile fuisse principem, Homerus testatur. Hic postea quum Cassandræ vim intulisset in templo Minervæ, ab ipsa in mari fulmine fuit percussus. De eo Virgilius, Æn. I, 41 : « Unius ob noxam, et furias Ajacis Oilei. »

502. *N. q. s. M. abreptaque Troja probabunt.* *Troja probabit* Petav. — Reg. B habet, *et Troja abrepta probabunt;* Reg. C eamdem lect. Ed. — *Nos quoque.* Supple, sordemus. — *Sed Mavors abreptaque Troja probabunt.* Me non esse Achilli inferiorem. — *Abrepta,* expugnata.

504. *Aut cur serta comis.* Nam vatis caput lauro præcinctum erat. Est enim laurus Apollini consecrata. Sensus est igitur : Cur ergo omnia vatum ornamenta geris, si prædicere non vis quæ quærimus? per parenthesim enim leguntur. Est enim ordo : Dic ocius quibus oris abditus sit, id est, absconditus.

Serta comis et mitis honos?) quibus abditus oris,
Quave jubes tellure peti : nam fama, nec antris
Chironis, patria nec degere Peleos aula.
Eia, irrumpe Deos, et fata latentia laxa,
Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri :
Arma horrenda tibi sævosque remisimus enses.
Nunquam has imbelles galea violabere vittas :
Sis felix, numeroque ducum præstantior omni,
Si magnum Danais per te portendis Achillem. »
  Jamdudum trepido circumfert lumina motu,
Intrantemque Deum primo pallore fatetur

505. *Serta comis et mitis honos.* Regg. B et C *et multus honos* exhibent. Eo. — *Mitis.* Alii, *Mutus.* Id est, officio suo non fungens.

506. *Quave jubes tellure peti.* Reg. B habet, *quave juves tellure peti.* Eo.

507. *Peleos.* Genitivus Græcus.

508. *Eia, irrumpe Deos, et fata latentia laxa. Eia rumpe Deos* Exc. Burg. et Put. *Latentia vexa* Put. et Venett. — Reg B habet, *Heia, irrumpe Deos, et fata latentia vexa ;* Reg. C, *Eia, rumpe moras, et fata latentia laxa.* Eo. — *Eia, irrumpe Deos.* Theb. III, v. 663 : « Quid me Persei secreta ad culmina montis Ire gradu trepido, Superumque irrumpere cœtus, Egistis ? » Silius Italicus lib. I, v. 123 : « Ast ubi quæsitas artis de more vetusto Intravit mentes Superum. » Noster Theb. III, v. 550 : « Cœlo mentem insertasse. »

509. *Laurigeros.* Id est, Apollineos. — *Ignes.* Furores. Vel respicit ad id quod infra dicit, v. 520 : « Thuriferas modo consulit anxius aras, Flammarumque apices rapit. » Nam, ut observavimus ad III Theb. erat quædam ars divinandi verum ex fumo aræ, et vocabatur καπνομαντεία. Sic Theb. X, v. 598, loqueos Poeta de Tiresia ait : « Ille coronatos jam pridem amplectitur ignes Fatidicum sorbeos vultu flagrante vaporem. » — *Si quando.* Subaudi, cupide hausisti. — *Avidissimus hauri.* Id est, concipe.

510. *Arma horrenda tibi*, etc. Hinc apparet nullos immunes a bello apud Græcos, non ipsos etiam sacerdotes.

511. *Imbelles.* Non convenientes, non aptas bello. Britann. — *Violabere vittas.* More Græco accusativum posuit. Id est, nunquam violabuntur vittæ tuæ a galea.

512. *Sis felix, numeroque*, etc. Reg. B habet, *Sed felix ;* Reg. C nostram lect. En.

514. *Jamdudum trepido*, etc. Hanc mutationem efficit in vatibus ἐνθουσιασμός.

515. *Deum.* Apollinem. — *Intrantemque Deum.* Deus dicitur intrare, ot iosidere, irrumpere (Nost. Theb. X, 341 ; Lucan. V, 167.) *possidere, implere, inhabitare, incolere* vatem. Sil. Italic. Punic. III,

Thestorides : mox igne genas et sanguine torquens
Nec socios, nec castra videt, sed cæcus et amens
Nunc Superum magnos deprendit in æthere cœtus,
Nunc sagas affatur aves, nunc dira sororum
Licia, thuriferas modo consulit anxius aras,
Flammarumque apices rapit, et caligine sacra
Pascitur : exsiliunt crines, rigidisque laborat
Vitta comis, nec colla loco, nec in ordine gressus.
  Tandem fessa tremens longis mugitibus ora
Solvit, et oppositum vox eluctata furorem est :

697 : « Ecce intrat subitus vatem Deus. » Ed.

516. *Thestorides*. Calchas Thestoris filius. — *Genas*. Hanc vocem sæpius usurpat Papinius pro oculis.

517. *N. s. n. c. v. sed cæcus et amens*. Regg. B et C præbent, *sed cæcus et absens*. Ed.

518. *N. s. m. deprendit in æthere cœtus*. Exc. Burg. *deprendit in pectore.—Deprendit*. Quum Apolline plenus esset, omnia hæc videbat, nunc cœtus Deum in aere. Matua.

519. *Nunc sagas affatur aves, nunc dira sororum*. Regg. B et C præbent, *Nunc sagax affatur aves, nunc dura sororum*. — *Sagas*. E quibus præsagia capiuntur per auspicium. — *Dira Licia*. Id est, ipsas Parcas et umbras Stygias. Matua.

520. *Thuriferas modo consulis anxius aras*. Sic Theb. IV, 412 : « Thurea nec supra volitante altaria fumo. » Et intelligit, ut jam diximus, καπνομαντείαν, seu vaticinationem ex fumo thuris supra aras.

521. *Flammarumque apices rapit*. Reg. B habet, *Flammarumque apicem rapit;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Flammarumque apices*. Vide supra vs. 505. — *Et caligine sacra Pascitur*. Nam etsi oculis non cerneret, cernebat tamen mente; nam tunc videbat Thetidem filium asportantem, et occultantem in Scyro, tanquam esset præsens. Sic Theb. de Amphiarao lib. III, v. 498 : « Et immensi fruitur caligine mundi. »

522. *Exsiliunt crines, rigidisque laborat Vitta comis*. Noster Theb. X, v. 600 : « Stant tristes horrore comæ, vittasque trementes Cæsaries insana levat. » Virgilius, Æn. VI, 48 : « Non comtæ mansere comæ. »

523. *V. c. n. c. l. nec in ordine gressus*. Venett. *in ordine crines*. — *Loco*. Quum nutarent huc illuc.

524. *Mugitibus*. Quia vates non videbantur ipsi loqui, sed alii intrasse majori voce, quam humana, unde Virg. Æn. IV, 510. « Ter centum tonat ore Deos, » tonat, dixit. Maturant. — *Tandem fessa tremens*, etc. De hoc loco conf. notata ad Avien. Descript. Orbis Terræ, vers. 317, Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. V, pag. 161. Ed.

525. *Oppositum*. Quia nimio furore lingua loqui impeditur, et accidit ut nimia iracundia quis nequeat loqui. Maturant.

« Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum
Femineis, Nerei, dolis? huc mitte: quid aufers?
Non patiar: meus iste, meus: tu Diva profundi,
Et me Phœbus agit: latebris quibus addere tentas
Eversorem Asiæ? video per Cycladas altas
Attonitam, et turpi quærentem litora furto.
Occidimus: placuit Lycomedis conscia tellus.
O scelus! en fluxæ veniunt in pectora vestes.
Scinde, puer, scinde, et timidæ ne crede parenti.
Hei mihi, raptus abit! quænam hæc procul improba virgo? »
Hic nutante gradu stetit, amissique furoris
Viribus ante ipsas tremefactus corruit aras.
Tunc hærentem Ithacum Calydonius occupat heros:

526. *Q. r. i. m. Chironis alumnum*. Achillem.

527. *Nerei*. Thetis.

528. *Meus iste, meus*. Fatis scilicet mihi debetur et Græciæ. — *Tu Diva profundi*, etc. Hoc dicit, quasi petat veniam a Thetide, quod prodat ejus fraudes et arcana; sed sibi ignosci petit, quia a Deo rapitur, cui resistere non potest.

530. *Eversorem Asiæ*. In fatis enim erat, ut jam supra diximus, Trojam expugnari non posse sine Achille. — *Cycladas*. Vide supra.

532. *Occidimus*. Ingemiscit Achillem occultari inter mulieres femineo habitu. — *Lycomedis conscia tellus*. Scyros insula. — *Conscia*. Quasi illa insula novisset occultatum Achillem.

533. *Et fluxæ veniunt in pectora vestes*. Respexit ad illud supra vs. 326: « Injecitque sinus. » Nam vestes muliebres fluxæ sunt, ac sinuosæ. Lucan. VIII, 366: « Emollit gentes clementia cæli, Illic et laxas vestes et fluxa virorum Velamenta vides. » Confer verba Achillis in Parthenone vs. 7; Poet. Lat. Min. nost. edit. t. III, p. 548. Ed.

534. *S. p. s. e. t. ne crede parenti*. Codd. Lindenbrogii: *cede parenti*. — *Scinde, puer*, etc. Quasi alloquatur præsentem Achillem, illum hortatur, ut scindat ignominiosas vestes.

535. *H. m. r. a. quænam hæc procul improba virgo?* In iisdem Lindenbr. codd. *hæc est improba virgo*. — *Hei mihi, raptus abit*. Dolet quod Achilles amore Deidamiæ illectus tandem succumbat, et obliviscatur se virum esse. — *Quænam hæc procul improba virgo*. Deidamia, quæ sua pulchritudine causa erat, cur Achilles latere non recusaret.

536. *Hic nutante gradu stetit, amissique furoris*. Reg. B habet, *amissisque furoris*; Reg. C, *amissisque furore*. Ed.

537. *Corruit*. Recedente spiritu quo sustinebatur.

538. *Hærentem*. Mente cogitan-

« Nosvocat iste labor: neque enim comes ire recuso,
Si te cura trahit: licet ille sonantibus antris
Tethyos adversæ gremioque prematur aquoso
Nereos, invenies: tu tantum providus astu
Tende animum vigilem, fœcundumque erige pectus:
Nam mihi quis vatum dubiis in casibus ausit
Fata videre prior? » Subicit gavisus Ulixes:
« Sic Deus omnipotens firmet, sic annuat illa
Virgo paterna tibi: sed me spes lubrica tardat:
Grande equidem armatum castris inducere Achillem.
Sed si fata negent, quam fœdum ac triste reverti!

tem. — *Ithacum*. Ulyxem. — *Calydonius heros*. Id est, Diomedes, ex Calydone, civitâte Ætoliæ. Brit.

539. *N. v. i. l. neque enim comes ire recuso*. Reg. B habet, *comes ire recusem;* Reg. C nostram lect. Ed.—*Comes*. Sic inducitur ab Homero.

540. *Si te cura trahit*. Regg. B et C præbent, *si tua cura trahat*. Ed. — *Si te cura trahit*. Melius scripta: *Si tua cura trahit*. Tuum consilium, res a te suscipienda et gerenda.

541. *Tethyos adversæ gremioque prematur aquoso*. Reg. B præbet, *Tethyos aversæ gremioque prematur aquosi;* Reg. C eamdem lect. Ed. — *Adversæ*. Non *iratæ nobis*, ut habet Scholiastes, sed accipiendum ut Theb. VIII, 358: « Qualis ubi adversi secretus pabula cæli Nilus, et Eoas magno bibit ore pruinas. » Sic enim plures, et meliores, non *aversi*, ut vulgata. Polum Autarcticum intelligit, et bene Lactantius: *adversi*, meridiani. *Tethys* autem, genitivo *Tethyos*, uxor Oceani.

542. *Nereos*. Nereus erat pater Thetidis.

543 *Fœcundumque erige pectus*. Virgilius Æn. VII, 338: « fœcundum concute pectus. » *Fœcundum* vero ubi multa sunt consilia.

544. *Nam mihi quis vatum*. Reg. B habet, *Non mihi;* Reg. C, *Nam mihi quis v. d. i. c. addit*. Ed. — *Quis vatum*. Bene ab ea re hominem commendat, quam cupit exhiberi, id est, ut industriam suam ostendat. Sensus est: Reperieturne aliquis vates qui in casibus dubiis cognoscendis sit te melior?

546. *Sic Deus omnipotens firmet, sic annuat illa*. Edd. vett. punctum habent post *firmet*.

547. *Virgo paterna*. Minerva, quam Theb. VIII, videmus semper comitantem in acie Tydea, ipsique faventem in omnibus.

548. *Grande equidem armatum castris inducere Achillem*. *Grande quid armatum* Petreus. *Grande quidem* Burm. et Exc. Burg. *Educere Achillem* Put. — Reg. B habet, *Grandem equidem armatum;* Reg. C nostram lect. Ed.

Vota tamen Danaum non intentata relinquam.
Jamque adeo aut aderit mecum Peleius heros,
Aut verum penitus latet, et sine Apolline Calchas. »
  Conclamant Danai, stimulatque Agamemno volentes:
Laxantur cœtus, resolutaque murmure læto
Agmina discedunt: quales jam nocte propinqua
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.
Nec mora, jam dextras Ithacesia carbasus auras
Poscit, et in remis hilaris sedere juventus.
  At procul occultum falsi sub imagine sexus
Æaciden furto jam noverat una latentem
Deidamia virum: sed opertæ conscia culpæ
Cuncta pavet, tacitasque putat sentire sorores.
Namque ut virgineo stetit agmine clarus Achilles,

550. *Danaum*. Græcorum, scil.

551. *Peleius heros*. Achilles Pelei filius.

553. *Agamemno*. Nominativus Latinus. Quæ Græci in *on* Latini in *o* ponunt. — *Volentes*. Ulyxem et Diomedem.

556. *E pastu referuntur apes. E pastu referuntur aves* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc.— Regg. B et C habent hanc lect. Ed.

557. *Hybla*. Hybla mons Siciliæ, thymi copia, et salicum, abundans apibus, una cum oppido ejusdem nominis: ut Hymettus in Attica.

558. *Ithacesia*. Ulyxis.

559. *Poscit, et in remis hilaris sedere juventus*. Reg. B habet, *et in remis hilares sedere juventus;* Reg. C nostram lect. Ed. — *In remis juventus*. Sunt juvenes remiges, vel remos manibus tenentes et moventes. Sic Theb. IV, v. 805: « sic Ambracii per litora ponti Nauticus in remis juvenum monstrante magistro Fit sonus. » Valerius Flaccus lib. V, 349: « In vittis geminæ cum lumine tædæ Colchis. »

561. *Furto*. Id est, furtivo concubitu.

562. *Deidamia virum*. Reg. B præbet, *Deidamea virum;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sed opertæ conscia culpæ Cuncta pavet, tacitasque putat sentire sorores*. Mire expressit, quod fit in animo hominum post commissum crimen: timent omnia, et putant alios scire quod fecerint, sed dissimulare.

564. *Namque ut virgineo stetit agmine clarus Achilles*. Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *stetit in grege clarus;* Exc. Burg. et Put. *stetit agmine durus;* et hic *durus* nihil aliud est quam *clarus;* coaluere enim literæ *c* et *l*.— Regg. B et C præbent, *stetit in grege durus Achilles*.

Exsolvitque rudem genitrix digressa pudorem,
Protinus elegit comitem, quanquam omnis in illum
Turba coit, blandeque novas nil tale timenti
Admovet insidias: illam sequiturque, premitque
Improbus: illam oculis iterumque iterumque resumit.
Nunc nimius lateri non evitantis adhæret:
Nunc levibus sertis, lapsis nunc sponte canistris,
Nunc thyrso parcente ferit: modo dulcia notæ
Fila lyræ, tenuesque modos, et carmina monstrat
Chironis, ducitque manum, digitosque sonanti
Infringit citharæ: nunc occupat ora canentis,
Et ligat amplexus, et mille per oscula laudat.
Illa libens discit, quo vertice Pelion, et quis
Æacides, puerique auditum nomen et actus
Assidue stupet, et præsentem cantat Achillem.
Ipsa quoque et validos proferre modestius artus,

565. *Exsolvitque*. Rnpit pudorem in Achille, id est, postquam fecit ut Achilles pudorem deponeret. — *Rudem*. Novum et primum, quem antea in nulla alia muliere amiserat. BRITANN.

566. *Comitem*. Deidamiam.

569. *I. i. o. iq. iterumque resumit*. Exc. Burg. *iterumque revisit*. — *Resumit*. Morem amantium mire exprimit, quorum oeuli visu amicæ satiari non possunt.

570. *Nunc nimius lateri non evitantis adhæret*. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *non evitantis inhæret*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C eamdem; sed in Reg. C versus ille alium oeeupat loeum et reperitur post versum nostrum 575. Ed.

571. *Sertis*. Jaeiendo in eam serta et eanistros, et thyrsos, leviter tamen. — *Lapsis nunc sponte canistris*. Tanquam casu lapsi essent.

572. *Thyrso parcente*. Ita, inquit, librato ietu percutiebat, ut non nimis cæderet.

574. *C. dq. m. digitosque sonanti*. Put. *digitosque sonantis*. — Reg. B habet hanc leet. Reg. C nostram. Ed. — *Ducitque manum*. Supple puellæ.

575. *Infringit citharæ*. *Infigit citharæ* Petrens. *Insertat citharæ* codex Heinsii, ut Theb. IV, « Citharæque manus insertat Apollo. » — *Occupat*. Oseulo scilieet.

576. *Et ligat amplexus*. *Et ligat amplexu* Fr. Modius.

577. *Quo vertice Pelion*. Id est, quam sit altus Pelion.

579. *A. s. e. p. cantat Achillem*. Lang. Buslid. Dan. et Venett. *laudat Achillem*.

580. *Ipsa quoque*. Nunc contra ostendit a Deidamia Achillem instruetum ad opera muliebria. —

Et tenuare rudes attrito pollice lanas
Demonstrat, reficitque colos, et perdita dura
Pensa manu; vocisque sonum, pondusque tenentis,
Quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
Figat, et in verbis intempestivus anhelet,
Miratur: jam jamque dolos aperire parantem
Virginea levitate fugit, prohibetque fateri.
Sic sub matre Rhea juvenis regnator Olympi
Oscula securæ dabat insidiosa sorori
Frater adhuc, medii donec reverentia cessit
Sanguinis, et veros germana expavit amores.
Tandem detecti timidæ Nereidos astus.
Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi

Validos proferre. Id est artus prævalidos, præpositionem enim detractam nomini addidit verbo. Barr.

582. *D. rq.* c. *et perdita dura*. Reg. B habet, *et perfida durat;* Reg. C nostram lect. Ed.

583. *Sonum*. Quod viri, non mulieris esset vox. — *Pondus*. Vires; nam interdum, dum Achilles eam stringeret amplexando, videbatur sentire vires non muliebres.

584. *Quodque fugit comites*. Omnia hæc certa indicia amoris.—*Sese Figat*. Deidamiam nimium respiciendo.

585. *Intempestivus*. Quod medio sermone suspiraret, quod ex amore erat, hæc omnia miratur. Mat.

586. *Miratur: jamjamque dolos aperire parantem*. Reg. B habet, *jamjamque dolos aperire parentem*. Reg. C nostram. lect. Ed. — *Dolos aperire parantem* (*volentem*). Volentem se detegere.

587. *Prohibetque fateri*. Fugiendo enim nihil loci relinquebat Achilli ad se detegendum.

588. *Sub matre Rhea*. Id est, quum adhuc Juppiter et Juno educarentur sub matris imperio.

589. *Securæ*. Nihil tale a fratre timenti. — *Sorori*. Junoni.

590. *Frater adhuc*. Tantum frater, et nondum conjux.

591. *Et veros* (*versos*). Bernartius legit *veros* ex vetusto codice. Similis fere locus apud Nostrum Theb. X, v. 61 et sqq. « Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis, Expers connubii, et timide positura sororem, Lumine demisso pueri Jovis oscula libat Simplex, et nondum furtis offensa mariti. »

592. *Nereidos*. Thetidos Nerei filiæ. — *Timidæ*. Omnia paventis tandem matris suæ dolos revelat Deidamiæ Achilles.

593. *Lucus Agenorei*. Describit locum in quo primum Deidamia stuprum est passa. — *Orgia*. Sacrificia, orgia Græce, Latine cerimoniæ dicuntur. — *Agenorei Bacchi*. Quia Bacchus trahebat originem ab Agenore rege Tyri; nam Semele, mater Bacchi, filia erat Cadmi, qui erat filius Agenoris.

Stabat, et admissum cælo nemus: hujus in umbra
Alternum revocare piæ Trieterica matres
Consuerant, scissumque pecus, terraque revulsas
Ferre trabes, gratosque Deo præstare furores.
Lex procul ire mares: iterat præcepta verendus

594. *Stabat, et admissum cælo nemus.* « Barde faciunt, qui malunt *admistum;* illud enim est in scriptis, et longe ποιητικώτερον. »

595. *Alternum revocare piæ Trieterica matres.* Quidam Codices: *Alternæ renovare.* Fortasse scribendum: *Alternam revocare piæ Trieterida matres.* Solet enim Papinius *Trieterida* dicere pro trietericis. Theb. IV, 722: « et atra sacrum recolit trieteris Ophelten. » Lib. VII, 93: « Da, parve, tuum trieteride multa Instaurare diem. » Lib. IX, 480: « quum Bacchica mugit Buxus, et iusanæ maculant trieterida matres. » Silius, lib. IV, 776, « Edonis ut Pangæa super trieteride mota It juga, et inclusum suspirat pectore Bacchum. » *Trieterica* vero, seu *Trieteris* dicitur sacrum, quod tertio quoque anno celebratur, ut orgia Bacchi. — Reg. B habet, *Alternam renovare piæ trietyrida matres;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Trieterica.* Sacra erant Bacchi, ita denominata, quod quum Bacchus in Indiam cum exercitu transisset, triennio post multis cum spoliis in Bœotiam rediit, primus omnium triumphans elephanto Indico vectus. Unde Bœotii cæterique Græci, Thraces quoque, in memoriam expeditionis ludicæ sacra Trieterica ei instituerunt, unde in multis Græciæ urbibus tertio quoque anno mulieres conveniunt, apud quos de more virgines thyrsum ferunt in honorem Dei Bacchantes, eique per cœtus sacrificantes hymnos et cantus renovant.

596. *Consuerant, scissumque pecus.* Put. *spissumque pecus;* alius Lindenbrogii codex: *sacrumque pecus.* — Reg. B habet, *spissumque pecus;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Scissumque pecus, terraque revulsas Ferre trabes.* Furentes enim Bacchæ pecora laniabant, vellebantque arbores. Sic lib. IV, 659, in descriptione exercitus Bacchi, Poeta inquit: « Post exultantes spolia armentalia portant, Seminecesque lupos, scissasque Mimallones ursas. » — *Scissumque pecus.* Utrum tympana quæ ex pellibus conficiuntur? Nam tibiis, tympanis, tintinnabulisque sacrificia Bacchi celebrantur, unde inferius, « Bacchæaque terga, mitrasque Huc tuleris, » id est tympana, an nebridas intelligit: nam pellibus cervorum incinctæ mulieres sacra peragebant, quod ideo faciebant, ne, ut scribit Plinius, dormientes supra eas serpentium accessus timerent. Brit.

597. *Deo.* Baccho. — *Furores.* Nam furiis agitatæ ferebantur, unde Mænades dictæ sunt a *μαίνομαι* verbo Græco, quod significat *furo.*

598. *Lex procul ire mares.* Reg. C habet, *Rex procul ire mares;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Lex procul ire mares.* Solæ enim mulieres hæc sacra celebrabant, iisque interesse sub gravibus pœnis mares

Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum.
Nec satis est : stat fine dato metuenda sacerdos,
Exploratque aditus, ne quis temerator oberret
Agmine femineo : tacitus subrisit Achilles.
Illum, virgineæ ducentem signa catervæ,
Magnaque difficili solventem brachia motu,
(Et sexus pariter decet, et mendacia matris),
Mirantur comites : nec jam pulcherrima turbæ
Deidamia suæ, tantumque admota superbo
Vincitur Æacide, quantum premit ipsa sorores.
Ut vero a tereti demisit nebrida collo,
Errantesque sinus hedera collegit, et alte
Cinxit purpureis flaventia tempora vittis,

prohibebantur. — *Verendus ductor.* Lycomedes.

599. *Ductor, inaccessumque viris educitur antrum.* Put. *educitur antrum.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C, *Auctor, inaccessumque viris indicitur antrum;* et supra correctum, *edicitur.* Ed.

601. *Oberret.* Ut fecit Publius Clodius in sacris Bonæ Deæ, qui, Pompeiæ uxoris Cæsaris amore captus, muliebri veste domum Cæsaris, dum per noctem sacrificia fiebant, ingressus est, et detectus sacra disturbavit.

602. *A. f. tacitus subrisit Achilles.* Reg. B habet, *tacitus sibi risit Achillis;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Subrisit Achilles.* Quod sacerdos eum tanquam feminam sineret intrare.

604. *Mq. d. solventem brachia motu.* Unus Barthii : *volventem brachia motu;* Petav. aliusque Lindenbrogii codex : *brachia nexu.* — *Difficili.* Tardo, pudico, ut virginem decet.

605. *Et mendacia matris.* Vestis muliebris, ornatus, gestus, ex præceptis Thetidis.

607. *Tantumque admota superbo Vincitur Æacide, quantum premit ipsa sorores. Premit,* id est, superat. De hac locutione vide notata ad versum 46 Æmil. Mag. Arb. ad Nympham, etc. Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. II, p. 275. Ed.

609. *Ut vero a tereti.* Reg. B habet, *Ut vero e tereti;* Reg. C, *Ut vero et tereti.* Ed. — *Demisit.* Deorsum misit, ne impediret eum jaculantem. — *Nebrida.* Pellem cervi, quam ferebant, quam Plinius dicit hoc efficere, ne dormientes supra eam serpentum accessum timeant : νεβρὸς, *hinnulum*, sive *pullum cervi*, significat. Maturant. Vide p. 279, tom. I Stat. nost. Ed.

610. *Sinus.* Demissæ nebridis, ut quando exertam manicam ludentes pila cingunt zona, ne impediantur. Maturant. — *Hedera.* Quæ Baccho dicata est.

611. *C. p. flaventia tempora vittis.* Petav. *pallentia tempora.*

Vibravitque gravi redimitum missile dextra;
Attonito stat turba metu, sacrisque relictis
Illum ambire libet, pronosque attollere vultus.
Talis, ubi ad Thebas vultumque animumque remisit
Evius, et patrio satiavit pectora luxu;
Serta comis, mitramque levat, thyrsumque virentem
Armat, et hostiles invisit fortior Indos.
Scandebat roseo medii fastigia cæli
Luna jugo, totis ubi somnus inertior alis
Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.
Consedere chori, paullumque exercita pulsu

612. *Redimitum.* Hedera et pampino.

614. *Pronosque.* Id est, demissos, ut virgineos.

615. *Thebas.* Intelligit Bœotias, quæ patria Bacchi.

616. *Evius, et patrio. Evius et multo* Lang. Laur. et Lipsian. — *Evius.* Bacchus. Nam plurima ei cognomina ab rebus quas egit, sunt ab hominibus indita: Bacchum enim alii a mulieribus, quæ Bacchantes illum sequebantur, dixere, alii a torculari quo vinum exprimitur Lenæum. Quidam Bromium a tonitru, qui in ejus ortu contingit. Triumphator etiam appellatur, quod primus (ut dictum est) omnium de Indis elephanto invectus triumphaverit. Evius insuper cognominatus est, quod quum in bello giganteo dilaniatus a gigantibus (ut scribit Orpheus) fuisset, Juppiter eum quærens magnis clamoribus et lamentationibus ita appellabat: Evoe, id est, bone fili. Nam εὖ, *bene*, υἱὸς Græce, *filium* sonat Latine. Britannic.

617. *Mitramque.* Hinc Bacchus μιτροφόρος dictus est. Mitra autem redimiculum Bacchi, et ejus mystarum. Hæc vox significat vinculum, fasciolamve. Est ubi pro cingulo sumatur. Itaque ἀμίτρους *devirginitas* exponit Scholiastes Callimachi in Hymno Dianæ; μίτρας γάρ, inquit, ἐζώννυντο, ἃς ἔλυον ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι. « Cingula sumebant, eaque solvebant virgines, quum imminuendæ erant. » — *Virentem.* Pampinis enim muniebatur Thyrsus.

618. *Armat.* Ferro scilicet. — *Hostiles.* Hostes. — *Indos.* Nam exercitum secum non tantum virorum, sed etiam mulierum circumducens, in Indiam transivit, qua triennio post (ut dictum est) debellata, in Græciam triumphans reversus est. Britann.

619. *Scandebat*, etc. Describit noctem per lunam.

620. *Totis ubi somnus inertior alis*, etc. Imitatio Virgiliana; Æn. VIII, 369: « Nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis. » En. — *Alis.* Quas habere dicitur.

622. *C. c. paullumque exercita pulsu.* Exc. Burg. *exercita cursu;* Toll. ad Auson. p. 391, ex libris

Æra tacent: tenero quum solus ab agmine Achilles
Hæc secum: « Quonam timidæ commenta parentis
Usque feres? primumque imbelli carcere perdes
Florem animi? non tela licet Mavortia dextra,
Non trepidas agitare feras? ubi campus et amnes
Hæmonii? quærisne meos, Sperchie, natatus,
Promissasque comas? an desertoris alumni
Nullus honos? Stygiasque procul jam raptus ad umbras
Dicor? et orbatus plangit mea funera Chiron?
Tu nunc tela manu, nostros tu dirigis arcus,
Nutritosque mihi scandis, Patrocle, jugales:
Ast ego pampineis diffundere brachia thyrsis,
Et tenuare colos, pudet heu, tædetque fateri!

scriptis profert: *paullumque exercita plausu;* quod verum putat. — Reg. C habet, *cursu* et correctum, *pulsu;* Reg. C nostram lect. Ed.

623. *Æra tacent.* Reg. B habet, *Ære tacent;* Reg. C nost. lect. Ed. — *Æra.* Cymbala, quæ in sacris Bacchi pulsabantur.

624. *Quonam.* Tmesis est, id est quonamusque? Britann.

625. *U. f. pq. i. carcere perdes.* Reg. B habet, *carcere perdis;* Reg. C nostram lect. Ed.

628. *Hæmonii? quærisne meos, Sperchie, natatus. Sperchie meatus* Petav. — Reg. B præbet, *quæresne meos, Sperchie, natatus;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Sperchie.* Fluvius est Thessaliæ, in quem se demittebat,jubente Chirone,ut aptior esset ad sustinendum aquarum impetum: hoc ostenditur in fine operis. Britann.

629. *Promissasque comas.* Consuetudo enim erat apud antiquos, ut quis, prout libitum erat, diversis Deabus, vel fluminibus crinem, aut barbam suam voveret. Lact. — *Promissas.* Hoc est, ex historia, nam (ut scribit Homerus) Peleus Sperchio comam flavam Achillis promiserat, si is e bello Trojano in patriam incolumis reverteretur, quam comam Achilles Patroclo defuncto largitus est. — *An desertoris alumni.* An me impudentem appellant alumnum, qui deserui magistrum meum? Ordo est: An dicor esse nullus honos alumni desertoris? ut dicimus, nullus honos impii discipuli. Britann.

633. *Patrocle.* Nam Patroclus quum Opunte Æanem puerum Amphidamantis filium iratus inter ludendum peremisset, confugisset-que ad Peleum (ut scribit Homer.) ab eo una cum Achille filio ad Chironem missus est, ut eisdem pariter moribus et disciplinis imbuerentur. Britann.

635. *Et tenuare colos, pudet heu, tædetque fateri!* Reg. B exhibet, *et tenuare colus pudet hæc,* et supra correctum, *heu tædetque fa-*

Jam scio: quin etiam dilectæ virginis ignem,
Æquævamque facem, captus, noctesque diesque
Dissimulas? quonam usque premes urentia pectus
Vulnera? teque marem, pudet heu! nec amore probabis? »
  Sic ait, et densa noctis gavisus in umbra
Tempestiva suis torpere silentia furtis,
Vi potitur votis, et toto pectore veros
Admovet amplexus: risit chorus omnis ab alto
Astrorum, et teneræ rubuerunt cornua Lunæ.
Illa quidem clamore nemus montemque replevit:
Sed Bacchi comites, discussa nube soporis,
Signa choris indicta putant: fragor undique notus
Tollitur, et thyrsos iterum vibrabat Achilles.
Ante tamen dubiam verbis solatur amicis:

teri; Reg. C, *et tenuare cholos, piget heu tædetque fateri*. Ed.

636. *J. s. q. e. dilectæ virginis ignem*. Codd. Lindenbrogii: *dilectæ juvenis ignem*.

637. *Æquævamque facem*. Id est, amorem æquævæ virginis Deidamiæ.

638. *D. q. u. premes urentia pectus*. Iidem codd. cum Venett. *feres urgentia pectus*.

639. *V. tq. m. p. h. nec amore probabis?* Reg. B habet, *nec amore probaris*; Reg. C, *Vulnera? meque marem (pudet heu!), sed amore probabis*. Ed. — *Teque marem*, etc. Quasi arguat se, quod quamvis in omnibus dissimularet virum, saltem in amore non debuisset dissimulare.

642. *Veros*. Quia prius fictos et virgineos putabat Deidamia.

643. *A. a. risit chorus omnis ab alto*. Pot. *vidit chorus*.—Reg. B præbet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Risit chorus omnis ab alto astrorum*. Virgil. Eclog. III, 9: « Sed faciles nymphæ risere. »

644. *Et teneræ rubuerunt cornua Lunæ*. De Luna, quæ et Diana, decenter dixit *rubuerunt*, propter virginitatem illius.

646. *S. B. c. discussa nube soporis*. Petav. aliosque item Lindenbrogii: *discussa nocte soporis*.

647. *Signa*. Nam clamoribus dabatur signum sacris, unde: « nocturnusque vocat clamore Cytheron; » unde ubi illa exclamavit, violentia illata, sorores et aliæ putarunt exclamasse, ut signum daret illis. Britann.

648. *Tollitur, et thyrsos iterum vibrabat Achilles*. « Non iterum sed *olim* scriptum est in antiquis libris. » Barth. — Reg. B exhibet, et *thyrsos iterum vibrat Achilles;* Reg. C, *et thyrsos noster vibrabat Achilles*. Ed.

649. *A. t. d. verbis solatur amicis*. Nonnulli codd. et Venett. *verbis affatur amicis*.

« Ille ego, quid trepidas? genuit quem cærula mater
Peliacis silvis, nivibusque immisit alendum
Thessalicis : neque ego hos cultus, aut fœda subissem
Tegmina, ni primo te visa in litore : cessi
Te propter : tibi pensa manu, tibi mollia gesto
Tympana : quid defles magno nurus addita ponto?
Quid gemis ingentes cælo paritura nepotes?
Sed pater ante igni, ferroque excisa jacebit
Scyros, et in tumidas ibunt hæc versa procellas
Mœnia, quam sævo mea tu connubia perdas
Funere : non adeo parebimus omnia matri.
Vade, sed ereptum taceas, celesque pudorem. »

650. *Ille ego, quid trepidas? genuit quem cætula mater.* Reg. B habet, *Ille ego qui trepidas genitum quem cærula mater;* Reg. C, *Ille ego, quid trepidas, genitum quem cærula mater.* Ed. — *Cærula mater.* Dea marina.

651. *Peliacis silvis. Hæmoniis sylvis* Dan. Put. et Petav. — Reg. B præbet, *Pæne Jovis, silvis nivibusque*, etc. Reg. C, *Peneos silvis.* Ed. — *Peliacis.* Id est, Thessalicis, nam Pelion mons est Thessaliæ. — *Nivibus.* A laboris perpessione sumta est commendatio, sic enim per labores virtus perficitur, nam frigoribus et laboribus assuefactus est a teneris annis, Chirone ita instruente; unde Horat. Art. Poet. 413 : « Multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit. » Britann.

652. *Neque ego hos cultus.* Favorabilem se facit commendanda puella : sensus est, nunquam ego has vestes muliebres sumsissem, nisi te prius vidissem in litore.

654. *Mollia gesto Tympana.* Tympani usus in sacris Bacchi, ut et Cybeles : illius gestatio mollis et feminea putabatur. Hinc apud Nostrum Theb. IX, 800, Parthenopæus exprobrat Thebanis, quod tympana ferrent. Et apud Plautum in Truculento *Tympanotribam* pro molli sumunt interpretes.

655. *Nurus addita ponto.* Nam Thetis, mater Achillis, erat Dea marina.

656. *Cælo.* Jovi.

657. *Pater ante.* Anthypophora est, quasi puella dixerit se vereri ne a patre interimatur, et is respondeat, ante pater tuus et tota denique insula igni et ferro penitus vastabitur, quam patiar te a patre interfici, et nostrum matrimonium solvi. Britann.

659. *M. q. s. m. t. connubia perdas.* Codd. nonnulli Lindenbrogii : *connubia pendas;* alii ejusdem : *connubia pendas;* cæteri omnes cum edd. *connubia perdas.* — *Connubia perdas.* Pœna enim violatæ virginitatis mors.

660. *Funere.* Quod pater te interficiat, et ego in uxorem non habeam, quamvis exposuerit. — *Omnia.* In omnibus; nam ostendam me esse virum. Britann.

661. *Vade, sed ereptum taceas.*

Obstupuit tantis regina exterrita monstris,
Quanquam olim suspecta fides, et cominus ipsum
Horruit, et multum facies mutata fatentis.
Quid faciat? casusne suos ferat ipsa parenti?
Seque simul, juvenemque premat, fortassis acerbas
Hausurum pœnas? et adhuc in corde manebat
Ille diu deceptus amor: silet ægra, premitque
Jam commune nefas: unam placet addere furtis
Altricem sociam, precibus quæ victa duorum
Annuit: illa astu tacito raptumque pudorem,
Surgentemque uterum, atque ægros in pondere menses
Occuluit, plenis donec stata tempora metis
Attulit, et partus index Lucina resolvit.

Versus ille in Reg. B et in Reg. C desideratur. Eo.

662. *Regina.* Deidamia. — *Monstris.* Et quia cognovit Achillem virum esse, et quia ille tot minatur.

663. *Quanquam olim suspecta fides.* Respicit ad illud quod supra dixit vs. 384: « Vocisque sonum, pondusque tenentis, etc. » — Hæc per parenthesim leguntur, ut sit ordo: exterrita est, et horruit. — *Suspecta.* Ne mulier non esset qualem simulabat. Britann.

664. *Horruit, et multum facies mutata fatentis.* « In libris scriptis reperio: *haud multum facies mutata fatentis.* Nimirum et ante virilitatem in eo quamdam senserat Deidamia. » Barth. — Reg. B præbet, *et facies multum mutata fatentis;* Reg. C, *et facies multum suspecta fatentis.* Eo. — *Mutata fatentis.* Longe alia visa est facies fatentis se virum, quanquam olim suspectus erat.

668. *Ille diu deceptus amor.* Quo Achillem tanquam puellam amaverat. — *Ægra.* Sollicita; nam ægrum dicimus, cujus tam animus quam corpus languet. Britann.

669. *Jam commune nefas.* Quia cœperat assentiri, ideo *commune,* quod ante solius Achillis erat: mens enim peccat, non corpus; et unde consilium abest, culpa abest.

672. *Ægros.* Molestos, qui ægritudinem afferunt. Britann.

674. *Attulit, et partus index Lucina resolvit.* Codd. Lindenbrogii post hunc versum exhibent: *Explicit Achilleidos liber tertius.* — *Index.* Quod manifestat uterum celatum diu. — *Lucina.* Dea quæ præest partui. — *Resolvit.* Quia tendebatur antea venter. Ovidius, Metam. X, 506: « Tendit onus matrem. » Pari ratione Horatius dicit « aperire partus: » « Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia, tuere matres. »

PUBLII PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

CARMINIBUS DESCRIPTUM*.

Tandem exoptata Scyro potiuntur Achivi.
Nititur Æaciden, dum libant fercula mensis,
Noscere; sed nondum plene tunc discit Ulyxes.
Tum ducibus Graiis demum manifestus Achilles
In sacris armisque fuit : se denique Ulyxis
Hortatu retegit Lycomedi, et Pergama poscit.
Ut celebratus Hymen, nox conscia junxit amantes.
Deidamia viri deplorat pectore fusa.

* Hoc Argumentum exhibent codd. Lindenbrogii.

PUBLII PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Ulixes et Diomedes Aulide profecti ad Scyrum insulam appellunt, suisque remanere in navi jussis, ne terrerent, soli urbem petunt; 1—51. Nacti ad portas Lycomedem regem, Ulixes, qui sint, exponit: procul dubio belli famam a Græcis contra Trojanos suscepti ad eum pervenisse: se missos exploratum, quid hostes agerent: omnia illi fateri, ut Græco, et fide notissimo; 52—63. Lycomedes humanissime exceptos in regiam inducit; paratisque epulis, filias earumque comites accersi jubet, inter quas Ulixes sagacitate sua Achillem statim agnoscit; 64—98. Quum autem doleret Lycomedes, quod per ætatem tam justo bello interesse non posset, Ulixes tempus arripit hanc expeditionem mirum in modum extollendi: non digniorem usquam exstitisse laudis acquirendæ occasionem: omnes Græciæ principes summa cum alacritate illam amplecti; additque, eum esse abjecti omnino animi, et Diis invisum, qui quum viribus polleret, hujus gloriæ amore non inflammaretur; 99—128. His adeo commotus est Achilles, ut se prodidisset illico, nisi Deidamia, quæ id animadverterat, surgens hunc sociasque secum abduxisset; 129—131. Egressis virginibus, Ulixes divinam earum formam summis effert laudibus; 132—137. Interpellat Lycomedes, aitque magis eas admiraturum, si sacra Bacchi ferentes, et circa Minervæ aras saltantes cerneret:

quod crastina die, si vellent, se exhibiturum promittit. Acceptant avidi, ut suo consilio utile; 138—144. Vix dies illuxit, quum Diomedes, Agyrta tubicine comitatus, ex nave affert thyrsos, cymbala, tympana, et alias merces ad detegendum Achillem comparatas; 145—166. Sacris peractis, in regiam se recipiunt puellæ, ubi has merces collocatas vident; inter quas Ulixes clipeum et hastam poni jusserat. Orat virgines, ut quid magis arrideret eligant, nec pater prohibet; 167—173. Hæ thyrsos, hæ tympana capiunt, aliæ alia; 174—177. Verum ut Achilles suam conspexit in fulgenti clipeo imaginem, erubuit simul et horruit; 178—192. Quo viso Ulixes prope accedens : Quid hæres? ait : scimus te Achillem esse : tota Græcia te exspectat; 193—200. Tunc Agyrtes signo dato tuba insonat. Fugiunt puellæ, et Achilles clipeum hastamque arripit; 201—214. Et conversus ad Lycomedem, Tibi, inquit, Achillem ad Græcos mittendi gloria erat reservata. Simulque fassus suos et Deidamiæ amores, sibi illique ignosceret, postulat, eamque uxorem petit; quem ut citius flecteret, filium ad ejus pedes projicit; 215—235. Jungunt preces Græci. Tandem vincitur Lycomedes. Confirmatur affinitas, et nox securos amantes jungit; 236—252. Deidamia vero, cogitans promtum Achillis discessum, effunditur in lacrimas, eumque complexa queritur, quod eadem nox eum sibi daret adimeretque : orat propriæ saluti consulat : non vanos Thetidis metus : suus reverteretur : timere se ne Trojanæ, ipsaque Helena ejus animum suis blanditiis illecebrisque expugnent; 253—281. Achilles afflictam solatur, fidemque jurat, ei promittens Trojanas captivas, et diruti Ilii spolia; 282—286. Summo mane navem conscensurus, Diis marinis, præcipue vero Neptuno, avoque Nereo, monente Ulixe, sacrificat, et juvenca matrem placat; 287—308. Dum vela faciunt, Achilles Ulixem rogat, sibi causam belli inter Græcos et Trojanos exponeret; 309—334. Ulixes rem altius repetit: Deas de pulchritudine contendentes ad judicium Paridis fuisse missas : Paridem illectum promissis Veneris, se ei daturam Helenam omnium Græcarum formosissimam, Deæ præmium adjudicasse : deinde illum

cum ingenti classe ivisse Spartam, raptamque Helenam Trojam abduxisse: inde Græcos, justo dolore accensos, bellum Trojanis denuntiasse; 335—371. Heroes Achillem vicissim rogant, sibi diceret, quæ ejus pueritiæ primordia fuerant, quibus exercitationibus ejus corpus corroboraverit Chiron, quibusque disciplinis animum ingeniumque excoluerit; 372—380. Quod, summa cum modestia, Achilles exsequitur; 381—453.

JAMQUE per Ægæos ibat Laertia fluctus
Puppis, et innumeræ mutabant Cycladas auræ;
Jam Paros, Olearosque latent; jam raditur alta
Lemnos, et a tergo decrescit Bacchica Naxos,

1. *Jamque per Ægæos ibat Laertia fluctus.* Reg. B præbet, *J. p. Æ. ibat Laertia flexus*; Reg. C nostram lect. Ed.

2. *Puppis, et innumeræ mutabant Cycladas auræ.* Reg. B *Puppis, et innumeras mutabant Cyclades auras* habet; Reg. C *Puppis, et innumeræ mutabant Cyclades auras.* Eo. — *Innumeræ.* Quia, cum ipsis navigandum erat per Cycladas, quæ hinc et illinc sparsæ erant, rectum cursum tenere non poterant; sed cogebantur gubernaculum varie flectere, et sinus velorum ventis pandere, qui hoc modo in momenta semper mutabantur: ideo *innumeras auras* vocat. — *Mutabant Cycladas.* Quia modo hanc, modo illam ostendebant, quum aliquas præterirent, aliquas adirent.

3. *Paros Olearosque.* Ex Cycladibus sunt, quæ ut diximus initio duodecim fuisse produntur in Ægæo sitæ. Paros autem lapidem producit quem Parium appellant, ad marmoreas sculpturas aptissimum. BRITANN. — *Latent.* Quia relictæ post terga in horas minores videntur: unde jam remotæ minus videbantur, et quasi *latebant.* — *Alta.* Propter montes.

4. *Lemnos.* Vide Theb. V, 50, 184. — *Decrescit.* Naturale est enim, ut quanto magis ab uno loco digredimur, is conspectui nostro subtrahatur, minorque appareat, ac sic *decrescat*, quoniam sub minoribus et minoribus angulis cernitur: e contra ea nobis magis appareant quibus appropinquamus, quia sub majoribus sensim et majoribus angulis cernuntur; unde infert « ante oculos crescente Samo ». — *Bacchica Naxos.* Ex Cycladibus una est, Baccho consecrata; nam Naxii ferunt hunc Deum apud se nutritum, ob eamque rem insulam sibi acceptissimam esse, Nysidiamque a

Ante oculos crescente Samo; jam Delos opacat
Æquor; ubi excelsa libant carchesia puppe,
Responsique fidem, et verum Calchanta precantur.
Audiit Arcitenens, Zephyrumque e vertice Cynthi
Impulit, et dubiis pleno dedit omina velo.
It pelago secura ratis: quippe alta Tonantis
Jussa Thetin certas fatorum vertere leges
Arcebant ægram lacrimis, ac multa gementem,
Quod non erueret pontum, ventisque, fretisque
Omnibus invisum jam tunc sequeretur Ulixem.

nullis dici, vina habentem præcipua. Virg. Æneid. III, 125: « Bacchatamque jugis Naxon. » Brit.

5. *Crescente Samo.* Quia quanto magis ad eam appropinquabant, tanto melius cernebant, unde major videbatur; ideo crescere videbatur. Maturant. — *Samo.* Insula maris Icarii, patria Pythagoræ. — *Jam Delos opacat Æquor.* Hoc habet ratio navigationis, ut appropinquantibus ad insulam, mare minus late videatur objectu insulæ. De Delo vide Theb. I, 702. Alium præbet Maturantius sensum: *opacat*, id est umbrat; erant enim jam apud eum maris locum, quo Delos umbram exporrigit.

6. *Æquor: ubi excelsa libant carchesia puppe.* Reg. B exhibet, *Æquor: ubi e celsa libant charchesia puppi;* Reg. C *Æquor et e celsa libant charchesia puppe.* Ed. — *Ubi excelsa libant carchesia puppe.* Ex more quo nautæ legentes oram vel insulam alicui Deo sacram, ipsi ob prosperum cursum libabant. Vide Achill. I notam ad vers. 285.

7. *Responsique fidem.* Ut id præstet quod Calchas prædixerat, ita ut Calchas sit veridicus.

8. *Arcitenens.* Apollo, cui peritia sagittandi tribuitur et gloria. Unde est illud Ovidii, Met. I, 457: « ista decent humeros gestamina nostros, Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti. » — *Cynthi.* Mons est Deli Apollinis simul et Dianæ ortu insignis. Britann.

9. *Pleno velo.* Hoc autem maxime omen auxit.

10. *It pelago secura ratis: quippe alta Tonantis.* In Reg. B legas, *I. p. s. r. quippe alta sonantis;* in Reg. C nostram lect. Ed.

11. *Jussa Thetin certas fatorum vertere leges.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *fatorum evertere leges;* Barthius in notis: *fatorum tollere leges;* ubi falsus est quoad Venett. et Aldd. quæ edd. nullum punctum habent post *leges.* — Reg. B habet. *Jussa Thetim;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Certas leges.* Immutabiles. Fata autem volebant, ut Achilles detegeretur et Trojam iret.

12. *Arcebant ægram lacrimis, ac multa gementem.* Reg. B habet, *A. æ. l. ac multa timentem;* Reg. C nostram lect. Ed.

14. *Omnibus invisum jam tunc sequeretur Ulixem.* Reg. B habet,

Frangebat radios humili jam pronus Olympo
Phœbus, et Oceani penetrabile litus anhelis
Promittebat equis; quum se scopulosa levavit
Scyros: in hanc totos emisit puppe rudentes
Dux Laertiades, sociosque resumere pontum
Imperat, et remis Zephyros supplere cadentes.
Accedunt jussi: magis indubitata magisque
Scyros erat, placidique super Tritonia custos
Litoris: egressi numen venerantur amicæ

O. i. jam tum sequeretur Ulixem; Reg. C nostram lect. En. — *Invisum*. Vide Achill. I, 94.

15. *Frangebat.* Vel quia sol, quum est in occasu, breviores radios jacit, unde fracti videntur, respectu radiorum meridiei, quum est supra caput nostrum, vel quia quum vadit ad occasum, pars solis sub orizonte, pars supra est: unde videtur partem radiorum ad nos, partem ad antipodes jam jacere: ideo *frangebat* dixit. Maturant.

17. *Quum se scopulosa levavit Scyros.* Appropinquando enim ad illam, in horas major ac major, altiorque videbatur. Virgilius Æneid. III, 205: « Quarto terra die primum se attollere tandem Visa. »

18. *In hanc totos emisit puppe rudentes.* Id est, ad hanc totis velis contendit. Metaphora ab equis, quibus habenæ remittuntur.

19. *Dux Laertiades, sociosque resumere pontum.* Put. *resumere portum.* — Reg. B præbet, *D. L. sociisque resumere pontum;* Reg. C nostram lect. En. — *Dux Laertiades.* Ulixes. — *Resumere.* Recedentes a portu naves remis deducuntur, donec altum mare, ubi ventis vela concedunt nautæ; quum autem appropinquant ad portum, tunc etiam malignitate aquarum venti minus potentes sunt, unde remis adjuvant ventos, ideo dicit: *resumere portum, et Zephyros,* etc. id est, jam deficientes propter vada jam inita. Maturant.

20. *Remis Zephyros supplere cadentes.* Id est, remigio adjuvare ventos in promovenda nave.

21. *Accedunt jussi: magis indubitata magisque.* Reg. B habet, *Accedunt juxta et magis indubitata magisque;* Reg. C, *Accedunt jussi, et magis indubitata magisque.* En. — *Magis indubitata magisque Scyros erat.* Ad illam appropinquando magis ac magis illam agnoscebant.

22. *Placidique super.* Subaudi a superiore, erat. Est autem templum Palladis de quo superius, lib. I, v. 285. « Palladi litoreæ celebrabat Scyros honorum Forte diem. »

23. *Egressi numen venerantur amicæ Ætolusque Ithacusque Deæ.* Mos navigantium, immo viantium, salutare Deos, vel Genios locorum, de quo Apuleius Florid. initio. Virgilius Æneid. III, 78. « Huc feror; hæc fessos tuto placidissima portu Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem. » — *Amicæ Deæ.* Pallas

Ætolusque Ithacusque Deæ : tum providus heros,
Hospita ne subito terrerent mœnia cœtu,
Puppe jubet remanere suos : ipse ardua fido
Cum Diomede petit : sed jam prævenerat arcis
Litoreæ servator Abas, ignotaque regi
Ediderat, sed Graia tamen, succedere terris
Carbasa : procedunt, gemini ceu fœdere juncto
Hiberna sub nocte lupi ; licet et sua pulset
Natorumque fames, penitus rabiemque minasque
Dissimulant, humilesque meant, ne nuntiet hostes
Cura canum, et trepidos moneat vigilare magistros.
Sic segnes heroes eunt, campumque patentem,
Qui medius portum, celsamque interjacet urbem,
Alterno sermone serunt : prior occupat acer

enim Græcis favit in bello Trojano, præsertim Diomedi et Ulixi, cujus curam semper gessit. Virgilius, Æneid. II, 162 : « Omnis spes Danaum et cœpti fiducia belli Palladis auxiliis semper stetit. » — *Ætolus*, Diomedes. — *Ithacus*, Ulixes.

24. *Æq. Iq. Deæ tum providus heros.* Regg. B et C *tunc providus heros* exhibent. Eo. — *Providus heros*, Ulixes.

26. *Puppe jubet remanere suos.* Reg. B præbet *Puppe juvet remanere suos;* Reg. C nostram lect. Eo.

28. *Litoreæ.* Quæ erat in litore extra urbem, qua speculabatur venientes. Maturant.

29. *Ediderat sed Graia tamen suadere terris.* Exc. Burg. et codd. Liodenbrogii : *secreta tamen.* — *Ediderat.* Nuntiaverat regi succedere carbasa ignota. — *Sed Graia.* Cognoscebat esse Græca, sed cujus essent nesciebat. Matur.

30. *Carbasa : procedunt, gemini ceu fœdere juncto.* Reg. B habet, *C. p. g. ceu fœdere junctæ;* Reg. C *quasi fœdere juncto.* Ed.

32. *Natorumque fames, penitus rabiemque minasque.* Reg. B præbet, *Nq. f. penitus labemque minasque;* Reg. C nostram lect. Eo.

34. *Cura canum. Turba canum* Put.

35. *Sic segnes heroes eunt, campumque patentem.* In eodem Put. codice : *heroes pergunt*, ex glossa. — *Segnes eunt.* Paullatim incedunt, nullo vigore animi ostenso.

36. *Qui medius portum, celsamque interjacet urbem.* Reg. B habet, *Qui medios portus;* Reg. C nostram lect. Eo.

37. *Alterno sermone serunt.* « Omnes manuscripti libri quos Lindenbrogius, nos, *et* Jodocus Sincerus contulerunt, *terunt* referunt. Ipse Sincerus, sive Zinzerlingius, Proiouls. cap. 20 priorem

Tydides : « Qua nunc verum ratione paramus
Scrutari? namque ambiguo sub pectore quondam
Verso, quid imbelles thyrsos mercatus et æra,
Urbibus in mediis, Bacchæaque terga, mitrasque
Huc tuleris, varioque adspersas nebridas auro?
Hisne gravem Phrygibus, Priamoque armamus Achillem? »
Illi subridens Ithacus paullum ore remisso :
« Hæc tibi, virginea modo si Lycomedis in aula
Fraude latens, ultro confessum in prælia ducent
Peliden : tu cuncta citus de puppe memento

scripturam *serunt* probat. In eadem nos persuasione sumus, cum accedentibus Aldinis exemplaribus. » BARTH. Put. *terunt*; alii vero Lindenbrogii *ferunt*. — Reg. B exhibet, *Alterno sermone terunt*; Reg. C nostram lect. ED. — *Alterno sermone serunt*. Sumtum ab agricolis, qui incedendo agros suos semine replent.

38. *Tydides*. Diomedes.

39. *Scrutari? namque ambiguo sub pectore quondam*. Reg. B habet, *namque ambiguo sub pectore pridem*; Reg. C nostram lect. ED.

41. *Urbibus in mediis, Bacchæaque terga*. Regg. B et C *Baccheaque terga* præbent. ED. — *Bacchæaque terga*. Id est, tympana quæ, ut diximus, in sacris adhibebantur, improprie tamen terga dixit pro tergora. BRITANN.

42. *Nebridas auro*. Pelles Bacchantium intelligit. Papinius sup. lib. v. 609 : « Ut vero a tereti dimisit nebrida collo. » Tacitus XI, 31 ; « Feminæ pellibus accinctæ assultabant velut sacrificantes, vel insanientes Bacchæ. » Videndus tibi omnino Athenæus lib. XIII, quo de Pyrrhica saltatione agit. BERNART.

43. *Hisne gravem Phrygibus, Priamoque armamus Achillem*. Reg. B præbet, *Hisne gravem Priamo Phrygibus armavis Achillem*; Reg. C nostram lect. ED. — *Phrygibus*. Trojanis.

44. *Illi subridens*. « Optime libri nostri : *Olli subridens*; ut Virgil. Æn. I, 254 « Olli subridens hominum sator, etc » et XII, 829. Utique geminatum usum sui parentis secutus est Papinius ; et sic habet vetus liber Bernartianus. » BARTH. — *Ore remisso*. Fronte explicata, relaxata. Sed forte *remisso* hic demisso. *Baissant un peu la tête*. GUYETUS.

45. *Hæc tibi Virginea modo si Lycomedis in aula*. Reg. B exhibet, *Hæc tibi Virginea molosi Lycomedis in aula est*; Reg. C nostram lect. ED.

46. *Ultro confessum*. Præoccupat futura. Nam Achilles, harum rerum ostensione spreta, scutum et arma capiet, ut in sequentibus patebit. BRITANN.

47. *Peliden : tu cuncta citus de puppe memento*. In Reg. B legas, *tu nunc tacitus de puppe memento*; In Reg. C nostram lect. ED.

Ferre, ubi tempus erit, clipeumque iis jungere donis,
Qui pulcher signis, auroque asperrimus ardet.
Hæc sat erunt : tecum lituo bonus adsit Agyrtes,
Occultamque tubam tacitos apportet in usus. »
Dixerat, atque ipso portarum in limine regem
Cernit, et ostensa pacem præfatur oliva.
« Magna, reor, pridem vestras pervenit ad aures
Fama trucis belli, regum placidissime, quod nunc
Europamque Asiamque quatit : si nomina quæras
Huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atrides,

48. *Ferre, ubi tempus erit, clipeumque iis jungere donis.* Regg. B et C *F. u. temporis erit clipeumque his pingere donis* exhibent. Ed.

49. *Qui pulcher signis, auroque asperrimus ardet.* Put. *asperimus hasta;* Exc. Burg. *asperrimus ardet,* et in marg. pro v. l. *pulcerrimus.* — Reg. B habet, *auroque asperrimus hasta;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Auroque asperrimus.* Ob cælaturas scilicet. Virgilius, Æn. V, 267 : « Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis. » Plinius loquens de poculis : « Ea erant excisa in asperitatem. »

50. *Hæc sat erunt : tecum lituo bonus adsit Agyrtes. Hoc sat erit* codd. Lindenbrogii, Buslid. Lipsian. et Venett. — Reg. B exhibet, *Hæc sat erit : tecum lituo bonus adsit Acyrtes;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Lituo bonus.* Peritus, doctus. Virgilius, Ecl. V, 1, « Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo, Tu calamos inflare leves, ego dicere versu, etc. » — *Agyrtes.* Fictum nomen tubicinis ab ἀγυρίζω, quod est *congrego.*

51. *Tacitos.* Privatos, secretos, non apertos ac publicos.

53. *Cernit, et ostensa pacem præfatur oliva.* Unus Bernartii : *pacem profatur oliva.* — Reg. B habet, *C. e. o. pacem præfatus oliva;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Ostensa oliva.* Hanc legati ferebant, ut symbolum pacis : unde *pacifera* poetis dicitur. Virgilius, Æn. VIII, 116 : « Paciferæque manu ramum prætendit olivæ. »

54. *Magna, reor, pridem vestras pervenit ad aures.* Reg. B præbet, *Magna, reor, pridemque tuas pervenit ad aures;* Reg. C eamdem lect. Ed.

56. *Europamque Asiamque quatit : si nomina quæras. Asiamque premit* Exc. Burg. — Regg. B et C, *Eq. Aq. q. si nomina forte* exhibent. Ed. — *quatit.* Elegans versus, sonum magni tumultus inferens. — *Nomina quæras.* Si, inquit, eorum regum audivisti nomina, quibus potissimum confidit Agamemnon, hic est Diomedes unus ex illis vir fortissimus, quem Tydeus genuit meliorem de tanta stirpe, id est de omni turba Græcorum, quasi dicat de omni Græcorum multitudine Diomedes est præstantior. BRITANN.

Hic tibi, quem tanta meliorem stirpe creavit
Magnanimus Tydeus; Ithacis ego ductor Ulixes.
Causa viæ, (metuam quid enim tibi cuncta fateri,
Quum Graius, notaque fide celeberrimus unus?)
Explorare aditus, invisaque litora Trojæ,
Quidve parent. » Medio sermone intercipit ille;
« Annuerit Fortuna, precor, dextrique secundent
Ista Dei : nunc hospitio mea tecta piumque
Illustrate larem. » Simul intra limina ducit.
Nec mora, jam mensas famularis turba torosque
Instruit : interea visu perlustrat Ulixes,
Scrutaturque domum, si qua vestigia magnæ
Virginis, aut dubia facies suspecta figura :
Porticibusque vagis errat, totosque penates,
Ceu miretur, adit : velut ille cubilia prædæ

58. *Tanta stirpe.* Stirps Diomedis Tydeus, qua genitus est. Melior autem dicebatur patre, armorum virtute. Nam alias facile poterat, quum pro improbo homine decantatus sit Tydeus Æschylo, Val. Flacco, et aliis. Auson. « Conditus hic genitore bono melior Diomedes, Crimen ob uxoris pulsus dotalibus agris. » BARTHIUS.

59. *Magnanimus Tydeus, Ithacis ego ductor Ulixes.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *ego dicor Ulixes.* — Reg. B *M. T. Ithacus ego ductor Ulixes* habet; Reg. C nostram lect. ED.

61. *Quum Graius, notaque fide celeberrimus unus?* Reg. B habet, *Quum gravius, notaque fide celeberrimus imus;* Reg. C nostram lect. ED.

63. *Medio.* Non expectata fine, quasi non putans honestum libenter aliorum secreta audire, quasi diceret, quidquid sit Dii secundent, interim domum meam venies. MAT.

64. *Annuerit Fortuna, precor, dextrique secundent* Reg. B. habet, *A. F. p. dextrisque secundent;* Reg. C nostram lect. ED.

66. *I. l. Simul intra limina ducit.* Petav. et codex T. R. *intra mœnia.* — *Illustrate.* Quasi adventu vestro ornate. MATURANT.

69. *Scrutaturque domum, si qua vestigia magnæ.* Nonnulli codd. Barthiani : *si quæ vestigia.*

70. *Dubia figura.* Quæ plane mulierem non fateatur.

72. *Velut ille.* Abundat *ille.* Ordo est : Adit Ulixes totos Penates, veluti venator tenens cubilia prædæ indubitata, legit arva muto Molosso. BRITANN. Vide not. ad vers. 234 Grat. Fal. Cyneg. p. 54, t. I Poet. Lat. Min.

Indubitata tenens muto legit arva Molosso
Venator, videat donec sub frondibus hostem
Porrectum somno, positosque in cespite dentes.
Rumor in arcana jamdudum perstrepit aula,
Virginibus qua fida domus, venisse Pelasgum
Ductores, Graiamque ratem, sociosque receptos.
Jure pavent aliæ : sed vix nova gaudia celat
Pelides, avidusque novos heroas et arma
Vel talis vidisse cupit : jamque atria fervent
Regali strepitu, et picto discumbitur ostro.

73. *Indubitata tenens muto legit arva Molosso.* Reg. B habet, *multo tegit arva Molosso* et supra : *arma;* Reg. C nostram leet. Eo. — *Multo* (*muto*) *Molosso.* Cane Epirotieo : nam Molossia pars Epiri optimis canibus iosignis. — *Muto.* Gratius in Cynegetico de eane : 231 « Ne voee lacesseret hostem. » Lucanus lib. IV, 440 seqq. « Venator tenet ora levis clamosa Molossi, Spartanos Cretasque ligat : nec ereditur ulla Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro Colligit, et præda neseit latrare reperta, Conteotus tremulo monstrasse eubilia loro. « Arnobius lib. II, miraculis naturæ annumerat, « canem, quum invenerit prædam, cohibere et continere latratum. » Oppianus Cyneg. lib. I. Μηδ' ὑλάειν ἐθέλοιεν, ἐπεὶ μάλα θηρευτῆρσι Σιγὴ τέθμιός ἐστι, πανέξοχα δ' ἰχνευτῆρσι. « Nec latrare velint, quo niam venantibus apta, Sed mage quærendis optata silentia lustris. » Quidam eodiees habent *multo.*

74. *Hostem.* Aprum.

75. *Porrectum.* Prostratum, fusum humi. Britann.

76. *Rumor.* Post hunc v. legitur in Reg. C : « incipit liber quartus. »

77. *Virginibus qua fida domus.* Erat, ut jam diximus Theb. I, 534, in iuteriore ae secretiore ædium parte, et *Gynæconitis* Græcis appellabatur, Latiois *Gynæceum.* Vide Vitruvium lib. VI, eap. 10.

78. *Sociosque receptos.* A Lycomede seilicet.

79. *Jure pavent aliæ.* « Non sollicitanda est hæc scriptura; veteres tamen duo libri *Mira pavent aliæ* referunt. « Barth. — *Jure.* Merito, ut decet muliebrem sexum timere. — *Aliæ.* Præter Aehillem. Matth. — *Vix eelat.* Quin ipse eloquatur et palam se prodat. Vet. Schol.

80. *Pelides, avidusque novos heroas et arma.* Reg. B habet, *Pelides, avidosque novos heroas et arma;* Reg. C nostram lect. Ed.

81. *Vel talis.* Etiam talis, id est, in habitu muliebri, quod dedecebat fortem virum viros fortes, in habitu muliebri videre. — *Vel.* Ergo pro etiam. Virgilius, Æneid. XI, 259 : « Vel Priamo miseranda manus. »

82. *Regali strepitu, et pieto discumbitur ostro.* Put. *et picto discumbitur auro.* Reg. B habet hanc lect.

Tum pater ire jubet natas, comitesque pudicas
Natarum : subeunt, quales Mæotide ripa,
Quum Scythicas rapuere domos, et capta Getarum
Mœnia, suppositis epulantur Amazones armis.
Tum vero intentus vultus ac pectora Ulixes
Prælibat visu : sed nox, illataque fallunt
Lumina, et extemplo latuit mensura jacentis.

Reg. C nostram. Ed. — *Picto discumbitur ostro*. Vide Theb. I, ad notam vs. 526.

83. *Tum pater ire jubet natas*. Reg. B et Reg. C habent, *Quum pater ire jubet natas*. Ed. — *Ire jubet*. Id est, prodire in conspectum advenarum Regum. Vet. Schol.

84. *Natarum : subeunt, quales Mæotide ripa*. Dan. Put. Petav. aliique nonnulli : *Mætica ripam ;* scripti Barthiani : *Mæotida ripam*. — *Subeunt quales*. Eo, inquit, ordine se habebant puellæ regiæ in accubatione, quo Amazones quum epulantur. Hæcque comparatio in hoc est, ut puellarum discumbentium ostendat numerum, et ordinem decorum. — *Mæotide ripa*. Mæotis palus est quæ Cimmerio Bosphoro commissa Tanaim amnem ex Rhiphæis montibus defluentem accipit, dictaque est a *μαῖα*, quod significat nutricem, eo quod Euxinum et Cimmerium Bosphorum uberi aquarum effusione efficiat, alatque. Britann.

85. *Scythicas domos*. Scythia est prima gentium Septemtrionalium : a Tanai usque ad Caspium mare et ultra extenditur. — *Getarum*. Conjungit Getas cum Scythis ; nam utrique Tanais ripas et hærentia ripis possederunt. Getæ etiam Thraciam incoluerunt.

86. *Mœnia, suppositis epulantur Amazones armis*. « Probo scriptam lectionem, voculam adjicientem : *suppositisque ;* nam et in triclinio, seu discumbentes, hæc lectio virgines has Amazonibus æquat. » — *Amazones*. De iis lib. superiori. Sedes antiquitus habuere circa ripas Tanais in Mæotin influentis : unde bene Poeta ait eas bello infestare vicinos Scythas ac Getas.

87. *Tum vero intentus vultus ac pectora Ulixes*. Reg. B habet, *Tum vero intentos vultus ac pectora Ulixes ;* Reg. C *vultus et pectora Ulyxes*.

88. *P. v. sed nox, illataque fallunt*. Exc. Burg. *illata fefellit*. — *Prælibat*. Libare, est unumquodque leviter degustare, unde *prælibat*, id est oculos jacit, modo in hanc, modo in illam, non firmando oculos in una tantum. Matur.

89. *L. e. e. latuit mensura jacentis*. Put. et scripti codd. Barthii : *mensura jacentum*. — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. Ed. — *Latuit mensura jacentis*. Respicit veterem accumbendi ritum : sed nescio an satis caute prisco illo ævo usurpatum scribat. Homerus sane non accumbentes, sed sedentes semper Heroas introducit. Bernart. — *Jacentis*. Discumbentium enim proceritas ac statura non videtur.

Et tamen erectumque genas, oculisque vagantem,
Nullaque virginei servantem signa pudoris,
Defigit, comitique obliquo lumine monstrat.
Quod nisi præcipitem blando complexa moneret
Deidamia sinu, nudataque pectora semper,
Exertasque manus, humerosque in veste teneret,
Et prodire toris, et poscere vina vetaret
Sæpius, et fronti crinale reponeret aurum;
Argolicis ducibus jam tunc patuisset Achilles.
Ut placata fames epulis bis terque repostis,

90. *Et tamen erectumque genas.* Reg. B præbet, *attamen erectumque genas;* Reg. C. eamdem lect. Eo. — *Erectumque genas, oculisque vagantem.* Hoc noo erat signum puellæ : virgioes enim vultum demissum habent, modestosque oculos, non vagantes.

92. *Defigit.* Anootat. — *Comitique.* Diomedi. Britann.

93. *Quod nisi præcipitem.* Nisi, ioquit, Deidamia Achillem blaodimentis retinoisset, statim eom duces Graii cogoovisseot. Britann.

94. *Deidamia sinu, nudataque pectora semper.* Put. *nudataque tempora.* — Reg. B habet haoe lect. Reg. C, *mandataque pectora* et supra : *nudata.* Eo. — *Nudataque.* Achillis.

97. *Crinale reponeret aurum.* Quidam fasciam auream intelligunt, qua crioes religantur : fascias enim aureas gestabant in froute virgines nobiliores, iostar diadematis. Alii acos crinales ioterpretantur, quibos in femiois oroandorum crinium compago retineretur, oe laxius floerent, ut habet Isidorus lib. XIII; vel quibus, ut hodie, caput scalperent. Virgilius de Camilla, Æo. XI, 576. « Pro crinali aoro, pro longæ tegmine pallæ, Tigridis exuviæ per dorsom a vertice peodent. » Bernart.

98. *Argolicis ducibus jam tunc patuisset Achilles.* Versus iste in Reg. B desideratur; adest io Reg. C. Eo.

99. *Epulis bis terque repostis.* Gallice *à trois services.* Vocat Noster Theb. I, 539 : « ordinem mensæ. » Et notat divisionem cœnæ, quæ Veteribus triplex, *Antecæna*, *cœna*, et *pomorum mensa.* Antecœna erat missus primus, qui et *gustatio*, seu *gustus*, atque etiam *promulsis* vocabatur; quod primam sitim *antiqui fere* mulso sedabant. *Cœna*, missus secundus erat, in quo præcipoi cibi. *Mensa pomorum* missus tertius, io quo bellaria. Vide Lipsium Antiqoarum Lectionum lib. III. Ad ea quæ Lipsius de Promulside notavit, adde locum huoc Tertulliani de Pallio : « Vereor saoe ne parva sit ista trutina, quum Drusillanus et quidam servos Claudii quinquagenariam promolsidem ædificat, soprascriptis fortasse mensis necessariam. » Posuit *promulsidem* pro ipso *promulsidario*,

Rex prior alloquitur, paterisque hortatur Achivos:
« Invideo vestris, fateor, decora inclyta gentis
Argolicæ, cœptis: utinam mihi fortior ætas,
Quæque fuit, Dolopas quum Scyria litora adortos
Perdomui, fregique vadis: quæ signa triumphi,
Vidistis celsas murorum in fronte carinas.
Saltem si soboles, aptam quam mittere bello
Possem, plena forent mihi gaudia: namque juvarem.
Nunc ipsi viresque meas, et cara videtis

id autem est vas quo promulsis continetur. Ulpianus lib. XI, § argento, de auro et arg. leg. « scutellas vel promulsidaria contineri. »

100. *Paterisque hortatur* (*invitat*) *Achivos*. Quidam codices habent *hortatur*. Noster in Hercule Epitrapezio Vindicis, Sil. IV, 6, 56. « Sic mitis vultus veluti de pectore gaudens, Hortetur mensas. » Vetus etiam Scholiastes ponit etiam *hortatur*, et sic explicat hunc locum: « Rex Lycomedes prior alloquitur Ulixem et Diomedem, et hortatur illos pateris, ut satis bibant. » Et notat morem quo Veteres in fine cœnæ pateras vino implebant, et sic bibebant. Virgilius Æneid. I, 723. « Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ, Crateras magnos statuunt, ac vina coronant. » Hic porro Statii locus spectare forsan videtur Græcorum morem, qui minoribus poculis primo, deinde majoribus se invitabant. Cicero in Verrem III. « Discumbitur: fit sermo inter eos et invitatio, ut Græco more biberetur: hospes hortatur. Poscunt majoribus poculis. Celebratur omnium sermone lætitiaque convivium. » Anacharsis apud Diogenem Laertium θαυμάζειν φησὶ πῶς Ἕλληνες ἀρχόμενοι μὲν ἐν μικροῖς πίνουσι, πληρωθέντες δὲ ἐν μεγάλοις. « Mirari se dixit, cur Græci initio convivii parvis poculis uterentur, ubi vero saturati essent, majoribus. »

102. *A. c. utinam mihi fortior ætas*. Reg. B præbet, *utinam et mihi fortior ætas*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Argolicæ*. Græcæ.

103. *Dolopas*. Dolopes gens Thessalica in extremis finibus Phthiotidis. Strabo lib. X, et Plinius lib. IV, cap. 2, Dolopes inter Ætoliæ gentes numerant.

104. *Quæ signa triumphi*. Ne vanum putaret quod dixerat, ideo subjungit hostium spolia conspici potuisse in muris. Britann.

105. *Vidistis celsas murorum in fronte carinas*. Reg. B habet, *Vidistis celsa murorum in fronte carinas*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Carinas*. Tanquam monumentum e victis Dolopibus erectum.

108. *Nunc ipsi*, etc. Inseritur hic versiculus: *Possem, plena forent mihi gaudia; namque juvarem, Nunc ipsi*, etc. Versum hunc inficetissimum insulsissimumque expunximus: quia nec erat in membranis bonæ fidei, nec illum agno-

Pignora : quando novos dabit hæc mihi turba nepotes? »
Dixerat, et solers arrepto tempore Ulixes :
« Haud spernenda cupis : quis enim non visere gentes
Innumeras, variosque duces, atque agmina regum
Ardeat? Omne simul roburque decusque potentis
Europæ meritos ultro juravit in enses.
Rura urbesque vacant : montes spoliavimus altos.
Omne fretum longa velorum obtexitur umbra.
Tradunt arma patres, ruit irrevocata juventus.
Non alias unquam tantæ data copia famæ

scit Scholiastes. Sic enim ille : *Saltem si*. Ex quo non possum illuc. *Sobo*. Esset mihi. *Quam*. Sobolem esset. *Aptum*. Quam congruum mihi. *Mittere bello*. Ad bellum ; vel mittere libenter : vel *quam aptam*, congruam et convenientem ad pugnandum eo possem libenter mittere bello. *Nunc ipsi*. Vos, etc. Ex quibus utcumque scriptis liquet jam tum dubium fuisse, præcedenti *aptum*, an *aptam*, legi oporteret. Sed rectius *aptam : Saltem si soboles, aptam quam mittere bello*. Postquam de se optavit, et pristinam virtutem suam recordatus est ex more senum heroum, adjungit : saltem, si mihi esset soboles, quam bello aptam mittere liceret ; haberem aliquod defectarum mearum virium solatium. Sic enim explendus sensus, non ut isti stolidi auctores fatui versus fecerunt. Theb. III, v. 199. « necdum apta doloribus ætas. » Theb. IV, v. 200. « Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit, Tempora. » GRONOV.

110. *Dixerat, et solers*. Regg. B et C *Dixerat, et sollers* exhibent.

111. *Quis enim non visere gentes Innumeras*. Astute ea proponit, quibus excellentis animi juvenis ad bellum inflammari potest.

113. *A. o. s. rq. decusque potentis*. Reg. B præbet, *roburque decusque potentes* ; Reg. C nostram lect. Ed.

114. *Europæ meritos ultro juravit in enses*. *Europæ junctos ultro* Lang. Laur. et Venett.

115. *Montes spoliavimus*. Arboribus, scilicet ad navium ædificationem. BRITANN.

117. *Tradunt arma patres, ruit irrevocata juventus*. Codd. Lindenbrogii : *rapit irrevocata*. — Regg. B et C hanc lectionem exhibent. Ed. — *Arma patres*. Quasi dicat, patres filios ad bellum hortantur, tanto unusquisque tenetur studio evertendæ Trojæ. — *Irrevocata*. Irrevocabilis, quasi quæ nullo modo retineri possit. BRITANN.

118. *N. a. unquam tantæ data copia famæ*. Reg. B habet, *tanta data copia famæ* ; Reg. C *Nunquam alias tantæ fuerat data copia laudis*. Ed. — *Unquam tantæ data copia famæ Fortibus*. Nunquam, inquit, viri fortes opportuniorem comparandæ sibi gloriæ occasionem nacti sunt.

Fortibus, aut campo majore exercita virtus. »
Adspicit intentum, vigilique hæc aure bibentem,
Quum paveant aliæ, demissaque lumina flectant,
Atque iterat: « Quisquis proavis et gente superbus,
Quisquis equo jaculoque potens, qui prævalet arcu,
Omnis honos illic: illic ingentia certant
Nomina: vix timidæ matres, vix agmina cessant
Virginea: hic multum steriles damnatus in annos,
Invisusque Deis, si quem hæc nova gloria segnem
Præterit: » exisset stratis, nisi provida signo
Deidamia dato, cunctas hortata sorores
Liquisset mensas, ipsum complexa: sed hæret
Respiciens Ithacum, cœtuque novissimus exit.

119. *Fortibus, aut campo majore exercita virtus.* Lang. Lipsian. nonnulli Lindenbrogii et Venett. *haud campo meliore.* — Vide pag. 588, tom. I Stat.

120. *Vigilique hæc aure bibentem.* Propertius: « Incipe, suspensis auribus ista bibam. » Horatius: « Sed magis Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus. «

122. *A. c. q. proavis et gente superbus.* « Optime libri duo: *proavis et mente*; ne idem dicat. « Barth. — Reg. B præbet, *quisquis proavis et gente superba*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Quisquis proavis.* Attende astutam commemorationem simul et promissionem honorum: sensus enim est: In hac quidem expeditione eximius honos exhibetur, pro ea qua quisque virtute præditus est. Britann.

125. *N. v. t. m. vix agmina cessant.* Reg. B exhibet, *aut agmina cessant*; Reg. C *Nomina: vix timidæ cessant aut agmina matres.* Ed. — *Timidæ matres cessant.* Vix cohibentur ipsæ mulieres quin in bellum ruant. Britann.

126. *Virginea: hic multum steriles damnatus in annos.* Reg. B habet, *Virginea: multum steriles*; Reg. C eamdem lect. Ed. — *Multum steriles.* Abominatio et devotatio ejus, qui vir sit, et non sequatur hunc exercitum; scilicet ut nec senex, nec juvenis quidquam boni ex eo unquam possit provenire. Oblique autem omnia diriguntur ad sensum Achillis. Schol. Vet. — Noster Theb. IV, 183. « Mutos Thamyris damnatus in annos Ore simul. »

128. *P. e. s. nisi provida signo.* Reg B et Reg C habent, *ni provida signo.* — *Exisset stratis.* Toris, quibus sedebat ad mensam. Matth.

130. *Complexa.* Scilicet jungendo ulnas, ut tanquam hospitem honoraret, præberetque animum. — *Hæret.* Firmatur Achilles. Mat.

Ille quidem incepto paullum ex sermone remisit,
Pauca tamen jungens : « At tu tranquillus in alta
Pace mane, carisque para connubia natis,
Quas tibi sidereis Divarum vultibus æquas
Sors dedit : ut me olim tacitum reverentia tangit!
Is decor est, formæ species permixta virili. »
Occurrit genitor : « Quid si Bacchæa ferentes
Orgia, Palladias aut circum videris aras?
Et dabimus, si forte novus cunctabitur Auster. »
Excipiunt cupidi, et tacitis spes addita votis.
Cætera depositis Lycomedis regia curis

132. *Ille quidem incepto paullum ex sermone remisit*. Reg. B, *Ille quoque incepto paulum ex sermone remittit* præbet; Reg. C, *paulum sermone remittit*. Eo. — *Incepto sermone*. De cœpto sermone remittit, non autem sermonem remittit; nam prosequitur, sed non ad cœptum propositum, sed ad aliud, tamen, ne videretur tantummodo respectu filiarum loqui, si his recendentibus finem loquendi fecisset.

133. *P. t. j. At tu tranquillus in alta*. Put. *ait o tranquillus*. — *At tu tranquillus*. Non ideo hæc dixi ut te excitare in bellum velim.

136. *Sors dedit*. *Fors dedit* Dan. Petav. — Regg. B et C hanc lect. exhibent. En.

137. *Is decor est, formæ species permixta virili*. *His decor est formæ species* Lang. Dan. Petav. et edd. vett. *Hic decor hæc formæ* Livineius, probante Barthio. — Reg. B exhibet, *Is decor*, et *formæ species*; Reg. C eamdem lect. Eo. — *Virili*. Quod aliquod virile habent, ut Amazones videantur, non mollitiei muliebri tantum deditæ, sed quasi malis animi studiis virilibus aptæ, tanquam aliquid virile saperent, quod præcipue propter Achillem dicit. Maturant.

138. *Occurrit*. Sermone obviam procedit. — *Quid*. Scilicet diceres? et est figura quæ dicitur κατὰ τὸ σιωπώμενον : per silentium et taciturnitatem aliquid dicitur, vel innuitur : σιωπάω, σιωπῶ, *taceo* significat, unde participium a passivo, etc. Maturant. — *Bacchæa ferentes Orgia*. Per *Bacchæa orgia* intelligit plurima in orgiis gestari solita, ut vas plenum vino, vitex, vas ficubus plenum, aliaque. Ferebantur et Neurospasta, id est, simulacra nervis mobilia. Vide Plutarchum de Avaritia.

141. *Excipiunt cupidi*. *Excipiunt avidi* Lang. Laur et Venett. *Espliciunt placide* Exc. Burg. — *Excipiunt*. Scilicet promissa. Britann. — *Spes addita vatis*. Quia curabant ibi stare aliquandiu, quo possent Achillem detegere ; quare causam a rege ipso oblatam sibi accipere non dubitant Ulixes et Diomedes. Maturant.

Tranquilla sub pace silet, sed longa sagaci
Nox Ithaco : lucemque cupit, somnoque gravatur.
Vix dum exorta dies, et jam comitatus Agyrta
Tydides aderat, prædictaque dona ferebat.
Nec minus egressæ thalamis Scyreides ibant
Ostentare choros, promissaque sacra verendis
Hospitibus : nitet ante alias regina comesque
Pelides : qualis Siculæ sub rupibus Ætnæ
Naides Ennæas inter Diana, feroxque
Pallas, et Elysii lucebat sponsa tyranni.

143. *Pace.* Alii legunt *nocte.* — *Longa.* Cupienti diem. Maturant.

144. *Somno.* Id est, nocte, ne contrarius sibi sit auctor. Matur.

145. *Vix dum exorta dies, et jam comitatus Agyrta. Vix exorta dies* Exc. Burg. Petav. — Reg. B habet, *et jam comitatus Agyrte;* Reg. C eamdem lect. Ed. — *Et jam comitatus Agyrta Tydides aderat,* etc. Ut supra præceperat Ulixes vs. 47. « Tu cuncta memento, etc. »

147. *Nec minus egressæ thalamis Scyreides ibant. Scyriades* omnes fere codd. et edd. ante Gronov. — Regg. B et C *Nec minus egressæ thalamo* præbent. Ed. — *Scyreides.* Puellæ regiæ.

148 *Promissaque sacra.* Vide supra vs. 140.

149. *Regina.* Deidamia. — *Comesque Pelides.* Achilles.

150. *Pelides : qualis siculæ sub rupibus Ætnæ.* Reg. B habet, *quales siculæ;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Qualis.* Hæc comparatio sumitur de rapina Proserpinæ, quod tempore quo rapta est, Juppiter jussit Veneri et Palladi et Dianæ adesse ibi. Unde Claudianus, de Rapt. Proserp. XXXIII, 227 et sq. « Accelerat præcepta Venus, jussuque parentis Pallas, et infelix terret quæ Mænala cornu, Addunt se comites. » Maturant. — *Siculæ Ætnæ.* Ætna mons Siciliæ, quem prope rapta est Proserpina.

152. *Sponsa tyranni.* Hoc est, Proserpina uxor Plutonis; nam Pluto, quum ex Inferis ad Superos egressus esset, fundamenta Siciliæ inspecturus (quæ tunc Typheo superimpositam insulam abjicere conante aperiebantur, et lucem usque ad Inferos mittebant), Proserpinam in Campis Ætneis flores legentem conspexit; eamque ad Inferos ductam matrimonio sibi conjunxit. Solinus vero scribit in Sicilia campum Ætneum esse floridum et semper vernantem, ubi et demersum foramen adspicitur per quod Ditem ad raptum Proserpinæ exeuntem fama est habuisse lucem : omitto quæ ab Eusebio, Augustino, et Varrone traduntur de Proserpina. Britann. — *Elysii.* Ab Elysiis campis. — *Sponsa.* Proserpina. Addit Poeta Proserpinæ comites Dianam et Palladem, quia hæ Deæ ibi aderant jussu Jovis, quum Proserpina a Plutone rapta est.

Jamque movent gressus, thiasisque Ismenia buxus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulsant
Terga manu, variosque quater legere recursus.
Tunc thyrsos pariterque levant, pariterque reponunt,
Multiplicantque gradum, modo quo Curetes in actu,
Quoque pii Samothraces eunt: nunc obvia versæ

153. *J. m. g. thiasisque Ismenia buxus.* Reg. B præbet, *thiasisque in mœnia buxus;* Reg. C nostram lect. En. — *Ismenia.* Thebana, ab Ismeno Bœotiæ fluvio. — *Buxus.* Tibia buxea.

154. *S. d. q. æ. R. quater Evia pulsant.* Reg. B habet, *quater entea pulsant.* — *Æra Rheæ.* Id est, qualibus utebantur Rheæ, seu Cybeles sacerdotes in ejus sacris. — — *Evia Terga.* Tympana, quorum usus in Bacchi sacris: nam Bacchus *Evius* dictus est.

155. *Terga.* Tympana, *ἀπὸ τύπτω, verbero.* Maturant. — *Varios recursus.* Quod sæpe una in unum locum ex composito transiret.

156. *Levant.* In altum eodem tempore. — *Reponunt.* Deorsum mittunt. In saltu thyrsos sublevabant, recidentes in terram reponebant.

157. *Multiplicantque.* Accelerant spissius passus, et crebrius movendo. — *Modo quo.* Scribit quomodo varia chorearum ac saltationum genera, apud alias quoque nationes usurpata, exercebantur. — *Curetes.* Populi Cretæ insulæ, Corybantes. Dactyli, Idæi, et Cabiri etiam vocati, ex Ida monte Phrygiæ oriundi. Vide Strabonem lib. X. Idem tradit hos in Græciam trajecisse: tandem ultra Acheloum posuisse sedes, ibique, quum intonsos servarent crines, *Acarnanas* appellatos. Fuere et *Curetes* sacerdotes Rheæ, seu Cybeles. Hi in sacris ejusdem Deæ, furore correpti, certam quamdam saltationis speciem agere solebant, et jactabant capita, aliosque in similem furorem impellebant.

158. *Pii Samothraces.* Samothraces populi Samothraciæ insulæ maris Ægei, Thraciæ adjacentis, eo in tractu, quo Hebrus in mare effunditur. Hæc insula prius Dardania vocata. Dicuntur *pii*, quia rerum divinarum cultores exstitisse produntur. Constat ex historicis miseros illuc confugere solitos propter religionem loci, ut legimus de Perseo Macedoniæ rege, qui victus ab Æmilio in Samothraciam confugit, ut fani religione tutus esset, et discimus ex Epistola Mithridatis, quæ exstat in fragmentis Historiarum Sallustii. Antrum fuit in Samothracia *Zerynthus* dictum, ut refert Nicandri Scholiastes ad Theriaca, Hecate sacrum. Eo confugiebant, qui in magnis periculis versabantur, quibus ubi Hecate et Corybantibus sacrificassent, se liberatum iri credebant. Vide Suidam et Scholiastem Aristophanis in Pace. Horum autem sacrorum ministri in his armisonam quamdam saltationem saltabant. — *Obvia.* Obvie, adverbium.

Pectine Amazonio, modo quo citat orbe Lacænas
Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis.
Tunc vero, tunc præcipue manifestus Achilles,
Nec servare vices, nec jungere brachia curat.
Tunc molles gressus, tunc aspernatur amictus
Plus solito, rumpitque choros, et plurima turbat.
Sic indignantem thyrsos, acceptaque matris
Tympana, jam tristes spectabant Penthea Thebæ.

159. *Pectinè Amazonio.* Turnebus lib. XXVI, cap. 30 « Videtur, inquit, pecten Amazonius chorus fuisse, quo inter se pectinatim implexæ consertæque recta serie puellæ in modum Amazonum saltabant. » Verba illa *recta serie* exprimunt formam illius chori, qui non erat circularis, sed in longum porrectus, et, ut dentes in pectine, ordine recto dispositus. Quam explicationem Turnebi firmare Statius videtur, *pectinem* hunc, seu choream opponendo orbiculari Lacænarum saltationi. Attamen Callimachus in Hymno Dianæ circularem facit Amazonum saltationem: Πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ Στησάμεναι χορὸν εὐρύν. « Primum quidem Amazones cum scutis armatam, inde circularem fecere saltationem. » — *Modo quo citat orbe Lacænas Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis.* Innuit hic Poeta Saltationem, quam patrio ritu Lacænæ celebrabant in honorem Dianæ apud Caryas vicum Laconiæ. Nulli enim Veterum dicunt hanc saltationem Amyclis actam. Sed mos poetarum unum locum pro alio sumere. Vide quæ diximus ad hunc versum Theb. IV, 225. « Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ. »

160. *Intorquet.* Immiscet, et saltando implicat. — *Suis Amyclis.* Nam Amyclæ civitas est Laconiæ, ubi hæc celebrabantur, tota autem regio Menelai imperio subdita.

162. *N. s. v. nec jungere brachia curat.* Reg. B exhibet, nec *brachia jungere curat;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Vices.* Saltationum alternationes. Bernart.

165. *Sic indignantem thyrsos, acceptaque matris.* « In uno, eoque fere optimo, libro legitur litera minus, *matri.* » Barth. — *Sic indignantem.* Ita, inquit, se habebat Achilles in neglectu saltationis, ut Pentheus, quum Bacchi sacrificia contemsit. Nam Pentheus Echionis et Agaves filius, Thebarum rex, Liberi patris sacra contemnens, quum eo accessisset, ubi illa celebrabantur, ab Agave matre temulentia et furore percita, interemtus est, unde a luctu sortitus est nomen: nam πένθος significat *luctum*. Pagus autem, ex quo Pentheus deductus, at discerptus fuit, Scolus appellatur, in ora Asopia, ad radices montis Citheronis, auctores sunt Strabo et Plinius Hist. Nat. IV, 12, 2. Ed.

166. *T. j. tristes spectabant Penthea Thebæ.* Venett. 3, 4, cum nonnullis codd. *jam truces.*

Solvuntur laudata cohors, repetuntque paterna
Limina, ubi in mediæ jamdudum sedibus aulæ
Munera, virgineos visus tractura, locarat
Tydides, signum hospitii, pretiumque laboris;
Hortaturque legant, nec rex placidissimus arcet.
Heu simplex, nimiumque rudis, qui callida dona,
Graiorumque dolos, variumque ignorat Ulixem!
Hinc aliæ, quas sexus iners, naturaque ducit,
Aut teretes thyrsos, aut respondentia tentant
Tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis:
Arma vident, magnoque putant donata parenti.
At ferus Æacides, radiantem ut cominus orbem
Cælatum pugnis sævis, et forte rubentem

167. *Laudata.* Laudantur prius, quod recte omnia fecerint, deinde dimittuntur. VET. SCHOL.

170. *Hospitii.* Hoc apud antiquos maxime observabatur, ut hospites tam recipiens quam receptus invicem donarentur, ut Virgilius Æneam apud Didonem, et alias apud Acestem inducit; quæ dona ξένια vocabantur, id est, hospitalia: ξένιος, hospitalis, unde Ζεὺς ξένιος, *Juppiter hospitalis.* — *Laboris,* saltationum. MATURANT.

172. *Rudis.* Quia non cognoscebat causam donorum.

173. *Graiorumque dolos variumque ignorat Ulixem!* Regg. B et C *variumque ignoret Ulixem* exhibent. ED. — *Varium.* Πολύτροπον Homerus; quod Horat. *duplicem* vertit: « Et cursum duplicis per mare Ulyxei. » *Varius* hominem ambiguæ fidei et versipellem designat. BARTH.

174. *Hinc aliæ, quas sexus iners.* Reg. B *hic aliæ, qua sexus inest;* præbet; Reg. C *hic aliæ, quas sexus iners.* ED.

175. *Respondentia.* Sonantia, quod pulsata reclament. MATUR.

177. *Arma vident, magnoque putant donata parenti.* Petav. *patri donata putabant.* — *Arma.* Quæ tamen propter Achillem posita erant.

178. *At ferus Æacides.* Bellorum; nam in his versatus erat, unde sanguis in eo cernebatur. MATURANT. — *Radiantem ut cominus orbem.* Orbis pro clipeo apud Virg. Æn. X, 546 et 783. Confer. Petronii Trojæ Halos. vs. 61, Poet. Lat. Min. nostr. edit. tom. III, p. 656.

179. *Cælatum pugnis sævis, et forte rubentem.* « *Cælatum pugnas, sævis et forte* eleganti Græcismo vetustus codex exhibet: vulgati *pugnis.* » Dan. Heins. ad Claudian. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. IV, ita quoque codd. Lindenbrogii. *qui forte nitebat* Exc. Burg. — Regg. B et C *Cælatum pugnas, sævis et forte rubebat* habent.

Bellorum maculis, acclinem et conspicit hastam;
Infremuit, torsitque genas, et fronte relicta
Surrexere comæ : nusquam mandata parentis,
Nusquam occultus amor, totoque in pectore Troja est.
Ut leo, materno quum raptus ab ubere mores
Accepit, pectique jubas, hominemque vereri
Edidicit, nullasque ruit nisi jussus in iras;
Si semel adverso radiavit lumine ferrum,
Ejurata fides, domitorque inimicus; in illum
Prima fames, timidoque pudet servisse magistro.
Ut vero accessit propius, luxque æmula vultum
Reddidit, et similem tandem se vidit in auro,
Horruit, erubuitque simul : tunc acer Ulixes
Admotus lateri submissa voce : « Quid hæres?

180. *Bellorum maculis, acclinem et conspicit hastam.* Reg. B et Reg. C habent, *Bellorum maculis acclinem conspicit hastæ.*

181. *Genas.* Oculos, ut sæpe Papinius. — *Relicta.* Alii *reducta.*

182. *Nusquam mandata parentis.* Subaudi, sunt, id est, mandata matris omnino obliviscitur, quæ jusserat eum habitu femineo illic delitescere. BRITANN.

182. *Nusquam occultus amor.* Non amplius, inquit, recordatur amoris secreti Deidamiæ suæ, sed tota mens est circa bellum Iliense. BRIT. — Vide p. 333, t. I Stat.

184. *Ut leo, materno quum raptus ab ubere mores.* Ald. Colin. et Basil. *tum raptus.* — *Ut leo.* Hac comparatione ostendit, ita ad res bellicas Achillem excitari armorum adspectu, ut leo jam mansuetus in cædem irritatur, si domitoris arma sibi minantia adspexit. BRITANN.

186. *Edidicit, nullasque ruit nisi jussus in iras.* Dan. Petav. et Exc. Burg. *rapi nisi*, Exc. Burg. *in aras.* — Reg. B habet hanc lect. Reg. C nostram. ED.

188. *Ejurata fides. Ejurare* dicimus et omne id, quod quum ante habuerimus et præ nobis tulerimus, abjicimus et omittimus. Ut « ejurare bonam copiam, liberos, parentes, patriam : » et sic *fidem.* Multi, *it jurata fides.*

189. *P. f. timidoque pudet servisse magistro.* Dan. Put. et Petav. *tumidoque juvat servisse;* Exc. Burg. *timidoque pudet servire.* — Reg. B habet, *timidoque juvet servire magistro,* Reg. C, *timidoque pudet servire magistro.* — *Timido.* Qualem experitur leo, quum aggreditur.

191. *Reddidit et similem tandem se vidit in auro.* Reg. B habet, et *simili talem se vidit in auro;* Reg. C, *et simili tandem se vidit in auro.* ED. — *Reddidit.* Ut fit in speculo — *Similem se.* Suam imaginem.

Scimus, ait, tu semiferi Chironis alumnus,
Tu cæli, pelagique nepos : te Dorica classis,
Te tua suspensis exspectat Græcia signis,
Ipsaque jam dubiis nutant tibi Pergama muris.
Eia, age, rumpe moras : sine, perfida palleat Ide,
Et juvet hæc audire patrem, pudeatque dolosam
Sic pro te timuisse Thetin : » jam pectus amictu
Laxabat, quum grande tuba, sic jussus, Agyrtes
Insonuit : fugiunt disjectis undique donis,
Implorantque patrem, commotaque prælia credunt.
Illius intactæ cecidere a pectore vestes.
Jam clipeus, breviorque manu consumitur hasta,
(Mira fides) Ithacumque humeris excedere visus,

194. *Semiferi.* Centauri, quia centauri media parte equi, altera homines.

195. *Cæli.* Jovis. — *Pelagi.* Neptuni. *Nepos* hic pronepos. Et laxiore significatu *nepotes* dicuntur omnes posteri, poetis potissimum. Achilles enim erat pronepos Jovis et Neptuni, quos per *cælum* et *pelagus* Poeta innuit. — *Te Dorica classis.* Respicit ad illud, quod superiori lib. dixit : 473. « Omnis in absentem belli manus ardet Achillem, » etc.

196. *Te tua suspensis exspectat Græcia signis. Te tua sumesis* Exc. Burg. at in margina pro v. l. *suspensis.* — *Suspensis signis.* Dubiis et incertis, quasi quæ nihil audeat te absente, vel *suspensis*, quæ ulterius non procedunt, dum te exspectant.

198. *Eia, age, rumpe moras : sine, perfida palleat Ide.* Reg. B habet, *Eia, abrumpe moras ;* Reg. C, *Eia, rumpe moras.* Ed. — *Sine.* Permitte. — *Palleat.* Timeat et revera. — *Ida.* Apud Trojam, alia apud Cretam : de Trojana intellige. Ide nominativus Græcus ; Ἴδη dicitur quemadmodum Κρήτη, Creta. Ἴδη, η in ε, et in α vertitur. Ide et Ida dicitur. — *Perfida.* Propter Paridem, qui hospitalia jura fregit, in raptu Helenæ. Maturant.

199. *Et juvet hæc audire patrem.* Callide illum incendit ad bellum, affirmans hoc fore jucundum patri ; nam excellentis animi filius ad præclaras virtutes, in gratiam patris, accendi solet. Britann.

200. Vide p. 593, tom. I, Stat.

202. *Fugiunt.* Puellæ regiæ Bait.

204. *Intactæ.* Quasi dicat, sponte vestes cecidere, indignatæ tantam virtutem per eas turpiter occultari. Maturant.

205. *Brevior.* Respectu Thyrsi, qui longior est hasta bellica. — *Consumitur.* Id est, sumitur vel consumitur tractando. Maturant.

206. *Mira fides.* Quasi acclama-

Ætolumque ducem : tantum subita arma, calorque
Martius horrenda confundit luce penates!
Immanisque gradu, ceu protinus Hectora poscens,
Stat medius trepidante domo. Peleia virgo
Quæritur : ast alia plangebat parte retectos
Deidamia dolos, cujus quum grandia primum
Lamenta, et notas accepit pectore voces,
Hæsit, et occulto virtus infracta calore est.
Dimittit clipeum, regisque ad lumina versus,
Attonitum fatis, inopinaque monstra paventem,
Sicut erat, mediis Lycomedem affatur in armis :
« Me tibi, care pater, dubium dimitte timorem,

tio est in ejus magitudinem, qui sumtis armis, visus sit et Ulixe et Diomede longe altior. Baitann. — *Ithacum*. Ulixem.

207. *Æq. d. t. s. arma, calorque*. Exc. Burg. *colorque*; in margine : alias *calorque*. — *Ætolumque ducem*. Diomedem. — *Calor Martius*. Furor et armorum cupiditas. Baitann.

208. *Confundit*. Quod tanta erat lux, et adeo erat inflammatus ipse, ut tota ipsius domus esset attonita præsentia, et visus est jam major Ulixe et Diomede. Matuhant.

209. *Iq. g. c. p. hectora poscens*. *Hectora poscat* Exc. Burg.

213. *Lamenta et notas*. Exc. Burg. *et natas*. — Reg. B habet, *Amenta et notas*; Reg. C nostram lect. Ed.

214. *H. e. o. v. infracta calore est*. Petav. et Exc. Burg. *dolore*. — *Infracta*. Valde fracta. Virgilius, Æn. XII, 1. « Turnus ut infractos adverso Marte Latinos. »

215. *D. c. rq. ad lumina versus*, Codd. Lindenbrogii : *limina versus*.

216. *Attonitum fatis, inopinaque monstra paventem*. Reg. B habet, *Attonitum factis*; Reg. C, *inopinaque monstra timentem*. Ed. — *Inopinaque monstra*. Sic superiori libro de Deidamia, v. 662 : « Obstupuit tantis regina exterrita monstris. »

217. *Sicut erat, mediis Lycomedem affatur in armis*. Reg. B præbet, *nudis Lycomedem affatur in armis*; Reg. C nostram lect. Ed.

218. *M. t. c. p. dubium dimitte timorem*. Reg. B habet, *dubium dimitte pavorem*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Me tibi care pater*. Mira arte composita est oratio ad iram regis minuendam; nam ea omnia proponit, quibus molestum esse non debet regi, si filia ab se compressa sit, quum ab Diis originem ducat. Deinde puellam excusat ab imbecillitate sexus, omnem culpam in vires suas transferens. — *Care pater*. Patrem appellando, multum ponderis attulit ad mitigationem. — *Dubium dimitte timorem*. Quasi rex metueret, ne is non esset, quem

Me Thetis alma dedit : te pridem tanta manebat
Gloria : quæsitum Danais tu mittis Achillem,
Gratior et magno, si fas dixisse, parente,
Et dulci Chirone mihi : sed corda parumper
Huc adverte libens, atque has bonus accipe voces.
Te Peleus nato socerum, et Thetis hospita jungunt,
Allegantque suos utroque a sanguine Divos.
Unam virgineo natarum ex agmine poscunt.
Dasne? an nos humiles tibi degeneresque videmur?
Non renuis : junge ergo manus, et concipe fœdus,
Atque ignosce tuis : tacito jam cognita furto
Deidamia mihi : quis enim his obstare lacertis,

sibi Tethis servandum cum puellis suis tradiderat, ergo : *dimitte timorem*. Britann.

219. *Me Thetis alma dedit*. Regg. B et C, *Me dedit alma Thetis*. Ed. — *Tanta gloria*. Juveniliter gloriatur, ex aliorum de se æstimatione.

221. *Gratior et magno (si fas dixisse) parente*. *Gratior es* Petav. et vetus codex Bernartii. — Reg. B habet, *si fas dixisse parentem*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Gratior*. To gratior mihi ipso Peleo patre et Chirone, hoc enim plurimum potuit lenire ejus iracundiam. Britann. — *Gratior*, etc. Cur non audiam veterem, egregia emphasi : *Gratior es magno?* Bernart. — *Parente*. Peleo. — *Fas dixisse*. Quia a patre, eo quod esse habeamus, maxime omnium debemus. Maturant.

222. *Chirone*. Qui fuit præceptor qui loco patris habetur, unde Alexander solitus erat dicere se magis debere Aristoteli, quam Philippo, quod a patre esse tantum, a præceptore bene esse accepisset.

224. *Te Peleus nato socerum*. Reg. B præbet, *Peleus te nato socerum*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Te Peleus nato socerum*. Certifico te, quod volente patre et matre mea tu socer mihi es, et ego sum gener tibi. Vet. Schol.

225. *Utroque a sanguine*. Nereum scilicet a sanguine materno, Jovem vero a sanguine paterno.

227. *Dasne? an nos humiles*. Reg. B habet, *Dasne? angens humiles*; Reg. C, *Dasne age, an humiles*. Ed. — *Degeneresque videmur?* Quasi dicat, non videmur degeneres. Britann.

228. *Non renuis : junge ergo manus*, etc. Silentium, et habitum Lycomedis, vultumque non aversum pro consensu accipit Achilles, eoque pignus ejus dextram flagitat.

230. *D. m. quis enim his obstare lacertis*. Reg. B habet, *quid enim his obstare lacertis*; Reg. C eamdem lect. Ed. — *Quis his obstare lacertis*. Ab imbecillitate sexus puellam excusat, omnem in se culpam transferens. Britann.

Quæ potuit nostras possessa evadere flammas?
Me luere ista jube : pono arma, et reddo Pelasgis,
Et maneo : quid triste fremis? quid lumina mutas?
Jam socer es : (natum ante pedes projecit, et addit :)
Jamque avus : immitis quoties tractabitur ensis,
Turba sumus. » Tunc et Danai, per sacra fidemque
Hospitii, blandusque precum compellat Ulixes.
  Ille, etsi caræ comperta injuria natæ,
Et Thetidis mandata movent, prodique veretur

231. *Quæ potuit nostras possessa evadere flammas?* Put. *repellere flammis.* — Reg. B præbet, *Qua potuit nostras possessa repellere vires?* Reg. C *Qui potuit nostras obsessa evadere flammas.* Eo. — *Flammas.* Amores et amplexus. Britann.

232. *Me luere ista jube.* Avertit noxam ab coacta in se auctorem delicti : nam supra puellam excusat ab imbecillitate sexus. — *Pono arma.* Quasi paratus ad dandas pœnas.

233. *E. m. q. t. f. quid lumina mutas?* Exc. Burg. *quid lumina torques.* — Reg. B habet, *quid lumina mutus;* Reg. C nostram lect.

234. *J. s. e. natum ante pedes projecit et addit.* Put. *prostravit et addit.* — Reg. C præbet hanc lect. Reg. C nostram. Eo. — *Natum.* Pyrrhum, qui hactenus occultus fuerat.

235. *Jq. a. i. quoties tractabitur ensis.* In eodem Put. codice : *iterabitur ensis.* — Reg. B exhibet hanc lect. Reg. C nostram Eo. — *Jamque avus.* Subaudi, a superiore, es, quasi qui hoc sæpe cupiveris, ut supra, v. 109 : « Quando novos dabit hæc mihi turba nepotes. » Britann. — *Immitis quoties tractabitur ensis Turba sumus.* Id est, si summas arma contra nos ad vindicandam injuriam tibi factam, jam turba sumus ad petendam veniam; præsertim Pyrrhus qui innocens est. Britannicus vero sic interpretatur : Securitatem regni socero promittit, quum dicat jam genus auctum esse. Est enim sensus : Multi quidem erimus, si quando in nos arma movebuntur, ut facile nos tueri possimus.

237. *H. bq. p. compellat Ulixes.* Reg. B habet, *compellit Ulixes;* Reg. C nostram lect. Eo.

238. *Etsi caræ comperta injuria natæ.* Etsi, inquit, multa erant, quæ regi Lycomedi suadebant Achillem continendum esse domi, et quod filiæ vis illata ab eo jam cognita erat, et quod Thetis oraverat ne eum a se amitteret, tamen fatis adversari non est ausus, quæ Achillem ad bellum destinaverant. Injuria comperta, cognita, quæ postulabat ei ab uxore non esse discedendum. Britann.

239. *E. T. m. m. prodique veretur.* Exc. Burg. *prodique videtur.* — Regg. B et C hanc lectionem exhibent. Eo. — *Thetidis mandata.* Nam Lycomedi indixerat ne

Depositum tam grande Deæ, tamen obvius ire
Tot metuit fatis, Argivaque bella morari.
Fac velit : ipsam illic matrem sprevisset Achilles.
Ne tamen abnueret genero se jungere tali,
Vincitur : arcanis effert pudibunda tenebris
Deidamia gradum, veniam nec protinus amens
Credit, et opposito genitorem placat Achille.
  Mittitur Hæmoniam, magni qui Pelea facti
Impleat, et classem comitesque in prælia poscat.
Nec non et geminas regnator Scyrius alnos
Deducit genero, viresque excusat Achivis.

a se abire pateretur, sed inter puellas suas aleret, ut lectum est, sup. Achill. I, 359. « Intus ale, et similes inter seclude puellas : Litore præcipue portuque arcere memento, Vidisti modo vela Phrygum. » Britann.

241. *Fatis.* Nam Deorum voluntate hæc omnia tam mirifica accidere videbat. Vet. Schol.

242. *Fac velit.* Occurrit, quæ posset fieri objectioni. Si, inquit, ipsa mater filium domi continere voluisset, filius matris obedientiam abjecisset, quasi dicat non mirum esse si a Lycomede retentus non sit. — *Fac velit.* Subaudi, retinere. — *Ipsam.* Emphasim habet, quasi quæ filio legitima quadam ratione imperare potest. Brit.

243. *Ne tamen abnueret.* Reg. B et C, *Nec tamen abnueret* præbent. Ed. — *Abnueret genero se jungere tali.* Quamvis injuria affectus videretur Lycomedes, non tamen talem generum repudiandum censebat.

244. *Vincitur.* Æquior fit in Achillem. — *Pudibunda.* Peccantis naturam expressit. Britann.

245. *D. g. veniam nec protinus amens.* Codd. Lindenbrogii : *veniæ.* — *Veniam nec protinus amens Credit.* Subaudi esse datam, et ideo placat patrem. Britann.

246. *Opposito Achille.* Id est, intercedente, vel objecto, quasi in eum vim noxamque omnem transferens.

247. *M. H. magni qui Pelea facti.* Regg. B et C, *magnis qui Pelea factis* præbent. Ed. — *Mittitur Æmoniam.* Deest *ad*, ut sit ad Æmoniam, hoc est, Thessaliam, de qua superius multa diximus. — *Magni facti.* Magnum factum appellat, et quod gener factus sit regis Lycomedis, et ab universa Græcia in bellum poscatur. Britann.

249. *Regnator Scyrius.* Lycomedes. — *Alnos.* Modicas naves, armatis militibus instructas. Schol.

250. *Deducit.* Proprie locutus est : nam *deducere* est de terra in aquam ducere. Virgilius Æneid. III, 71 : « Deducunt socii naves, et litora complent. » *Subducere* vero est de aqua in terram. Virgilius Æn. I, 573 : « subducite naves. »

Tunc epulis consumta dies, tandemque receptum
Fœdus, et intrepidos nox conscia jungit amantes.
Illius ante oculos nova bella, et Xanthus, et Ide,
Argolicæque rates : atque hæc jam cogitat undas,
Auroramque timet : cara cervice mariti
Fusa novi, lacrimas jam solvit, et occupat artus.
« Adspiciamne iterum, meque hoc in pectore ponam,
Æacide? rursusque tuos dignabere partus?
An tumidus Teucrosque lares, et capta reportans
Pergama, virgineæ nolis meminisse latebræ?

— *Viresque excusat Achivis.* Impotentiam suam, seu quod non possit plures naves mittere.

251. *Tunc epulis consumta dies, tandemque receptum.* « In uno manu exarato libro voculæ tandem superscriptum *tholamn;* in altero *tædis.* » Barth. — Reg. B habet, *tandemque retectum;* Reg. C nostram lect. Ed. — *Consumta dies.* Nun quod tota die epulis incubuissent, sed quod in uccasu solis cænassent more majurum, qui ita soliti sunt in uccasu cœnare, quum tantum in die cibum semel sumerent. — *Receptum.* Inter Achillem et Deidamiam. Maturant.

252. *Fœdus, et intrepidos nox conscia jungit amantes.* « Et hic maculatum puto Papinium, nun enim *nox*, sed *fax*, præferunt eædem membranæ. » Barth. — Reg. B habet, *intrepidos nox cunjungit amantes;* Reg. C *nox conscio vinxit omantes.* Ed. — *Fœdus.* Connubii. — *Intrepidos.* Tunc qui antea semper cum timore juncti fuerant.

253. *I. o. n. n. b. et Xanthus, et Ide.* Edd. vett. cum multis codd. *Ida.* — *Illius.* Decorum, tanquam fortem virum inducit Achillem cogitantem de armis et Troja, Deidamiam timentem adventum diei quo abiturus erat Achilles. — *Xanthus.* Fluvius est Troadis Simoenti junctus, qui in purtum Achæurum influit. Britann.

254. *Aq. r. atque hæc jom cogitat undas.* Reg. B habet, *atque ipsas cugitat undas;* Reg. C nostram lect. Ed.

256. *Fusa novi. Fessa* Exc. Burg. — *Occupat ortus.* Complectitur.

257. *Adspiciamne iterum. Adspiciom te iterum* scribendum putat Barthius cum scriptis. — *Ponam.* Amplexandu te.

258. *Æacide? rursusque tuos dignobere partus?* Exc. Burg. *rursusque meos.* — Regg. B et C, *rursusque tuos dignabere portus;* exhibent. Ed. — *Partus.* Pyrrhum, invisesne unquam filium, saltem si me invisere nolueris?

259. *An tumidus Teucrosque lares.* Exc. Burg. *An tumidosque lares Teucros.*

260. *P. v. nolis meminisse latebræ.* Reg. B habet, *noles meminisse latebræ;* Reg. C nostram lect. Ed.

Quid precer, heu, timeamve prius? quidve anxia mandem,
Cui vix flere vacat? modo te nox una deditque,
Inviditque mihi. Thalamis hæc tempora nostris?
Hicne est liber Hymen? o dulcia furta, dolique,
O timor! eripitur miseræ permissus Achilles.
I, neque enim tantos ausim revocare paratus,
I, cautus, nec vana Thetin timuisse memento.
I felix, nosterque redi: nimis improba posco.
Jam te spectabunt lacrimis planctuque decoræ
Troades, optabuntque tuis dare colla lacertis,

— *Latebræ*. Quod nolis unquam mei meminisse, apud quam more muliebri latueris, tanquam hoc dueas tibi dedecori. Maturant.

261. *Quid precer, heu, timeamve prius? quidve anxia mandem?* Heu precor? heu timeamne edd. vett.

262. *Cui vix flere vacat?* In iisdem Exc. *flere licet*.

263. *Thalamis nostris*. Id est matrimonio nostro. Nam Thalamus proprie dicitur novæ nuptæ cubiculum. Britann.

264. *Hicne est liber Hymen*. *Hic eine liber* codd. Lindenbrogii. — *Hicne est liber Hymen*. Quasi dicat, matrimonium quidem liberum nobis non est, quum non liceat nobis frui eo. Nam Hymen, sive Hymeneus apud antiquos nuptiarum Deus habebatur, isque in nuptiis invocabatur. Ovidius, E. VI, 44: « Affuit, et sertis tempora vinctus Hymen. » — *O dulcia furta*. Acclamatio Poetæ, quasi qui misereatur amoris puellæ. — *Dulcia furta*. Dulces concubitus. Britann.

265. *O timor! eripitur miseræ permissus Achilles*. Regg. B et C, *O timor, abripitur miseræ permissus Achilles* habent. Ed. — *Permissus*. Id est, postquam sancte et juste illo frui concessum est.

267. *Timuisse memento*. Nam de salute filii matrem fuisse anxiam testatus est Poeta superius: « Namque modo infensos utero mihi contuor enses, Nunc planctu livere manus, modo in ubera sævas Ire feras. » Britann.

268. *I. f. nq. r. nimis improba posco*. Barthius malit: *nisi si improba*. — *Improba*. Insanabilia. Morem ac decus muliebre optime servat, quasi dicat, scio quod peto nimis magna, quoniam videbunt te illæ Trojanæ, et cupient; et tu facies potestatem tui: unde nimis improba posco, quum velim te reverti meum. Maturant.

269. *Jam te spectabunt*. Reg. B habet, *Jam te sperabunt*; Reg. C nostram lect. Ed. — *Lacrimis decoræ*. Quæ pulchriorem faciunt mulierem, lacrimæ fecere decorem.

270. *T. o. q. t. dare colla lacertis*. In uno codice Barth. ut et Lindenbrogianis: *colla cathenis*. — Reg. B habet, *dare colla catenis*; Reg. C nostram lect. Ed.

Et patriam pensare toris : aut ipsa placebit
Tyndaris, incesta nimium laudata rapina.
Ast ego vel primæ puerilis fabula culpæ
Narrabor famulis, aut dissimulata latebo.
Quin age, duc comitem : cur non ego Martia tecum
Signa feram? tu pensa manu, Bacchæaque mecum
Sacra, quod infelix non credet Troja, tulisti.
Attamen hunc, quem mœsta mihi solatia linquis,
Hunc saltem sub corde tene : et concede precanti
Hoc solum, pariat ne quid tibi barbara conjux,
Ne qua det indignos Thetidi captiva nepotes. »
Talia dicentem non ipse immotus Achilles

271. *Et patriam pensare toris. Et pensare toris primam* Exc. Burg. — *Pensare patriam toris*. Id est, compensare, et rependere, id est, non pigebit eas reliquisse patriam, modo matrimonio tibi jungantur.

272. *Tyndaris, incesta nimium laudata rapina*. In iisdem Excurs. Burg. *incerta nimium*. — *Tyndaris*. Helena Tyndari filia. — *Nimium laudata incesta rapina*. Astute eam in contemtum et odium trahit, dicendo nimium laudatam turpi rapina et turpi scelere. Brit.

273. *Ast ego vel primæ*. Sensus est : Tunc me mulieribus captivis narrabis, ut fabulam puerilem, id est, dices me simplicitate quadam puellari a te primo concubitu compressam esse. Britann.

275. *Cur non ego Martia tecum*. Occurrit Achilli qui dicere potuisset eam ad arma ferenda non esse aptam. Ait ergo : Cur ego minus ad hæc apta sum, quam tu fuisti ad lanas, et alia officia muliebria.

276. *S. f.? tu p. m. Bacchæaque mecum*. *Bacchæaque tecum* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. — Reg. B habet, *Signa feram, tu thyrsa manu, Baecheaque mecum*.

277. *N. c. Troja*. Quia videbit cum damno suo heroica tua facta.

278. *Mœsta solatia*. Dicit hoc Pyrrhum patri ostentans. Ex illo Maronis solatiorum mentionem trahens Æn. IV, 328 et sq. : « Si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret, Non equidem omnino capta aut deserta viderer. » Barth.

279. *Hunc saltem sub corde tene : et concede precanti*. *Hunc sub corde tene et misere concede precanti* Venet. *et concede roganti* nonnulli codd. Lindenbrogii. — *Hunc saltem sub corde tene*. De hoc verbo *tenere* conf. notata ad Avien. Descript. Orbis Terræ V, 413, ad quem versum illustrandum adductus est Nostri locus; Poet. Lat. Min. nost. edit. tom. V, p. 182.

280. *H. s. p. n. q. t. barbara conjux*. Reg. B habet, *barbara conjunx*. — *Barbara*. Græci alias gentes barbaras vocabant.

Solatur, juratque fidem, jurataque fletu
Spondet, et ingentes famulas, captumque reversus
Ilion, et Phrygiæ promittit munera gazæ.
Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.
  Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitorque coruscæ
Lucis, adhuc hebetem vicina nocte, levabat,
Et nondum excusso rorantem lampada ponto.

283. *Fletu.* Quasi fletus spondeat, id est, sit fidejussor promissionis; nam quum juraret, et juramento accederent lacrimæ, hæ visæ sunt dare majorem fidem et robur juramento; spondere enim est pro alio promittere, ut fidejussores faciunt. MATURANT.

284. *Captum Ilion.* Id est, prædam e capto Ilio seu Troja.

285. *I. e. P. promittit numera gazæ.* Reg. B præbet, *promittit numera pugnæ.* ED. — *Gazæ.* Vocabulum persicum significat divitias.

286. *Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.* Bernardinus Cyllenius ad Tibull. III, 6, hunc versum citat ita : *Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.* At neque codd. nec libri impressi quidquam mutant. Hic in Lindenbrogianis legitur : « Explicit Achilleidos liber quartus. » Deinde sequitur hoc libri quinti Argumentum :

Navigat ad Trojam Quinto fatalis Achilles
Dardaniæ : memoratque Ithacus primordia belli.
Ille sed OEnidem vitæ morumque docebat
Cruda rudimenta, dederat quæ semivir acer,
Et Laertiaden, fluctus sulcante carina.

Hi vero versus exstant in Exc. Burg.

Mox jubare exorto (*ita deficit*) complesibus axit
Conjugis et divis pelagi de more limotrato (*ita abundat*)
Navigat Æacides oculos ad mœnia vertit
Fractus amore delos (*lege* dolos) maternos damnat Ulises
Explicat et jussus moveat cur Græcia bellum
Pellidesque suæ narrat priordiaa (*lege* primordia) vitæ.

Pro *limotrato* legendum *litato* ex vs. 298, 299, de cæteris non liquet. — In Reg. B post hunc versum legitur : « Incipit liber secundus. » In Reg. C legitur : « Incipit liber quintus. » — *Rapiebant.* Venti ferebant illa verba; nam habitura effectum non erant ea verba, quum moriturus Achilles esset in bello Trojano, unde reverti non posset. MATUR. — Catull. Carm. LXIV, Epithal. Pelei et Thetidos, V, 142 : « quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti. » Multa in hanc sententiam collegit exempla Cerda ad Virg. Æneid. IX, 313. ED.

287. *Exuit implicitum.* Hac parte Achillis navigatio ad Trojam continetur. More poetarum adventum diei describit, quum de nocte nulla sit facta mentio. BRITANN.

289. *Hebetem lampada.* Causam subjungit, quare hebetem, propter vicinitatem scilicet noctis. BRITANN.

290. *Nondum.* Conjunge cum *excusso ponto.* Unde putatur oriri, opinione vulgari. BRITANN.

Et jam punicea nodatum pectora palla,
Insignemque ipsis quæ prima invaserat armis
Æaciden (quippe aura vocat, cognataque suadent
Æquora) prospectant cuncti, juvenemque, ducemque
Nil ausi meminisse, pavent : sic omnia visu
Mutatus rediit, ceu, nunquam Scyria passus
Litora, Peliaco raptus descendat ab antro.
Tunc ex more Deis, ita namque monebat Ulixes,
Æquoreis, Austrisque litat, fluctuque sub ipso
Cæruleum regem tauro veneratur, avumque

291. *E. j. p. nodatum pectoro palla.* Exc. Borg. et edd. vett. *nudantem pectora.* — Reg. B habet, *nudatum pectoro pollo.* Ed. — *Nodotum pectoro palla.* Emendatio a libris veteribus est. Vulg. *nudatum.*

292. *Iq. i. quæ prima invaserat armis.* In iisdem Exc. Burg. *quæ modo invoserat.* — *Primo.* Nam antea apud Chironem nunquam arma gestaverat, unde illa prima arma fuerant. Matthant.

293. *Quippe.* Ratio quare ita summo mane adesset thalamo Achilles. — *Cognota æquora.* Et placidum erat mare et venti commode spirabant. Vet. Schol. Et *cognata*, quasi per Thetidis favorem ipsi obsecundarent. Schol.

295. *Nil ausi meminisse.* Muliebris vestis, qua Achillem indutum viderant.

296. *Mutatus rediit.* Ita, inquit, in conspectum omnium venit omnibus mutatis, ceu nunquam illic fuisset, sed ex Thessalia eo venisset.—*Nunquam passus.* Habitando.

297. *Litora Peliaco raptus descendat ab ontro.* Exc. Burg. *discebat ob ontro.* — Reg. B habet, *Peliacoque rates exscendot ab antro.* Ed. — *Pelioco.* In quo educatus fuerat a Chirone.

298. *T. e. m. D. (ita nomque monebot Ulixes.)* In iisdem Exc. Burg. : *monebat Achilles.* — *Tunc ex more Deis Æquoreis Austrisque litat.* Ex more scilicet navigantium, qui Diis marinis et ventis litabant vino, et extis taurinis. Virgilius, Æn. V, 235 et sqq. « Di quibus imperium Pelagi, quorum æquora curro, Vobis lætus ego candentem in litore taurum Constituam ante aras voti reus, extaque salsos Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam. »

299. *Æquoreis, Austrisque litot.* Reg. B habet, *Æquoribus Austrisque litat.* Ed. — *Fluctusque sub ipso.* Id est, qua fluctus allnit.

300. *Cæruleum regem.* Neptunum. — *Tauro veneratur.* Virgilius, Æn. III, 119 : « Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo. » Hinc enim (ut scribit Plinius) opimæ victimæ, et laudatissima Deorum placatio. — *Avumque Nereo.* Nam Nereus erat pater Thetidis matris Achillis.

Nerea : vittata genitrix placata juvenca est.
Hic spumante salo jaciens tumida exta profatur :
« Paruimus, genitrix, quanquam haud toleranda jubebas,
Paruimus nimium, bella ad Trojana ratesque
Argolicas quæsitus eo. » Sic orsus, et alno
Insiluit, penitusque Noto stridente propinquis
Abripitur terris : jamque ardua crescere nubes
Incipit, et Scyros longe decrescere ponto.
  Turre procul summa, lacrimis comitata sororum,
Confessumque tenens, et habentem nomina Pyrrhum,
Pendebat conjux, oculisque in carbasa fixis

301. *N. v. g. p. juvenca est.* Reg. B habet, *placata juvenca*. En. — *Vittata genitrix placata juvenca.* Ita ex more inaurabantur victimæ cornua, et vittis ornabantur.

302. *Spumante salo jaciens tumida exta.* Virgilius supra : « Extaque salsos Porriciam in fluctus. » Sic Scipio apud Livium procedens in Africam, dum Diis maris sacrificat, exta in mare jacit.

305. *Quæsitus eo.* Discessum suum excusat, ne matris obedientiam contemsisse videatur. — *Quæsitus.* Ab Ulixe et Diomede, ita universa Græcia jubente. — *Sic orsus.* Id est, finivit hoc loco loqui, alias incepit loqui, ut Æn. II, 2. « Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto. » Britann.

307. *Abripitur terris, jamque ardua crescere nubes.* Reg. B habet, *Arripitur terris, et jam ardua ducere nubes.* Ed. — *Ardua crescere nubes.* Quia vapores elevantur supra mare, et nubes efficiunt, quæ navigantibus sensim majores apparent.

308. *Incipit et Scyros longe decrescere ponto.* Reg. B præbet, *Incepit, et longo Scyros discedere ponto.* En. — *Et Scyros longe decrescere ponto.* Ob rationem supra allatam vs. 4, quia scilicet recedebant ab ea. Simile illud Virgilii in III, 291. « Phæacum abscondimus arces. » Et, Æn. III, 72 : « terræque urbesque recedunt. » — *Longe.* Scripti habent *longo*. Solet interdum Statius *longum* ponere pro lato aut longe distanti. Sic Theb. V, 655. « Longo rapit arva morantia passu. » Protreptico ad Crispinum, Silv. V, 2, 7. « Atque oculos longo querar aere vinci. »

310. *Confessum.* Passive, quem jam confitebatur. — *Pyrrhum.* Ideo quia crispos et flavos capillos haberet, ita Græce πυῤῥὸς dicitur quasi *rufus*. Pyrrhus dictus quoque Neoptolemus, quod juvenis admodum ad bellum missus sit, νέος, *juvenis*, πτόλεμος, *bellum*. Maturant.

311. *Pendebat conjux.* Reg. B exhibet, *Pendebat conjunx.* Ed. — *Pendebat conjux.* Ordo est : Conjux pendebat e turre summa. Nam ea pendere dicuntur, quæ in aere et loco sublimi sunt, unde et uvæ

Ibat, et ipsa fretum et puppem jam sola videbat.
Ille quoque obliquos dilecta ad mœnia vultus
Declinat, viduamque domum, gemitusque relictæ
Cogitat : occultus sub corde renascitur ardor,
Datque locum virtus : sensit Laertius heros
Mœrentem, et placidis aggressus flectere dictis :
« Tene, inquit, magnæ vastator debite Trojæ,
Quem Danaæ classes, quem Divum oracula poscunt,
Erectumque manet reserato limine bellum,
Callida femineo genitrix velavit amictu?

pensiles quæ domi suspensæ conservantur, et horti pensiles, qui columnis fulti in aere sunt extructi. — *Conjux*. Deidamia. Britann.

312. *Ibat, et ipsa fretum et puppem jam sola videbat*. In Reg. invenitur. *Ibat et ipsa freto et puppem jam sola videbat*. Ed. — *Ibat et ipsa fretum*. Id est, per fretum, puellæ immensum erga maritum amorem significavit, quæ oculis tam intentis navem intuebatur, ut et ipsa sibi navigare videretur. Britann. — *Sola*. Præ amore.

316. *Datque locum*. Amori locum cedit, remittitur. — *Virtus* animositas et furor conceptus contra Trojanos. Maturant. — *Laertius heros*. Ulixes.

317. *Mœrentem*. *Hærentem* Exc. Burg. et codd. Tollii; quem vide ad Auson. p. 369.

318. *Vastator debite*. Mira calliditate virtutem ejus extollit indignum esse ostendens, tantum juvanem inter mulieres desidere, sicque animum ejus a memoria Deidamiæ revocans eum ad bellum inflammat. — *Vastator debite*. Destinate fatis, unde superiori lib. v. 475 : « unum illum Teucris Priamoque loquuntur Fatalem. » Nam (ut diximus) Troja capi non poterat absente Achille. Britann.

319. *Quem Danaæ classes*. Propter id : « Omnis in absentem belli manus ardet Achillem. » Britann.

320. *Erectumque manet reserato limine bellum*. Reg. B habet, *Erectumque manet reserato in limite bellum*. Ed. — *Erectum*. Jam suscitatum et susceptum. — *Manet* Expectat. — *Limine reserato*. Ut si dicat, cæteris jam paratis ad tantam rem. Respexit autem ad Romanorum consuetudinem, qui indicto bello et ad hostes pergentes, portam ædis Jani reserabant, neque postea nisi bello confecto claudebatur ; unde est illud Virgil. Æn. I, 294. « Claudentur belli portæ. » De hoc Suetonius, Servius, et Ovidius in Fastis suis.

321. *C. f. genitrix velavit amictu*. Reg. B habet, *genitrix violavit amictu*. Ed. — *Femineo*. Quasi dicat, commisit tantum scelus, quod vellet ut tam fortis vir lateret, et hæc verba dat, ut avertat animum a mœrore concepto. Mat.

Commisitque ullis tam grandia furta latebris?
Speravitque fidem? nimis o suspensa, nimisque
Mater! an hæc virtus tacita torperet in umbra,
Quæ, vix audito litui clangore, refugit
Et Thetin, et comites, et quos suppresserat ignes?
Nec nostrum est, quod in arma venis, sequerisque precantes
Venisses ultro. » Quem talibus occupat heros
Æacides : « Longum est resides exponere causas,
Maternumque nefas : hoc excusabitur ense
Scyros, et indecores, fatorum crimina, cultus.
Tu potius, dum lene fretum, Zephyrisque feruntur
Carbasa, quæ Danais tanti primordia belli,
Ede : libet justas hinc sumere protinus iras. »

322. *Commisitque ullis tam grandia furta latebris?* Exc. Burg. *illis* pro *ullis*. — Reg. B habet hanc lect. Ed. — *Ullis furta*. Quod ita magna latebra inveniretur, quæ te maximum caperet. — *Grandia furta*. Magna non possunt occultari. MATURANT.

323. *Suspensa*. Tanquam tu non posses te defendere in bello. MAT.

324. *Mater! an hæe virtus tacita torpent in umbra*. Reg. B habet, *Mater! an hæe tacita virtus torperet in umbra*. Ed.

326. *Et Thetin*. Thetidis respectum. — *Comites*. Filias scilicet Lycomedis. — *Suppresserat*. Quos hactenus ipsum socerum et matrem suam celaverat; ad unum tubæ sonitum propalavit. Tantæ erat virtutis.

327. *Nec nostrum*. Non ascribimus nobis hanc gloriam, nec te nos tam pusillanimem credidimus, ut opus esset tibi persuaderi. Si paulum commorati fuissemus, ultro te ad nostrum exercitum contulisses.

328. *Venisses ultro. Quem talibus occupat heros. Venisses dixit* Put. — Reg. B exhibet, *Venisses, dixit. Quem talibus occupat heros.*

329. *Æacides : Longum est resides exponere causas*. Reg. B præbet, *Longum resides exponere causas.*

330. *Excusabitur Scyros*. Id est, nolo verbis, sed ense excusare; non propter ignaviam, quæ acta sunt in Scyro, acta esse. MATUR.

331. *S. e. i. fatorum crimina, cultus*. Exc. Burg. *vultus* pro *cultus*. — *Fatorum crimina*. Vide quæ diximus ad Theb. XI, 188; et ad lib. V, Sylvarum Protrept. ad Crispinum vs. 84.

332. *T. p. d. l. f. Zephyrisque feruntur. Zephyrisque fruuntur*. Dan. Petav. et Cruc. — Reg. B habet, *Zephyroque feruntur*. Ed.

334. *Ede : libet justas hinc sumere protinus iras. Ede licet*. Lang. Buslid. et edd. vett. — Reg. B præbet, *Ede : libet jussas*. Ed.

Hic Ithacus paullum repetito longius orsu :
« Fertur in Hectorea, si talia credimus, ora
Electus formæ certamina solvere pastor
Sollicitas tenuisse Deas, nec torva Minervæ
Ora, nec ætherei sociam rectoris, amico
Lumine, sed solam nimium vidisse Dionen.
Atque adeo lis ista tuis exorta sub antris
Concilio Superum, dum Pelea dulce maritat
Pelion, et nostris jam tunc promitteris armis.

335. *Hic Ithacus paullum repetito longius orsu.* In Reg. B legas, *Hic Ithacus paulum repetitos longius ortu.* Ed.

336. *Fertur in Hectorea, si talia credimus, ora. Fertur in ætherea* Exc. Burg. — Reg. B habet, *si talia credimus, Ida.* Ed. — *Hectorea.* Id est, Phrygia, sic dicta ab Hectore Priami regis Phrygiæ filio.

337. *Electus formæ certamina solvere pastor. Solvere* pro *ad solvendum.* — *Pastor.* Invidiose Paridem vocat *pastorem*, quia inter pastores educatus fuerat. Tangit autem fabulam, qua produnt, convocatis ad Nuptias Thetidis et Pelei omnibus Diis Deabusque, solam Discordiam omissam fuisse. Unde iratam projecisse inter epulantes pomum cui inscriptum erat, *pulchriori detur.* Hinc orta contentione de pulchritudine inter Junonem, Minervam, et Venerem, eas Jove remissas fuisse ad judicium Paridis, qui secundum Venerem judicavit, promissa sibi Helena.

338. *Sollicitas tenuisse Deas. Sollicitas habuisse* margo ed. Barth. ex codd. — Liber haud sperneudus : *Sollicitas habuisse Deas.* Cato in fr. « Me sollicitum, atque exercitum habitum esse, ac porro fore. » Plaut. Menæchm. IV, 2, 11 : « Qui neque leges, neque æquum bonum usquam colunt, sollicitos patronos habent. » Ter. III, 1, 51 : Heaut. « Relevi dolia omnia, omnes serias; omnes sollicitos habui. » Gronov.

339. *Ætherei sociam rectoris.* Junonem.

340. *Dionen.* Venerem, cujus mater Dione Homero. Ipsa *Dione* vocatur a poetis. Statius Theb. I, 288: « Multa super Thebis Bacchum, ansuramque Dionen Dicere. » Ovidius : F. V, 310. « Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen, Dum consternatis diripereris equis. »

341. *Atque adeo lis ista tuis.* Reg. B habet, *lis illa tuis.* Ed. — *Adeo lis ista tuis.* Hujus autem, inquit, discordiæ inter Deas causa orta est in nuptiis patris tui, ubi pomum aureum, ut dictum est, inter Deas discumbentes projectum fuit a Discordia. Britann.

342. *Dulce.* Adverbium.

343. *P. e. n. jam tunc promitteris armis.* Ed. vett. *jam nunc*, Bernartius ex veteri codice correxit. — *Et nostris jam tunc promitteris armis.* Catullus, dum facit Epithalamium in Nuptiis Pelei,

Ira quatit victas : petit exitialia judex
Præmia : raptori faciles monstrantur Amyclæ.
Ille Phrygas lucos, matris penetralia cædit
Turrigeræ, vetitasque solo procumbere pinus
Præcipitat, terrasque freto delatus Achæas
Hospitis Atridæ, pudet heu, miseretque potentis
Europæ! spoliat thalamos, Helenaque superbus
Navigat, et captos ad Pergama devehit Argos.
Inde dato passim varias rumore per urbes,
Undique inexciti sibi quisque et sponte coimus

promittit Achillem clarum in bello Trojano futurum.

344. *Ira quatit victas. Ira coquit victas*, vel *acuit victas* malit Nic. Heinsius in Advers. lib. IV, cap. 3, p. 578. — *Ira quatit victas.* Junonem et Palladem, quæ tali judicio perturbatæ Trojanis semper infensæ fuerunt. — *Judex.* Paris. Brit.

345. *Præmia exitialia.* Id est Helenam, quæ Trojanis exitii causa fuit. — *Amyclæ.* Civitas est Laconiæ, in regione mediterranea, Castoris et Pollucis patria. Hoc autem loco Poeta Amyclas a vicinitate dixit pro Sparta. Britann. — *Faciles.* Ob promissa Veneris.

346. *Ille Phrygas lucos.* « *Phrygas lucos* scribendum cum optimis multis membranis. » Barth. *Ille Phryges lucos* Laur. Lipsian. et edd. vett. — *Cædit.* Ad fabricationem navium.

347. *T. vq. s. procumbere pinus.* Put. *proscribere pinus.* — *Turrigeræ.* Nam coronam turritam dicitur gestare, et hujus fictionis talis est ratio. Cybele enim Deum mater curru vehi dicitur, quod ipsa est terra, quæ pendet in aere. Sustinetur autem rotis quia mundus rotatur et volvitur. Et ei subjungantur leones, ut ostendatur maternam pietatem totum posse superare. Ideo Corybantes ejus ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam, ostendit superpositas terræ esse civitates, quæ turribus insignitæ sunt. Servius in Virgilium. Britann. — *Vetitas pinus.* Id est, sacros lucos, quos religio prohibebat succidere.

349. *Hospitis Atridæ.* Menelai, in cujus domo hospitio susceptus fuerat. — *Pudet heu.* Interpositio est dolentis ad accendendum Achillem ad ultionem. — *Potentis Europæ.* Quia hæc injuria totam Europam spectabat, quamvis sola Græcia offensa fuisset.

351. *Et captos ad Pergama devehit Argos.* Sic Virgilius, Æn. I, 68. « Ilium in Italiam portans, victosque penates. »

352. *Inde dato passim.* Ordo est, et sensus : Nos inde, id est, ex tanta injuria undique exciti, id est, valde commoti, coimus ultores.

353. *Undique inexciti sibi quisque et sponte coimus. Undique in*

Ultores : quis enim genialia fœdera rumpi
Capta dolis, facilique trahi connubia raptu,
Ceu pecus, armentumve, aut viles messis acervos
Perferat? hæc et non fortes jactura moveret.
Non tulit insidias Divum imperiosus Agenor,
Mugitusque sacros, et magno numine vectam
Quæsiit Europen, aspernatusque Tonantem est
Ut generum : raptam et Scythico de litore prolem

exitio Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. in *exitiis quisque* Exc. Burg. — *Quisque sibi.* Nam unusquisque sua interesse arbitrabatur, ulcisci tantum scelus. — *Coimus.* Congregamur et conjungimur.

354. *Ultores: quis enim genialia fœdera rumpi.* Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *quis enim inlicitis genialia rumpi Pacta dolis.* — Reg. B habet hanc lect. Ed. — *Genialia.* A *geniali lecto*, qui nuptiis sternebatur in honorem Genii. Vide Festum.

355. *Connubia.* Uxores.

356. *Ceu pecus, armentumve, aut viles messis acervos.* Nonnulli codd. et edd. vett. *armentumque.* — Reg. B præbet, *aut vilis messis acervos.* Ed.

357. *Perferat? hæc et non fortes jactura moveret.* — Reg. B exhibet, *hæc etiam fortes jactura moveret.* Ed. — *Hæc et non fortes jactura moveret.* Quasi dicat, fortis quidem ille non est censendus, qui tali injuria non moveatur. Britann.

358. *Non tulit.* Ab exemplis nobilium regum suadet Paridem persequendum esse, quum et Agenor etiam Jovem omnium Deorum, et hominum rectorem, persecutus sit; nam quum Juppiter Europam Agenoris filiam in taurum versus adsportasset, Cadmus a patre, ut supra dictum est, ex Phœnicia ad investigandam Európam sororem missus est, ea conditione, ut aut secum virginem duceret, aut in Phœniciam non rediret; qui quum puellam non inveniret, in Bœotia ædificatis Thebis desedit. Britann.

359. *Mq. s. e. m. numine vectam*, Exc. Burg. *munere vectam.* — *Mugitusque sacros.* Jovis in taurum conversi.

361. *Ut generum : raptam et Scythico de litore prolem. Viguereum. Captam* ed. Bernartii. *Vigenerum* conj. Barth. *Captam* Lang. Buslid. et edd. vett. — *Scythico de litore.* Nam Colchis adjacet Ponto Euxino, qui et *Scythicus* appellatus est. — *Et Scythico raptam.* Non æquo, inquit, animo Æeta tulit Medeam suam abduci ab Argonautis, sed eos statim armis et classe insectatus est : quum enim Jason Thessalus Æsonis filius navi longa exstructa cum quatuor et quinquaginta sociis ad Colchos pervenisset, indeque vellus aureum, quod in templo Martis asservabatur, abstulisset beneficio Medeæ, quæ templum ingressa draconem pellis custodiæ incubantem, sem-

Non tulit Æetes, ferroque et classe secutus
Semideos reges, et ituram in sidera puppim.
Nos Phryga semivirum portus et litora circum
Argolica incesta volitantem puppe feremus?
Usque adeo nusquam arma et equi, fretaque invia Graiis?
Quid si nunc aliquis patriis rapturus ab oris
Deidamian eat, viduaque a sede revellat
Attonitam, et magni clamantem nomen Achillis? »
Illius ad capulum rediit manus, et simul ingens
Impulit ora rubor : tacuit contentus Ulixes.
Excipit OEnides : « Quin, o dignissima cæli
Progenies, ritusque tuos, elementaque primæ

perque, ut ferunt fabulæ, vigilem, veneno peremit, Medeam secum duxit; patrem autem Æetam, cognita re, tradunt Argonautas insecutum, plures juxta litus comperisse, et commissa pugna Iphitum unum ex Argonautis Eurystei filium occidisse, postremo adaucta utrinque cæde Æetam regem a Meleagro interemptum esse. — *Prolem*. Medeam, quam ei et Circem et Calcyopen et Absyrtum sive, alio nomine Ægileum, peperit Hecate uxor.

363. *S. r. et ituram in sidera puppim*. Reg. B præbet, *et ituro in sidera puppim*. Eu. — *Semideos reges*. Argonautas. — *Et ituram in sidera puppim*. Nam Argo navis inter sidera relata est. Manilius lib. I, 419 : « tum nobilis Argo, In cælum subducta mari quod prima cucurrit, Emeritum magnis mundum tenet acta procellis; Servando Dea facta Deos. »

364. *Semivirum*. Qui nunquam nisi forma muliebri laudatus est : et arguit a majori, si illi barbari Dei et Semideum rapinam poni non voluerunt, nos Græci patiemur rapinam cujusdam semiviri? Matur.

365. *Argolica incesta volitantem puppe feremus?* Exc. Burg. *incesta voluptatem*.

367. *Q. s. n. a. patriis rapturus ab oris*. In iisdem : *pateris* pro *patriis*. — *Quid si nunc aliquis*. Astute ei proponit raptum uxoris suæ. Quid, inquit, ageres, si quis Deidamiam tibi rapiat? quasi dicat, numquid ferendum est tantam injuriam illatam esse regi? Sicque ejus animum incendit ad tale scelus ulciscendum. Britann.

368. *D. e. viduaque a sede revellat*. Nonnulli eodd. et edd. vett. *patriaque a sede*; Exc. Burg. *viduaqueas sedere*. — Reg. B præbet, *viduaque e sede revellat*.

369. *Attonitam, et magni clamantem nomen Achillis?* Exc. Burg. *et magnum*.

371. *Contentus*. Inflammasse cum scilicet.

372. *OEnides*. Diomedes ab avo OEneo; nam OEneus erat pater Tydei, patris Diomedis.

Indolis, et valida mox accedente juventa,
Quæ solitus laudum tibi semina pandere Chiron
Virtutisque aditus, quas membra augere per artes,
Quas animum, sociis, multumque faventibus ede:
Sit pretium longas penitus quæsisse per undas
Scyron, et his armis primum intendisse lacertos.»
Quem pigeat sua facta loqui? tamen ille modeste
Inchoat, ambiguus paullum, propiorque coacto:
«Dicor, et in teneris, et adhuc crescentibus annis,
Thessalus ut rigido senior me monte recepit,
Non ullas ex more dapes habuisse, nec almis

374. *I. e. v. mox accedente juventa.* Reg. B exhibet, *mox accendente juventa.* Ed.

375. *Laudum semina.* Vide superiori lib. vs. 83.

377. *Q. a. s. multumque faventibus ede.* Reg. B habet, *multumque faventibus edis.* — *Sociis.* Id est, nobis.

378. *S. p. l. penitus quæsisse per undas.* Codd. Lindenbrogii: *transisse per undas.* — *Sit pretium.* Si, inquit, hæc nobis narraveris, id loco præmii putabimus pro labore, quem tulimus, dum quærimus te.

379. *Scyron, et his armis primum intendisse lacertos.* Reg. B præbet, *Scyron, et his primum arma ostendisse lacertis.* Ed. — *His armis primum intendisse lacertos.* Malim *hos:* dein forte non adspernabile quod in Ms. *primum vestisse lacertos.* Solet alioqui uti pro *induere*, *tegere.* Ut Theb. III, *clipeum vestisse juvenco.* Lib. VI, *hausta vestitur arena.* Lib. XII, *thyrsos hederis vestitis.* Claudianus V, 361: «Par vestitus equis, ferrata fronte minantur, Ferratosque levant securi vulneris armos.» Gruteri tres codices, *tendisse.* Gronov.

380. *Quem pigeat sua facta loqui.* Sic Tacitus in Vita Agricolæ cap. I: «Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantium arbitrati sunt.»

381. *Propiorque coacto.* Quasi similis homini coacto, et qui invitus loquatur. Britann.

382. *Dicor, et in teneris, et adhuc crescentibus annis.* Reg. B habet, *et adhuc reptantibus annis.* Ed. — *Dicor.* Quia non poterat recordari. — *Et adhuc crescentibus annis.* Quasi non nunc quoque crescerent. Scholiastes et duo MSS. Gruteri, *restantibus.* Unde ille haud invita, ut videtur, Minerva: *et adhuc reptantibus annis.* Claudianus V, 180, in Ruf. II: «teneroque amnis reptatus Achilli.» In quartum Honorii Cons. VIII, 134. «Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti.»

383. *Thessalus senior.* Chiron. — *Rigido monte.* Pelio, ob severam disciplinam Chironis.

384. *Non ullas ex more dapes habuisse, nec almis.* Exc. Burg. ci-

Uberibus satiasse famem, sed spissa leonum
Viscera, semianimesque libens traxisse medullas.
Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi,
Sic dabat ille pater : mox ire per avia secum
Lustra gradu majore trahens, visisque docebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus undis
Saxa, nec ad vastæ trepidare silentia silvæ.

bos pro *dapes*. Codd. Barthii : *ullos ex more dapes*. — Reg. B præbet, *Non ullos ex more cibos hausisse, nec almis*. Ed. — *Non ullas ex more dapes*, etc. Achilles ferarum medullis dicitur educatus, ut nomen significat; illud enim componitur ab α privativo, et χιλός, *esca*, sive cibos humanos, unde *Achilles* dictus est : nam primo vocabatur *Pyrissous*. Euphorion : Ἐς Φθίην χιλοῖο κατῆλθε πάμπαν ἄπαστος, Τοὔνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλλέα φημίζοντο. « Descendit in Phthiam, non degustato omnino cibo humano, quamobrem Myrmidones nominaverunt eum Achillem. » Libanius in duabus orationibus, in quibus laudem et vituperationem Achillis scripsit, expresse dicit Chironem parvulum Achillem leonum medullis aluisse. Idem legitur apud Apollodorum lib. III. Vide Philostrati Heroica in Achille, magnum Etymologicon, et Eustathium in primum librum Iliados. — *More*. Infantium scilicet. — *Nec almis Uberibus*. *Alma ubera*, alimoniam scilicet præstantia.

385. *Sed spissa leonum viscera*. Pueritia, inquit, mea carnibus leoninis pascebatur, nam viscera, carnes significare ostendit. Virgil. Æn. I, 211 : « Et viscera nudant. » — *Spissa*. Naturam carnis respexit, quæ dura est et spissa in leone.

386. *Viscera, semianimesque libens traxisse medullas*. Dan. Put. Barthiani, Lindenbrog. et Cruc. *lupæ traxisse medullas*. — Reg. B exhibet, *semianimisque lupæ traxisse medullas*. Ed.

387. *Ceres*. Panis. *Cererem* pro pane sumi omnibus notum est. — *Munera Bacchi*. Vinum.

388. *Sic dabat ille pater : mox ire per avia secum*. *Sic dedit* Exc. Burg. — Reg. B præbet, *mox ire per invia secum*. Ed. — *Ille pater*. Chiron. *Pater* propter reverentiam. Juvenalis, Sat. VII, 209. « Qui præceptorem sancti voluere parentis Esse loco. » Et Quintilianus : « Discipulos unum interim moneo, ut præceptores suos non minus, quam ipsa studia ament, et parentes eos non quidem corporum, sed mentium esse credant. »

389. *Gradu majore*. Sic de Ascanio Virgilius, Æn. II, 724. « Sequiturque patrem non passibus æquis. »

390. *Arridere feris, nec fracta ruentibus undis*. *Irridere feris*. Put. et pro v. l. *Irritare*. Exc. Burg. nec *jamque*; at in margine correctum. — *Arridere feris*. Est, non formidare.

391. *Nec ad vastæ trepidare silentia silvæ*. Noster Theb. IV, v.

Jam tunc hasta manu, jam tunc cervice pharetræ,
Et ferri properatus amor, durataque multo
Sole geluque cutis; tenero nec flexa cubili
Membra, sed ingenti saxum commune magistro.
Vix mihi bissenos annorum torserat orbes
Vita rudis, volucres quum jam prævertere cervos,
Et Lapithas cogebat equo, præmissaque cursu
Tela sequi, sæpe ipse gradu me præpete Chiron.
Dum velox ætas, campis admissus agebat
Omnibus, exhaustumque vago per gramina passu
Laudabat gaudens, atque in sua colla levabat.
Sæpe etiam primo fluvii torpore jubebat

423. « Vacuusque silentia servat Horror. »

392. *Jam tunc hasta manu. Jam tunc arma manu* Put. — Reg. B habet hanc lect. Ed.

394. *S. qq. c. tenero nec flexa cubili.* Barth. *fluxa cubili.* — Reg. B habet hanc lect. Ed.

395. *Sed ingenti saxum commune magistro.* Soperiori libro, 196: « Nox ruit in somnos, saxo collabitur ingens Centaurus, blandisque humeris se innectit Achilles. »

396. *Vix mihi bissenos annorum torserat orbes.* Exc. Burg. *corsitat orbes.* — Vide p. 583, tom. I Stat.

397. *Vita rudis, volucres quum jam prævertere cervos.* Reg. B habet, *volucris quum jam prævertere cervos.* Ed. — *Prævertere cervos.* Maronianum hoc, Æn. XII, 345. « Vel conferre pedem, vel equo prævertere ventos. » Barth.

398. *Et Lapithas cogebat equo.* Barth. *cogebat equos.* — Reg. B præbet hanc lect. Ed. — *Lapithas.* Populos Thessaliæ. — *Equo. Equos* legit Cruceus, et bene, et refert ad Lapithas, explicatque *Thessalicos equos* pernicissimi cursus. Silius Italicus lib. VIII, 555, de Scipione Juvene: « Sæpe alite planta Ilia perfossum et campi per aperta volantem Ipse pedes prævertit equum. » Erat et genus ludi in sacris certaminibus, *Calpe* vocabatur, ubi equæ insidens in medio cursu desiliebat, et velocitatem equæ, quam loro tenebat, assequebatur. Plutarch. V, Symp.

399. *Tela sequi.* Assequi, vel sequi, ut assequerer.

400. *Campis admissus.* Id est, *courant à toute bride; admittere equum, pousser un cheval.* Ovidius E. I, 36. « Hic lacer admissos terruit Hector equos. »

401. *Omnibus campis.* Per omnes campos, ut ad labores me firmaret.

402. *L. g. atque in sua colla levabat.* Reg. B habet, *atque in sua terga levabat.* Ed. — *Levabat.* Tanquam bajularet eum fessum, donec vires reciperet. Maturant.

403. *S. e. p. fluvii torpore jubebat.* Exc. Burg. *corpore* pro *torpore*

Ire super, glaciemque levi non frangere planta.
Hoc puerile decus : quid nunc tibi prælia dicam
Silvarum? et vacuos sævo jam murmure saltus?
Nunquam ille imbelles Ossæa per avia lynces
Sectari, aut timidos passus me cuspide damas
Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas,
Fulmineosque sues, et sicubi maxima tigris,
Aut seducta jugis fœtæ spelunca leænæ.
Ipse sedens vasto facta exspectabat ab antro,
Si sparsus magno remearem sanguine : nec me
Ante nisi inspectis admisit ad oscula telis.
Jamque et ad ensiferos vicina pube tumultus

— *Primo torpore.* Id est, dum inciperet congelari, non exspectans quod nimis duraretur glacies.

404. *Ire super, glaciemque*, etc. Reg. B habet, *Ire supra.* Ed.

406. *Vacuos.* Quia feras omnes ego interfecerim, quæ asperiores sunt : ideo dicit, *sævo murmure*, ut leonum. Nam murmura parvorum animalium restabant. MATURANT.

407. *N. i. i. O. per avia lynces.* Reg. B habet, *per avia damas.* Ed. — *Nunquam ille imbelles.* Nunquam, inquit, voluit me feras imbelles et timidas persequi, sed sævas et immanes tantum. — *Avia Ossæa.* Id est Avia Ossæ montis Thessaliæ. — *Lynces.* Animal est timidum Baccho dicatum, hoc India mittit. Vide Theb. IV, vs. 658. Ejus animalis urinam redditam Plinius ait glaciari in gemmas carbunculis similes, unde Ovidius : M. XV, 413 et sq. « Victa racemifero lyncas dedit India Baccho, E quibus (ut memorant) quidquid vesica remisit, Vertitur in lapides et congelat aere tacto. » BRITANN.

408. *Sectari, aut timidos passus me cuspide damas.* In iisdem Exc. Burg. *aut avidas passus.* — Reg. B habet, *cuspide lyncas.*

409. *S. s. t. t. cubilibus ursas.* Reg. B habet, *cubilibus ursos.* Ed. — *Tristes* ursas. Perpetuum epitheton.

410. *Fulmineosque sues.* Quod more fulminis obvios irati prosternant. Vide Theb. VI, 865. — *Et sicubi maxima tigris.* Hoc dicit, quia raro tigris invenitur in Thessalia.

411. *Aut seducta jugis.* — *Aut deducta jugis* exhibent Lang. Buslid. et Venett.

412. *I. s. v. f. exspectabat ab antro.* Reg. B habet, *exspectabat in antro.* Ed.

413. *Si sparsus magno remearem sanguine.* Exc. Burg. *magno*; at super lin. et in marg. *multo.* Pro *remearem* multi codd. et edd. vett. *remeassem.* — Reg. B habet, *Si sparsus nigro.* Ed. — *Magno sanguine.* Leonis, vel ursæ.

414. *Ante nisi inspectis.* *At nisi*

Aptabar : nec me ulla feri Mavortis imago
Præteriit : didici, quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ sua gesa citent, quo turbine cæstum
Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus
Tenderet, et flexæ Balearicus actor habenæ
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu,

infectis Petav. — *Inspectis telis.* Nec me admisit ad oscula, nisi prius inspexisset tela, an sanguine ferarum oblita essent.

416. *Nec me ulla feri Mavortis imago.* Tractandorum inquit armorum nulla me meditatio fugit. — *Nulla imago.* Nullum pugnæ simulacrum. Britann.

417. *Pæones.* Populi Macedoniæ ad Axium fluvium siti secundum Livium lib. XL et XLV. Ptolemæus hos etiam collocat in Macedonia, sed ad Haliacmonis fluvii fontes. Sic dicti sunt a Pæone Endymionis filio, qui victus cursu ab Epeo fratre, imperium Elidis victori cessit, (sicut inter eos convenerat,) et in Macedoniam commigravit, nomenque genti dedit.

418. *Quo Macetæ sua gesa citent, quo turbine cæstum. Massagetæ sua tela* Exc. Burg. *Magetæ sua gesa* Lang. Bodl. Lipsian. et edd. vett. — Reg. B habet, *Quo Macetæ sua gæsa citent, quo turbine cæstum.* — *Macetæ.* Macedones. Vide Theb. VII, 269. — *Gesa.* Arma proprie Gallica, sicut pila Romanorum, sarissæ Macedonum. — *Quo turbine.* Imitatus est Virgilium, Æn. IX, 284 : « Quo turbine torqueat hastam. » — *Cæstum.* Hoc verbum hic ferri non potest : quia nulla gens in pugna cæstibus usa est. Ideo legit Scaliger *cestrum.* Hoc nomine fuit spiculum, quod funda circumagi et emitti solebat, ut docet Suidas. Livius lib. XLII, *Cestrosphendonam* vocat, describitque. Lipsius dubitare ait, *contum*, an *restim*, scribendum sit : sed magis placere posterius. At Gronovius et Gruterus in MSS. repererunt *contum.* Et sic Maturantius et Britannicus legerunt. Quæ vera lectio est. Silius lib. XV, 684 : « Sustentata genu per campum pondera conti Sarmatici prona adversos urgebat in hostes. » Valerius Flaccus lib. VI, 162 : « Et ingentis frænator Sarmata conti. » Tacitus Annal. VI : « Sarmatæ emisso arcu, quo propius valent, contis gladiisque ruerent. »

419. *Sauromates.* Populi Scythiæ Europææ. Vide Theb. III, 227. — *Falcem.* Ensem recurvum. — *Gelonus.* Scythiæ Asiaticæ populi. Vide Theb. II, 121. — Vide p. 626, tom. I, Claudian. Ed.

420. *Balearicus actor.* Balearis funditor. Vide Theb. X, 851. — *Habenæ flexæ.* Id est, fundæ, quæ incurva est. Forma fundæ, quæ in monumentis obvia, est funiculus in medio latior, ovali forma, et qui paullatim in strictius abit.

421. *Q. s. t. l. vulnera tortu.* Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *vulnera tractu.* — *Libraret vulnera.* Poetice et eleganter, pro, rotaret ejacula-

Inclusum quoties distringeret aera gyro.
Vix memorem cunctos, etsi modo gessimus, actus.
Nunc docet ingenti saltu me jungere fossas :
Nunc caput aerii scandentem prendere montis,
Quo fugitur per plana gradu : simulacraque pugnæ,
Excipere immissos curvato umbone molares,
Ardentesque intrare casas, peditemque volantes
Sistere quadrijugos : memini, rapidissimus ibat
Imbribus assiduis pastus, nivibusque solutis
Sperchios, vulsasque trabes et saxa ferebat;
Quum me ille immissum, qua sævior impetus undæ,

retorque lapides vulnera facturos.

422. *I. q. distringeret aera gyro.* Put. *distingueret*, Exc. Borg. *disjungeret;* in quibusdam aliis : *discingeret.* — Reg. B habet, *distingueret aera gyro.* Ed. — *Inclusum quoties distringeret aera gyro.* Theb. IV, 66 : « Pars vertere fundas Assueti, vacuoque diem præcingere gyro. » Funditorum autem gestum exprimit, qui funda circum caput adducta, factisque ea circulis, saxa rotant.

423. *Vix memorem cunctos actus.* Longum, inquit, esset omuem tractandorum armorum rationem explicare.

424. *Nunc docet ingenti saltu me jungere fossas.* Exc. Burg. *me vincere.* — Reg. B præbet, *Nunc docet ingentes saltu me jungere fossas.* Ed. — *Jungere saltu.* Nam sicut pons dicitur jungere ripas, ita *jungere saltu*, non est aliud quam transilire ab uno litore ad aliud.

426. *Simulacraque pugnæ.* Ordo est : Docet me excipere molares umbone. — *Simulacra pugnæ.* Id est, quæ sunt imagines veræ pugnæ; nam sic tirones per simulatas pugnas erudiuntur ad vera certamina. Britann.

427. *Excipere immissos curvato umbone molares. Excipere immensos* Petav. et Venell. — Reg. B habet, *scutato umbone.* Ed. — *Molares.* Lapides dicuntur majores. Ovidius, Met. III, 59 : « dextraque molarem Sustulit, et magnum magno conamine misit. » Molaris item capitur pro dente, quo cibus conficitur. Juvenalis, XIII, 212 : « interque molares Difficili crescente cibo. » Britann.

428. *Ardentesque intrare casas. Ardentesque errare casas* Put. — Reg. B habet hanc lect. — *Ardentesque intrare casas.* Igne scilicet seu incendio contemto. — *Peditem.* Id est, me peditem docet equis currentibus præcurrere, et remorari.

429. *Quadrijugos.* Dicuntur equi quod quaterni curribus sunt subjecti, bijuges vero quod bini. Brit.

431. *Sperchios, vulsasque trabes.* Exc. Burg. *vulsas silvas.* — Reg. B habet, *vivasque trabes.* Ed. — *Sperchios.* Fluvius Thessaliæ.

Stare jubet contra, tumidosque repellere fluctus,
Quos vix ipse gradu toties obstante tulisset.
Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis,
Et latæ caligo viæ : ferus ille minari
Desuper incumbens, verbisque urgere pudorem.
Nec nisi jussus abii : sic me sublimis agebat
Gloria, nec duri tanto sub teste labores.
Nam procul OEbalios in nubila condere discos
Et liquidam nodare Palen, et spargere cæstus,

433. *Stare jubet contra, tumidosque repellere fluctus.* Similis audacia velerum Celtarum, qui in fluctus se coujiciebaul, eorumque impetum gladiis atque hastis excipiebant. Adeo euim iguominiosum existimabaut fugere, ut ue ex corruentibus quidem aut flagrantibus ædificiis digrederentur, sed ruinam et vivicomburium ultro sustinerent. Ælian. Var. Hist. lib. XII, 23.

434. *Toties obstante.* Quia quatuor pedes habebat Chiron.

435. *S. e. nec me referebat concitus amnis.* Multi codd. *consitiis.* — Reg. B habel, *sed me referebat concitus amnis.* Ed. — *Referebat.* Retro ferebat. Britann.

436. *Et latæ caligo viæ. Et latæ caligo fugæ* Put. — Reg. B præbet hanc lect. Ed. — *Caligo. Caliginem* vocat confusionem trabium, et saxorum rotalorum a fluvio : vel ipsam profunditatem fluvii, quæ immensa eral.

437. *Urgere pudorem.* Verbis, inquit, me accusabat, et me veluti tremebundum verbis juvabat. — *Pudorem.* Id est me ipsum, in quo eral pudor el verecundia, ne ea non obirem quæ imperaret. Brit.

438. *Abi;* pro *abii*, jubente magistro. — *Sic me sublimis agebat Gloria.* Ita, inquit, laudibus, et gloria incendebar. Britann.

439. *Tanto sub teste.* Chirone. Vide p. 314, tom. I, Stat.

440. *Nam procul OEbalios. Jam procul* multi codd. el edd. vell. — *OEbalios.* Laconicos. Discum autem Laconicum ob id appellat, quod is ludus infamis sit factus cæde Hyacinthi, id est, Laconici, qui dum disco cum Apolline amatore suo certaret, interfectus est, unde est illud Ovidii Met. X, 196 : « Laberis OEbalide prima fraudate juventa, Phœbus ait. » Nam OEbalia appellata est Laconia ab OEbalo rege Arguli filio. — *Condere in nubila.* In palæstorio discus eral, in quo jactando is commendabatur qui in aerem altius misisset; erat euim lapis gravis et latus qui ad exercitationem corporis in auras mittebatur; qui jaculabantur oleo perfundebantur. Ovidius Metam. X, 177 : « Corpora veste levant, et succo pinguis olivæ Splendescunt, latique ineunt certamina disci. » Britann.

441. *Et liquidam nodare Palen.* Laug. Buslid. et edd. vett. *nudare Palen.* — *Et liquidam nodare Pa-*

Ludus erat, requiesque mihi : nec major in istis
Sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro
Quum quaterem, priscosque virum mirarer honores.

len. Proprio verbo usus est Papinius. Nam nexus, vincula, nodus, implicare, ligare, ut et *nodare*, propria verba luctæ. Virgilius Æn. VIII, 259 : « Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem Corripit in nodum complexus, et angit inhærens Elisos oculos, et siccum sanguine guttur. » Lucanus lib. IV, 632 : « Herculeosque novo laxavit corpore nodos. » Eadem ex re *catenatas palæstras* dixit Epicedio in Glauciam : Silv. II, 1, 110, « Catenatis curvatus membra palæstris. » Vide Theb. VI, 827. — In gymnasio palæstritæ exercebantur nudo et uncto corpore, ut ad bellicos labores et tumultus essent promptiores, quam exercitationem Græci πάλην, sive παλαίστραν vocavere, Latini vero *luctam* : qualis autem esset ludus, Plutarchus loquens de Alcibiade nos monet his verbis : « Quum aliquando in palæstra cum puero quondam luctaretur, jamque adversarius eum ad terram deprimeret, volens Alcibiades ignominiam vitare, manum illius dentibus apprehendit. » — *Pales.* Genitiv. Palis, Dea pastorum. « Nunc te magna Pales. » Pale, pales, pro palæstra ponitur : ἡ πάλη, τῆς πάλης dicitur. — *Liquidam.* Quia in palæstris ungebantur nudati, unde ludi gymnici appellati sunt, et gymnas ipsa palæstra dicitur, quod nudos haberet; Γυμνὸς enim *nudus* a Græculis dicitur. In Arabia olea dotatur lacrima, quæ medicamentum conficitur, a Græcis enhæmon dictum, singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. Plinius lib. XII, cap. 17. — *Cæstus.* A cædendo. Ludus in quo ludentes manicas corii induebant, et juxta manum plumbeas pilas habebant, quibus invicem cædebantur usque ad necem. Interdum et cæstus, cæsti, dicitur : hoc cestum sine *æ* cingulum est Veneris, unde Homerus, κέστον ἱμάντα appellat : ἱμὰς, ἱμάντος, *cingulum* significat. MATURANT.

442. *Ludus et requies.* In his ludis alii maxime laborant, sed ego ut ludum et requiem hos exercebam. MATURANT. — Vide pag. 408, tom. I, Stat.

443 et 444. *Sudor.* Non magis laborabam in his ludis quam pulsando citharam. MATUR. — *Apollineo.* Quo primum usum fuisse constat Apollinem ; nam, ut fabulæ tradunt, quum Mercurius lyram fecisset in Cyllene monte Arcadiæ, deinde postea Apollinis boves abegisset, deprehensus ab eo, quo sibi facilius ignosceret, petenti Apollini, ut liceret dicere se invenisse lyram, concessit, et ab eo virgulam quamdam muneri accepit, quam caduceum appellant. Ait ergo Poeta, *Plectro Apollineo*, cujus inventorem se voluit vocari. — *Mirarer.* Quum admiratione celebrarem laudes veterum virorum.

444. *Priscosque virum mirarer honores.* Confer Lucilii Jun. Ætna, vs. 637 ad quem illustrandum hic Nostri locus adductus est, Poet.

Quin etiam succos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius staret medicamine sanguis,
Quid faciat somnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis,
Edocuit, monitusque sacræ sub pectore fixit
Justitiæ, qua Peliacis dare jura verenda
Gentibus, atque suos solitus pacare bimembres.

Lat. Min. nost. edit. tom. III, pag. 167. Ed.

445. *Quin etiam*. Ponit quomodo didicit medicinam a Chirone, qui fertur unus de inventoribus medicinæ : quidam volunt ideo nuncupatum Centaurum, quia medicinam ad hominem et ad equum pertinentem invenerit, et nuper inventus est liber, qui Chiron de medicina equorum inscribitur.

446. *Staret*. Effluens sanguis sisteretur. Maturant.

447. *Somnos*. Ut papaver, quando ægroti non possunt dormire.

448. *Quæ ferro cohibenda lues*. Utrum quæ vulnera ferro sint recidenda, an, quod magis placet, quæ vulnera ferro sanentur, ut de ærugine intelligamus ferri, quam ab Achille inventam fuisse diximus utilissimam emplastris, ut sit, *ferro*, id est rubigine ferri in vulnus infusa. — *Cohibenda*. Id est, coercenda, et reprimenda, ne ulterius serpat ulcus. Maturant. — *Quæ cederet herbis*. Nam alia vulnera ferro, alia herbis curantur. Ut de Idmone Epidaurio loquens Poeta Theb. III, v. 400, ait : « Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis Mitior. »

449. *Monitus sacræ Justitiæ*. Chiron enim auctore Homero *δικαιότατος Κενταύρων*, *justissimus*. Unde et Germanicus : « Nascitur intacta Sonipes sub Virgine, dextra Seu prædam e silvis portat, seu dona propinquæ Placatura Deos cultor Jovis, admovit Aræ. Hic erit ille pius Chiron, justissimus inter Omnes Nubigenas, et magni ductor Achillis. » Conf. et Avien Arat. Phænom. vss. 885, seqq. « Ille autem dextram protendere visus ad Aram Cælicorum, justæ persolvit munera vitæ... Hic ubi celso Pelion assurgit dorso... arbiter æqui Degerat Alcidæ legum post bella magister. »

450. *Peliacis gentibus*. Quæ in Pelio monte erant, quas Chiron regebat. Maturant.— *Peliacis*. Thessalis; nam Pelion mons est, ut sæpe diximus, Thessaliæ, ubi sedes fuit Chironis, natus ibi ex Saturno et Philyra filia Oceani in equum conversa a Saturno, quod ideo fecit ne deprehenderetur ab Ope uxore adventante, unde est illud Virgilii, Georg. III, 550 : « Phillyrides Chiron. » Bait.

451. *Suos*. Id est, sibi subjectos; nam inter Centauros populos Thessaliæ principatum obtinuit, navigavitque cum Argonautis. Baitan. — *Bimembres*. Alii legunt *biformes*, id est, Centauros.

Hactenus annorum, comites, elementa meorum
Et memini, et meminisse juvat : scit cætera mater.

453. *Scit cætera mater.* Innuit hic Achilles oolle recordari, nec fateri ea, quæ in Scyro fecerat, ut quæ solius essect matris. Versos, qui io aliqoibus exemplaribus sequitur: *Aura silet; puppis currens ad litora venit*, jampridem a doctis explosus est. Additus est a sciolo, qui credidit Achilleidem sic pro perfecta editam a Papinio, in qua persuasione fuit Joanoes Britaonicus, Cujus hæc verba sont: « Bene ex iostituto suo opus absolvit, nam in proœmio id tantum professus est se de Achillis educatione dicturum, et ot ad Trojam ductus sit. Hæc ideo subjuoxit, ut error eorum, qui opus perfectom oon censeot, monitione oostra corrigitur, et rem eo perdoctam coguoscant, quo promisit Poeta. Nam, nt diximos io priocipio operis, Noster promisit se nihil dictorum de rebus gestis ab Achille circa Trojam, quum ait se velle dedocere juvenem a tota Troja. Sileant ergo qui sensum Poetæ non percipientes, ad calcem esse perductum negant.»

FINIS ACHILLEIDOS.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS TERTII VOLUMINIS.